BENEDICTI XIV.
PONT. OPT. MAX.
OLIM
PROSPERI CARDINALIS DE LAMBERTINIS
OPERA OMNIA
IN UNUM CORPUS COLLECTA,

ET NUNC PRIMUM IN QUINDECIM TOMOS DISTRIBUTA.

EDITIO NOVISSIMA

ANTEACTIS OMNIBUS AUCTIOR, CASTIGATIOR, ET MELIORI ORDINE DISPOSITA:

ADDITIS PRÆTEREA TRIBUS INTEGRIS VOLUMINIBUS, QUÆ NUNC PRIMUM PRODEUNT,

Pluribusque aliis luculentissimis Accessionibus, quas Præfatio Tomo primo præfixa melius docebit.

TOMUS SEXTUS

CONTINENS

BENEDICTI XIV. P. O. M.

ACTA, ET DECRETA IN CAUSIS BEATIFICATIONUM ET CANONIZATIONUM,

ALIISQUE AD SACRORUM RITUUM MATERIAM PERTINENTIBUS, UNA CUM NOVISSIMA APPENDICE NUNC PRIMUM ADJECTA.





VENETIIS

MDCCLXXXVIII.

Sumptibus { JOSEPHI REMONDINI, ANTONII ZATTÆ, } & Filiorum.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



INDEX CAPITUM
TOMI VI.

Con-

Regum

ACTA.



ACTA, ET DECRETA
IN CAUSIS BEATIFICATIONUM, ET CANONIZATIONUM,
ALIISQUE AD SACRORUM RITUUM MATERIAM PERTINENTIBUS.



AD Summi Pontificatus apicem divina largitate, licet immerentes, evecti, curare numquam destitimus, ut causæ ad Servorum Dei Beatificationem, & Beatorum Canonizationem spectantes ea, qua par erat, solertia, diligentiaque tractarentur. Ut autem nos quoque operam nostram in iis perpendendis, perficiendisque collocaremus impensius, Sacræ Congregationis Rituum Consultoribus ediximus, ut octiduo ante, quam coram Nobis causa aliqua hujusmodi proponeretur, ad nos suffragia sua scriptis consignata transmitterent. Inde enim futurum erat, ut nos primum rem totam penitius introspiceremus, deinde statum omnem causæ, difficultatesque a Consultoribus excitatas ejusdem Sacræ Congregationis Cardinalibus breviter, dilucideque proponentes, eorum consilia facilius, atque expeditius audiremus. Cum vero Pontificatus nostri tempore his super causis plura sive generalia, sive particularia a nobis

bis edita ſint Decreta; quamquam illorum aliqua ſuperioribus libris, prout ferebat occaſio, inſeruerimus; operæ tamen pretium duximus, ea omnia hic in unum colligere, ac ad certa veluti capita revocare, ut facilius haberi præ manibus, ac unico veluti intuitu legi poſſint. Hoc autem collocabuntur ordine, ut primum Decreta generalia, deinde particularia in ſuas itidem claſſes diſtributa recenſeantur. Addemus præterea plurimas Epiſtolas, Decreta, Apoſtolicas Literas, Conſtitutiones, aliaque monumenta, in quibus argumenta in Sacra Rituum Congregatione agitari ſolita pertractamus, vel aliquid hujuſmodi concedimus, ſeu decernimus, omiſſis tamen iis, quæ utpote communia, hujuſmodi rerum ſtudioſis uſui eſſe minime exiſtimavimus.



CAPUT

CAPUT PRIMUM

DECRETA GENERALIA

EDITA A SS. D. N.

BENEDICTO XIV.

SUPER CAUSIS BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI, ET CANONIZATIONIS BEATORUM.

PRIMUM DECRETUM GENERALE.

De probatione subsidiaria Virtutum, aut Martyrii Servorum Dei ex Testibus de auditu, aliisque adminiculis.



UBITATUM sæpe fuerat in Sacra Rituum Congregatione, an in causis procedentibus per viam non cultus super Servorum Dei Virtutibus, aut Martyrio, & causa Martyrii, si absque dolo malo, aut culpabili Postulatorum negligentia deessent testes de visu, Virtutes, ac Martyrium per testes de auditu, aliaque subsidiaria documenta ob speciales aliquas circumstantias probari possent? Affirmativam amplectendam esse sententiam contendebant Postulatores pluribus innixi rationibus, quas superius attulimus lib. 3. cap. 3. num. 13. Affirmativæ etiam sententiæ favere videbatur ejusdem Sacræ Rituum Congregationis praxis, quæ in aliquibus hujusmodi causis testes de auditu, aliasque subsidiarias probationes admiserat, uti fuse disseruimus cit. lib. 3. cap. 3., ubi etiam mentem nostram ediximus, quid videlicet faciendum esse censeremus, donec clarum hac super re Sacræ Congregationis responsum ederetur. Verum cum post nostram ad Summum Pontificatum assumptionem, coram Nobis in Congregatione generali Sacrorum Rituum die 21. Martii 1741. proposita fuisset causa Ven. Servi Dei Francisci Caraccioli super dubio virtutum, & pro earum probatione non nisi testes de auditu adessent, multis tamen formis adminiculati, & causa procederet per viam non cultus; Consultores autem fere omnes, & Cardinales suffragiis suis pro earum probatione, & approbatione uniforme tulissent judicium; Nos primum post maturum examen die 23. Apr. 1741. Decretum edidimus, in quo declaravimus, virtutes prædictas Servi Dei ita esse probatas, ut tuto deveniri posset ad ulteriora, ad miraculorum videlicet discussionem. Aliud deinde, ut memoratæ controversiæ finis imponeretur, eadem die generale Decretum edidimus, in quo statuimus, quid servandum in posterum esset in his causis, uti ex Decreti verbis, quæ subnectimus, præcipue patebit. En Decreti utriusque verba.

DECRETUM

NEAPOLITANA BEATIFICATIONIS, ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI FRANCISCI CARACCIOLI

Clericorum Regularium Minorum Fundatoris.

PRoposita nuper in Congregatione Generali coram Sanctissimo Domino nostro BENEDICTO Papa XIV. sub die vigesima prima Martii proxime præteriti per Reverendissimum Dominum Cardinalem Bellugam Relatorem deputatum Causa Venerabilis Servi Dei Francisci Caraccioli Fundatoris Clericorum Regularium Minorum super Dubio -- *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate, & Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, ac Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, in casu, & ad effectum &c.* -- Sanctitas Sua, perlectis, relatisque omnium Consultorum, & auditis Reverendissimorum Cardinalium suffragiis, tunc quidem Responsum censuit differendum, ut in tam gravi re Dei etiam consilium, & suis, & aliorum precibus exquireret; postmodum autem, celebrato hac etiam de causa sacrosancto Missæ Sacrificio, accitisque coram se R. P. D. Promotore Fidei, meque infrascripto secretario, ejusdem Sacræ Congregationis sententiam approbando, declaravit -- *Virtutes prædictas ita probari, ut tuto deveniri possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem Miraculorum, in casu, & ad effectum &c.* -- Sed cum ex Testibus de auditu tantum, multiformiter licet adminiculatis, fuerint probatæ; ut quod Virtutum probationi defuit, Miraculorum eas confirmantium probatione suppleatur, ad Servi Dei Beatificationem non ante deveniendum esse censuit, quam Miracula omnino quatuor probentur ex Testibus de visu, atque approbentur, juxta formam infcripti Decreti generalis eam ob rem editi hac ipsa die Dominica tertia post Pasqua 23. Aprilis 1741.

In Causa Ven. Servi Dei Francisci Caraccioli decernit Pontifex virtutes ita probari, ut tuto deveniri possit ad ulteriora, nempe ad miraculorum discussionem. 23. Apr. 1741.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secretarius.

DECRETUM GENERALE.

I. CUM in Congregatione Generali habita coram Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO Papa XIV. die vigesima prima Martii proxime præteriti, occasione agendi de Virtutibus Venerabilis Servi Dei Francisci Caraccioli Congregationis Cleric. Regul. Min. Fundatoris, earumque sufficienti probatione, generatim etiam quæsitum, atque acriter disputatum fuerit, possent ne unquam, aut deberent haberi satis probatæ ad effectum de quo agitur, Virtutes alicujus sine ullis Testibus de visu; Sanctitas Sua perlectis Consultorum, & auditis Reverendissimorum Cardinalium tunc suffragiis, reque postea secum, & cum aliis etiam matura perpensa, & pertractata, ad ambages quascumque certa, & clara lege desuper tollendas, ita censuit distinguendum.

1. Occasio hujus Generalis Decreti.

2. Ut in Causis Beatorum procedentibus per viam Cultus sive a Sede Apostolica indulti, sive per tempus immemorabile delati, non recedatur ab antiqua praxi admittendi Virtutum, aut Martyrii probationem, quam vocant subsidiariam, conflatam ex Testibus quidem tantum de auditu quandoque a videntibus, quandoque non; sed variis tamen roboratam adminiculis ad faciendam viro prudenti, ac de re gravi judicaturo auctoritatem, & fidem idoneis, ad quæ rite colligenda, & seligenda, sunt a

2. In causis Beatorum procedentibus per viam Cultus immemorabilis admittitur probatio subsidiaria virtutum, aut Martyrii ex testibus de

audita, adjusque adminiculis.

majoribus nostris Literæ, & Processus Compulsoriales ordinati: Cum æquum sit, & Antiquitatis, & Cultus haberi rationem; neque negari possit, quin magnum Sanctitatis argumentum sit, quod quis colatur propter Sanctitatem. Tametsi etiam in Beatis, & antiquis, ubi Testes de visu habeantur, vel haberi possint; ex his, & non ex solis Testibus de auditu, eorum Virtutes, aut Martyrium (quemadmodum & in variis hujusmodi Causis factum est) probari debent.

3. Ejusmodi probatio admittitur etiam in causis Servorum Dei procedentibus per viam non cultus, semoto tamen dolo malo, & culpabili dilatione.

3. Ex quadam etiam æquitate, ne interdum scilicet contingat, Causas, Dei, atque hominum judicio, ceteroquin promoveri dignas, ex solo Testium de visu quandoque non culpabili defectu, jacere omnino, & perpetuo derelictas; præsertim cum neque raro, claris de cælo signis, & prodigiis audiatur Deus, hujusmodi defectu non attento, Amicum suum, ut superius ascendat, invitare: possit eadem subsidiaria probatio admitti & in Causis simplicium Dei Servorum, per viam non Cultus procedentibus; quando tamen non constiterit, primos auctoritate ordinaria Processus fuisse dolo malo, aut culpabili negligentia tamdiu dilatos, donec Testes de visu nulli superessent: & quando etiam, comperto ejusmodi Testium defectu, Sacræ tamen Congregationis consilio signata Causæ fuerit Commissio, & Literæ Remissoriales ad Processus auctoritate Apostolica faciendos expeditæ, nulla cum spe Testium de visu in ipsis audiendorum.

4. Formula suffragii ferendi in hisce Causis.

4. Atque in his causis deinde suffragium laturi, ubi ex dicta probatione subsidiaria, omnibus simul rite, & recte pensatis, talis, ac tanta (ipsorum judicio) exsurgat veri Martyrii, aut Virtutum heroicarum moralis, ut ajunt, certitudo, quæ non impossibile quidem, sed imprudens (ipsorum pariter sententia) reddat judicium de proposito; ne qua ex diversitate respondendi oriatur deinde sententiarum ambiguitas, hac ferme formula respondeant, seu rescribant: *Virtutes in gradu heroico, aut Martyrium ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora*, nimirum ad discussionem Miraculorum, in casu, & ad effectum de quo agitur.

5. In iisdem Causis admittenda tantum Miracula probata per Testes de visu; adeoque rejicienda ea omnia, quæ per Testes de auditu sunt probata.

5. Simul tamen, ne juris rigor in his Causis adhiberi nedum solitus, sed & necessarius, ullo pacto relaxetur; sed quod ex humano testimonio deerit, divino compensetur: miracula primum quidem quacumque in Causa sive Beatorum ad Canonizationem, sive Servorum Dei ad Beatificationem, non nisi ex Testibus de visu quoad substantiam approbentur; nulla ratione habita illorum, quæ in Processu ex solis Testibus de auditu deposita, & quantiscumque documentis confirmata perlegantur: cum nova alia subinde Miracula, Testibus de visu plene comprobata, possit quotidie, si Deus voluerit, supervenire.

6. In Causis Beatorum per viam Cultus immemorabilis procedentibus, probatis Virtutibus aut Martyrio per Testes de auditu adminiculatos, requiruntur pro Canonizatione quatuor Miracula per Testes de visu probata.

6. Deinde vero cum in Causis Beatorum per viam Cultus immemorabilis, aut indulti procedentibus, de stylo præsenti sit, ut approbato jam ex Testibus de auditu, ut supra dictum est, adminiculatis Martyrio, aut Virtutibus in gradu heroico, ex duobus deinde Miraculis ad solemnem eorum Canonizationem deveniatur; in posterum, non duo, ut hactenus, sed quatuor ad eorum Canonizationem probari debeant Miracula; & quidem, ut dictum est, ex Testibus de visu.

7. In Causis vero Servorum Dei procedentibus per viam non Cultus, probatis Virtutibus, aut Martyrio per Testes de visu, duo pro Beatificatione requiruntur Miracula: sed, si Testes sint de auditu, quatuor pro Beatificatione, & duo pro Canonizatione Miracula sunt approbanda.

7. In Causis autem simplicium Servorum Dei procedentibus per viam non Cultus, servetur, qui jam pridem invaluit, mos, ut probatis ex Testibus de visu Virtutibus: ex duobus deinde Miraculis ad Beatificationem procedatur. At ubi Virtutes, aut Martyrium ex Testibus de auditu, ut supra, fuerint probatæ; non duo, ut hactenus, sed quatuor omnino ad Beatificationem, ac deinde duo alia post illam facta, ut moris est, ad eorum Canonizationem, ex Testibus pariter de visu, debeant approbari. Atque ita servandum Sanctitas Sua censuit, decrevit, & mandavit hac die 23. Aprilis 1741.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secretarius.

SECUNDUM DECRETUM GENERALE.

23. Apr. 1741.

De non miscendis, seu complicandis, in Causis non Martyrum, Virtutum, & Miraculorum dubiis, imo neque transponendis, aut differendis, ut, suspensa resolutione super Virtutibus, ad miracula explicanda procedatur.

CUM in causis non Martyrum dubium super Virtutibus discutiendum proponitur, usuvenire nonnunquam solet, ut difficultates occurrant vel ex defectu probationum, vel ex actuum qualitate petitæ, ob quas ancipites hæreant Consultores, & quid statuere eos oporteat, ignorent. In his casibus eorum nonnullis suaserunt, ut ad miraculorum discussionem procederetur. Imo in causa Viterbien. Beatificat., & Canon. Servæ Dei Sororis Hyacinthæ de Marescottis sub Clemente XI. anno 1712. Postulatores petierunt, ut suspensa deliberatione super virtutibus, transitus fieret ad miraculorum examen; & in causa Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal sub Clemente XII. anno 1730. Postulatores enixe rogarunt, ut una cum virtutum dubio dubium de miraculis proponeretur. Verum cum id judiciali causarum istarum ordini adversetur, in utroque casu Sacra Congregatio, utroque approbante Pontifice, petitionem rejecit, uti ostendimus lib. 2. cap. ult. n. 9. Cum tamen anno 1742. proposito in Congregatione præparatoria dubio virtutum Servi Dei Cardinalis de Aretio, relatum nobis a Congregationis Secretario fuisse, Consultorum suffragia eo iterum collimasse, ut facultas a nobis daretur proponendi dubium de virtutibus una cum dubio de miraculis; Nos, re mature considerata, veræ, & antiquæ Sacræ Congregationis praxi adhærentes, sequens generale edidimus decretum.

DECRETUM

NEAPOLITANA BEATIFICATIONIS, ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI PAULI BURALIS

Cardinalis de Aretio nuncupati ex Clericis Regularibus Theatinis,

Rogatur Pontifex ut in causa Ven. Servi Dei Pauli Buralis licentiam det miracula una cum virtutibus proponendi, & expendendi.

RElato per me infrascriptum Secretarium consilio plerumque Consultorum in Congregatione Præparatoria super Virtutibus Venerabilis Servi Dei PAULI BURALIS Cardinalis de Aretio nuncupati die tertia currentis Aprilis expetentium, ut ad Judicium de Virtutibus ejusdem Servi Dei certius ferendum, ex Indulto Pontificio liceret Miracula quoque una cum Virtutibus proponi, simul & expendi; Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS Papa XIV. ad mentem Congregationis Generalis in simili Causa coram felicis recordationis Clemente Papa XI. habitæ jam die 6. Decembris 1712. sibi tunc Promotori Fidei optime perspectam, respondit: In Causis non Martyrum, cum ex veteri Sedis Apostolicæ instituto, ac more Majorum in Bullis Summorum Pontificum nobis expresso, & commendato, Canonizandorum Sanctitas, seu Virtutes in gradu heroico debeant utroque, hominis videlicet per se, ac Dei per Miracula loquentis testimonio probari, rite, atque ordinate procedendo, non prius esse de Divino testimonio quærendum, quam humano satis (quantum est ex hac parte) constiterit probari: ad differentiam doctrinæ, seu Mysteriorum Fidei, quæ sicut humano nequeunt ingenio comprehendi, ita Divino potius, quam humano, petunt testimonio confirmari, juxta illud Marc. videlicet: Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Itaque non esse in hac, aut alia Causa simili, ullatenus miscenda, seu complicanda Virtutum, & Miraculorum Dubia, sed separatim, ac successive proponenda, immo nec transponenda esse, aut differenda, *ut suspensa resolutione super Virtutibus, ad Miracula expendenda procedatur.* At-

Petitam licentiam negat Pontifex & generaliter statuit, in causis non Martyrum complicando non esse, sed successive pro-

que

ponenda virtutum, ac miraculorum dubia. 10. Apr. 1742.

que ita Sanctites Sua in Causis non Martyrum servari mandavit. Hac die 10. Aprilis 1742.

F. Jo. A. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco † Sigilli.

Th. Pateiarcha Hietosolymit.
S. R. C. Secret.

TERTIUM DECRETUM GENERALE.

Miracula in Ceusis Canonizationis, procedentibus per viem casus excepti, dici debent secuta post indultam venerationem, si secuta sint post primam cultus concessionem, eut post complementum centenarii cultus, entequam de eodem prolata sit sententia.

STATUERAT Clemens IX. die 10. Septembris 1668., at in Causis Canonizationis sive procedentibus per viam non cultus, sive per viam casus excepti, discutienda dumtaxat proponereatur miracula, qua post indulsam venerationem supervenerunt. Ortam hiac duxerunt controversia inter Fidei Promotorem, & Postulatores in Causis procedentibus per viam Casus excepti, nimirum vel Cultus ab Apostolica Sede per speciales concessiones indulti, vel Cultus publici per spatium centum annorum continuati, quænam videlicet miracula censenda sint secuta post indultam venerationem? Contendebat Fidei Promotor, miracula non posse dici secuta post indultam venerationem, idest post primam Apostolicam concessionem, si alia amplior sit, subsecata, neque post centenariam completam, nisi secata sint post sententiam approbativam Cultus publici a Sacra Congregatione confirmatam. Excipiebant Postulatores, dicenda esse secuta post indultam venerationem, si secuta sint vel post primam Apostolicam Cultus concessionem, etiamsi alia amplior sit subsecuta, vel post completum tempus 100. annorum publici cultus, etiamsi ante sententiam prædicti Cultus approbativam contigerint. Plures in his causis super hac controversia a Sanctorum Rituum Congregatione resolutiones prodiere Postulatoram intentioni favorabiles, uti ostendimus lib. 2. cap. 21., & nullum unquam prodierat generale Decretum. Cum autem in Causa Canonizationis B. Petri Regolati exorta iterum hæc difficultas fuisset; Nos die 15. Maji 1743. Decretum edidimus favorabile Postulatorum positioni. Mox eadem causa coram Nobis proposita die 2. Junii 1744. in Congregatione generali, auditisque Cardinalium, & Consultorum suffragiis, ad aliud tempus sententiam nostram dicere distulimus, donec die 14. Julii ejusdem anni post celebratum Missæ Sacrificium in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Ara-Cæli, duplex edidimus Decretum, in quorum primo duo miracula ex propositis approbavimus ad effectum Canonizationis; in altero vero, quod generale esse voluimus, decrevimus, miracula dicenda esse secuta post indultam venerationem, adeoque habendam de iis esse rationem in ordine ad Canonizationem, si secuta sint post primam Cultus concessionem, etiamsi amplior postmodum concessio sit subsecuta; vel si secuta sint post centenarii Cultus complementum, etiam antequam sententia de eodem prolata sit.

Ea Decretorum verba.

DECRETUM

OXOMEN. CANONIZATIONIS BEATI PETRI REGALATI

Ordinis Minorum, apud Hispanos Regularis Observantiæ Sancti Francisci Restauratoris.

1. Ob geminas difficultates excitatas Postulato-

1. CUM, præmissis de jure, & praxi Sedis Apostolicæ præmittendis, Causa Canonizationis Beati Petri Regalati eo redacta esset, ut de Miraculis agendum esset pro Canonizatione ob- *Acta & Decr. Canoniz.* tinenda necessariis, hinæque fuissent excitatæ difficultates ad ordinem judicii pertinentes, quarum altera in eo consistebat, an pro obtinenda hujus Beati Canonizatione duo sufficerent Miracula post indultam venerationem supereventa juxta antiquiorem praxim Sacræ Congregationis, vel potius quatuor essent necessaria ad tramites Decreti a Sanctissimo Domino nostro editi die 13. Aprilis 1741. pro Causis procedentibus per viam casus excepti e Decretis Urbani VIII. & in quibus præcessit approbatio virtutum, non per testes de visu, sed per testes de auditu, & probationes subsidiarias; altera in eo sita erat, an pro obtinenda Canonizatione Beati Petri Regaleti posset haberi ratio revocationis ad vitam puerili Joannis Reinoso, qui lapsus in publicum fontem, sub equa mortuus dicebatur, & invocato eb edstantibus Beato Petro Regalato resuscitatus ferebatur, ex quo videlicet factum contigerat anno 1617. & sic ante annum 1683. in quo sententia prodiit Cultus immemorabilis approbativa. Postulatores necessarium esse existimaverunt ad Sanctissimum Dominum Nostrum supplicem habere recursum.

res ad Pontificem recurrunt.

2. Utrinque difficultati per favorabile Pontificis responsum occurritur.

e. Cumque Sanctitas Sua, omnibus mature perpensis, Decretum ediderit die 2. Augusti 1741. in quo declaravit, Causam Beati Petri Regalati non esse comprehensam sub suo antecedenti memorato Decreto diei 23. Aprilis 1741. & pro ea sufficere debere bina Miracule secuta post indultam venerationem, ex quo videlicet ex Sacræ Congregationis Regestis deprehensum est, quod ad Virtutum approbationem factam die 16. Novembris 1630. processum est prævia approbatione, non duorum, sed quatuor Miraculorum, editoque alio Decreto die 15. Maii 1743. declaraverit, posse haberi rationem efferti Miraculi secuti anno 1617. Pro obtinenda Canonizatione, si prævia discussione illud approbari contingeret, ex quo videlicet etsi secutum esset post sententiam prolatam anno 1683. super Cultu immemorabili, vel centenario, secutum tamen dici debebat post indultam venerationem, hoc est post centenarii Cultus complementum, utpote initium docentis ab anno 1456. in quo Beatus pie in Domino obiit, sublatis hisce difficultatibus, inoffenso pede deventum est ad disputationem consecuti Dubii, *An, & de quibus Miraculis constet in causa, & ad effectum, de quo agitur.*

Proponitur dubium, an, & de quibus miraculis constet.

3. In tribus Congregationibus rejicitur asserta resuscitatio cujusdam pueri ob defectum sufficientis probationis, sed duo alia miracula approbantur.

3. Juxta Sacræ Congregationis praxim, ter de eo actum est, primo in Congregatione Antepræparatoria habita in ædibus Cardinalis Ponentis die 30. Aprilis 1743.: secundo in Congregatione Præparatoria habita die 21. Januarii currentis anni 1744. & tertio in congregatione Generali coram Sanctitate Sua die 2. Junii mox elapsi, & in prædictis tribus Congregatinoibus propositis variis difficultatibus adversus assertam resuscitationem pueri Joannis Reinoso, nullatenus desumptis ex eo quod factum secutum esset ante indultam venerationem, sed ex alio capite, defectus videlicet sufficientis probationis, suffragia tum Consultorum, tum Cardinalium, in duorum sequentium Miraculorum approbationem conspirarunt:

4. Primum miraculum approbatum.

4. Alterum in ordinem secundum, quod anno 1705. accidit in persona Sacerdotis Didaci de Placentia, qui comitiali morbo habitualiter laborans, vehementique epileptico paroxismo correptus, cum in foculare propriæ domus prunis ardentibus undequaque refertum cecidisset, & ollam ferventis aquæ plenam invertisset, combusto vultu, caligatisque oculis cæcus omnino factus, in eo miserabili statu cum per plures menses permansisset, nec ei ullo modo profuisset cura palliativa a Medicis adhibita, qui de recuperatione visus desperabant, implorata Beati Petri Regalati ope, admotoque oculis ejusdem Beati Caputio, potentiam visivam in eo instanti perfecte recuperavit, & acutiori, quam antea, oculorum acie toto, quo supervixit, tempore, præditus est.

5. Secundum miraculum approbatum.

5. Alterum in ordine decimum contigit anno 1737. in persona Birgittæ Ortegæ, cui in sinistra lumborum regione post diu passos nefriticos dolores tumor erupit. A tumore, uti dicunt, suppurato, Chirurgique manu aperto graveolens sanies ad eminas quinque profluxit, majori fluxura quantitate,

nisi peritus procedens juxta regulam artis inhibuisset. Superstes ulcus vicinas corrupit costas, quas axtrahere oportuit, & ideo perenni puris exitu sa se dimisit, ut renes inter viscera recondiri a perito curante viderentur. Post longam, & operosam medicationem, ulcus transivit in altam fistulam, quam iotactam periti relinquere decreverunt; & interea febris, & continui affectæ partis dolores non deerant. Vulgara miraculorum fama, quæ ad intercessionem Beati Petri Regalati omnipotens Deus operari dignabatue, Birgitta sacras ejus Lipsanas, quæ in Templo a patria sede sex leucarum spatio distante custodiebantur, statuit visitare. Cumque eas pio mentis affectu esser veoerata, & repetitis precibus tum de mane, tum de sero, se intercessioni Beati commendasset, & nocte immedtante sequenti placide, quod nunquam antea factum fuerat, somnum habuisset, arrepto die sequenti itinere pro reditu ad patriam, ex equo descendens, nulloque amplius correpta dolore, exclamans ait, se jam esse sanatam: cumque maritus itineris comes, & professione Chirurgus, fistulam visitasset, eam invenit perfecte consolidatam, reunitam, modica tantum superstite parva cicatrice, ita ut reassumptis a Birgitta in instanti viribus, ea omnia statim adimpleverit, quæ sana facere consueverat, & in eodem prospero statu permansetit, usquequo vixit.

6. *Duo memorata miracula tertii generis approbantur a Pontifice ad effectum Canonizationis.*

6. Interfuit Sanctissimus memorate Congregationi Generali; cumque in ea quidquid in suffragiis Consultorum antea diligenter legerat, diligentee retulisset, sententias Cardinalium audivit. Quibus auditis, ait se petere tempus, ut novas adhiberer diligentias, &, quod præcipuum erat, ut a Deo lumen, & auxilium imploraret. Quibus adimpletis, accitisque tum PP. Fidei Promotore, tum me infscripto Sacræ Congregationis Rituum Secretario, post celebratum Missæ Sacrificium in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Ara-Cæli hac dia Sancto Bonaventuræ, Sacri Cardinalium Collegii, & Seraphicæ Religionis illustri ornamento dicata, respondens Dubio proposito, pronunciavit, *Constare de supradicto miraculo in ordine secundo, & de supradicto alia miraculo in ordine decimo, tamquam miraculis tertii generis ad effectum Canonizationis*, & Decretum hoc publicari mandavit. Hac die 24. Julii 1744.

C. Card. De Marinis Præfectus.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secretarius.

DECRETUM GENERALE.

1. *Dua Urbani VIII. Decreta vetantia publicum cultum erga non beatificatos, neque canonizatos.*

1. POSTQUAM sanctæ memoriæ Urbanus Papa VIII. die 13. Martii 1625. prohibuit exhibitionem publici Cultus erga eos Dei Servos, qui nec fuerant beatificati, nec a Sede Apostolica canonizati, addita declaratione, quod non intendebat, per hoc ullum præjodicium inferre iis Dei Servis, qui vel ex indulto Summorum Pontificum, aut Sacræ Congregationis permissione, vel per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur; idemque Summus Pontifex die 5. Julii 1634. in suis Litteris Apostolicis in forma brevis expeditis antedictum Decretum solemniter confirmavit, & pro firmiori ejus executione statuit, quod in Causis procedentibus per viam casus excepti, hoc est cultus publici exhibiti altero ex modis supea enunciatis, ferri aote omnia deberet sententia a Judice Ordinario, vel a Judice Delegato a Sede Apostolica, a Sacrorum deinde Rituum Congregatione confirmanda, super prædicto cultu, declaravitque, longissimum tempus, & illius immemorabilem cursum, de quo in antecedenti enunciato Decreto, intelligendum esse tempus centum annorum metam excedens.

2. *Congregatio Rituum statuit pro complemento centenariæ publici cultus non esse attendenda gesta post decreta Urbani VIII.*

2. Item postquam a Sacrorum Rituum Congregatione dia 23. Martii 1652. pro regula firmatum ast, pro complemento dictæ centenariæ non esse attendenda gesta post eadem Decreta, hoc est post annum 1634. in quo prodierunt Literæ Apostolicæ supradictæ Urbani VIII. ita ut centenaria in re, de qua nunc agitur, debeat esse completa anno 1633. juxta plene relata, & discussa *lib. 2. de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione cap. 22.* edito a Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO Papa XIV. *& in Appendice ad dictum tomum secundum*, in qua Decreta, & Constitutio Urbani referuntur;

3. *Clemens IX. decernit in causis Canonizationis discutienda tantum esse miracula, quæ post indultam venerationem supervenerunt.*

3. Postquam demum a sanctæ memoriæ Clemente Papa IX. die 10. Septembris 1668. decretum ast, ut in causis Canonizationis, sive procedentibus per viam non Cultus, sive per viam Casus excepti a Decretis Urbani VIII. proponi deberent, & discuti, & ad Juris trutinam redigi Miracula, quæ post indultam venerationem supervenerunt, ut ex iis constare possit, num Sedes Apostolica tuto valeat ad solemnem Canonizationem juxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum, & Canonicas sanctiones devenire, juxta ea, quæ plene habentur *in citato Opere de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione lib. 1. cap. 25.* controversiæ exortæ fuor inter Fidei Promotorem, & Postulatores, in Causis procedentibus per viam Casus excepti, hoc est vel Cultus indulti ab Apostolica Sede pee speciales concessiones, vel dependenter a Cultu publico per spatium centum annorum continuato, juxta ea, quæ supra dicta sunt, quænam Miracula censeri debeant secuta post indultam venerationem, contendente Fidei Promotore, Miraculum non posse dici secutum post indultam venerationem, hoc est post primam Apostolicam concessionem, si alia amplior subsecuta sit, nec Miraculum dici posse secutum post indultam Venerationem, si secutum sit post completam centenariam, cum pro hujusmodi effectu opus sit, ut sit secutum post sententiam Cultus publici appeobativam a Sacra Congregatione confirmatam, & excipientibus Postulatoribus, Miracula dicenda esse secuta post indultam venerationem, si secuta sint vel post peimam Apostolicam Cultus concessionem, etiamsi alia amplior subsecuta sit, vel si contigerint post completum tempus centum annorum publici Cultus, etiamsi contigerint ante sententiam prædicti Cultus approbativam.

Controversia orta est, quænam miracula dicenda sint secuta post indultam venerationem.

4. *Miracula dicuntur secuta post indultam venerationem si secuta sint post primam cultus concessionem, licet amplior concessio sit subsecuta.*

Porro licet super hisce controversiis plures in casibus propositis a Sacrorum Rituum Congregatione resolutiones prodierint semper favorabiles intentioni Postulatorum, juxta ea quæ plene habentur *in citato Opere l. 2. cap. 21.* cum tamen hucusque super eis nullum prodierit Generale Decretum, Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS PAPA XIV. statuendum censuit, prout præsenti Generali Decreto statuit. Miracula dici debere secuta post indultam venerationem, & sic de eis habendam esse rationem in ordine ad Canonizationem, si secuta sint post peimam Cultus concessionem, etiamsi amplior concessio postmodum subsecuta sit, cum aliud sit veneratio, aliud augmentum venerationis, vel si secuta sint post complementum centenarii Cultus, antequam sententia de eodem prolata sit, cum sententia super Casu excepto nihil novi importet, sed declaret, Cultum Publicum fuisse exhibitum per annos centum ante Urbanam Constitutionem, & de interventu Apostolicæ auctoritatis, etiam præcisive a sententia, dubitandum non sit, cum Summus Pontifex Urbanus VIII. tum in citatis Decretis, tum in Constitutione allegata protestatus sit, uti supra visum est, se nullum vella præjudicium afferre hisce Dei Servis, quibus per centenarium completum annorum numerum Cultus publicus antea fuisset exhibitus. In quorum omnium fidem ego infrascriptus Sacræ Congregationis Rituum Secretarius, præsens Decretum propria manu subscripsi, & mandato Sanctissimi Domini Nostri obtemperans inter Regesta Sacræ Congregationis retuli, & in publicis locis Urbis more solito affigendum curavi. Hac die 14. Julii 1744.

Vel si secuta sint post centenarii cultus complementum, etiam antequam sententia de eodem prolata sit.

C. Card. de Marinis Præfectus.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secretarius.

QUAR-

QUARTUM DECRETUM GENERALE.

Plura statuuntur ad rectam Causarum Beatificationis, & Canonizationis discussionem opportuna ac necessaria.

CUM in generali Sacrorum Rituum Congregatione die 13. Maii 1749. in Causa Beatificationis, seu Declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Andreæ Bobola Soc. Jesu propositum coram Nobis fuisse dubium super Martyrio, & causa Martyrii, *necnon super signis, seu miraculis; Nos auditis Cardinalium sententiis (Consultorum enim suffragia jam antea ad nos in scriptis transmissa sedulo legeramus) ad aliud tempus, ut divinam imploremus opem, ac rem maturius discuteremus, Decretum edere distulimus. Tandem die 22. Maii ejusdem anni Decretum edidimus, in quo statuimus non constare de Martyrio, & causa Martyrii per directas probationes, videlicet per testes de visu contestes idoneos, & aptos: Indulsimus tamen ejusdem causæ Postulatoribus, ut in Generali Sacrorum Rituum Congregatione proponere iterum possent idem dubium, & causam prosequi per probationes subsidiarias in genere suo perfectas super martyrio, & causa martyrii, dummodo quoad examen, & numerum, nempe non duorum, sed quatuor miraculorum, servaretur forma generalis nostri Decreti editi die 23. Aprilis 1741. Præterea iisdem Postulatoribus injunximus primo, ut docerent vel de judicio completo super fama Martyrii in genere, vel de obtenta Pontificia a prædicto judicio dispensatione: secundo ut novas adhiberent diligentias in archivio Domus Professæ Soc. Jesu in urbe pro reperienda relatione de morte P. Bobolæ, & P. Simeonis Maffon, quam P. Generalis requisierat a P. Provinciali, & quæ transmissa præsumitur, servatis servandis, omnibusque impletis, quæ præstita a Nobis fuere, dum in muneribus Promotoris Fidei munere fungebamur, in causa tunc Ven. Servi Dei, nunc S. Joannis Francisci Regis Soc. Jesu.*

Cum autem aliqua Nobis occurrerent, quæ ad rectam causarum Beatificationis, & Canonizationis discussionem opportuna, ac necessaria videbantur; eadem hac occasione decernere non prætermisimus, præfatoque Decreta ita inserere, ut servari omnino deberent in posterum, ac Decreti generalis vim obtinerent. Ea vero quatuor omnino sunt. I. statuimus, ut Factum Concordatum, quod antequam causa Beatificationis, & Canonizationis in Generali Sacrorum Rituum Congregatione coram Summo Pontifice proponatur, a Cardinali causæ Relatore edendum est, & in quo juridica potius causæ series est exponenda, non edatur in posterum, nisi extractis in authentica forma ex regestis Congregationis Sacrorum Rituum omnibus, & singulis Decretis editis in causa, de qua agitur, eorum tenor duntaxat in Facto Concordato inseratur, & nisi dictum Factum etiam a Fidei Promotore fuerit approbatum. II. cum scribentes in causis Beatificationum, & Canonizationum sæpe præteritarum causarum jam resolutarum exemplis utatur desumptis ex Animadversionibus Fidei Promotorum, nulla tamen facta mentione responsionum, quæ a Postulatoribus datæ sunt, & a Sacra Congregatione approbatæ; statuimus, ut Fidei Promotor in posterum de hujusmodi exemplorum abusu, quatenus adsit, voce, & si opus sit, etiam scripto, certiores faciat tam Consultores, tam Cardinales, III. cum in discussione dubii super Martyrio, ac fama Martyrii, & probatione tormentorum, ac mortis a Tyrannis inflictæ Dei Servis, disputatum sæpe sit inter Consultores, an factum, quod ex separatis, licet continuatis, actibus coalescit, probatum dici possit per testes de visu, non contestes, sed singulares, etsi singularitate adminiculativa, ita ut ex. gr. eorum alter de captura deponat, alter de alapis, alter de vulneribus, & sic successive; Nos decrevimus, prædictos testes singulares præfata singularitate, simul conjunctos probare, sed probationem ex eis desumptam non esse undequaque plenam, ac sufficientem, ut consultor ei innixus respondere valeat, constare de Martyrio, & causa Martyrii. *IV. Cum in Martyrum causis a Romano Pontifice concedatur aliquando, ut una cum Martyrio, & causa Martyrii proponatur dubium de signis, & miraculis; statuimus, ut defectus probationum super dubio Martyrii, & causæ Martyrii in his causis ullo modo suppleatur dependenter a miraculis: quare qui judicium in his causis ferre debet, independenter a signis, & miraculis probatum censet Martyrium, causamque Martyrii, nedum super hoc, verum etiam sub dubio de miraculis judicium proferre tenetur; si vero Martyrium probatum non putat, aut solum dependenter a signis, & miraculis; a ferendo judicio de miraculis abstineat, ac solum respondeat*, non constare de Martyrio, & causa Martyrii. *Ea totius Decreti verba.*

DECRETUM

In Causa Polona seu Luceorien. Beatificationis, seu declarationis Martyrii

VENERABILIS SERVI DEI ANDREÆ BOBOLA

Sacerdotis Professi Societatis Jesu; nec non alia ad rectam Causarum Beatificationis, & Canonizationis discussionem opportuna, & necessaria.

1. CUM in Congregatione Generali Sacrorum Rituum habita coram Nobis *die* 13. *Maii currentis Anni* 1749. ad quam de more accessimus post sedulo ponderata suffragia Consultorum ad Nos in scriptis antecedenter transmissa, propositum fuerit sequens Dubium: *An constet de Martyrio, & Causa Martyrii, necnon de Signis, seu Miraculis in casu & ad effectum de quo agitur:* nec nullum tunc a Nobis fuerit prolatum Decretum, etsi in eadem Congregatione auribus nostris excepimus luculentas Reverendissimorum Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum super eodem Dubio sententias, post imploratam Divinam opem, adhibitasque secundas curas, Decretum tandem hac die edidimus tum pro accurata Causæ propositæ discussione, tum pro regula consimilium aliarum Causarum, quæ juxta morem Sanctæ Sedis hucusque illibate servatum, diligentissime sunt pertractandæ.

1. In Congregatione Generali proponitur dubium de Martyrio, & causa Martyrii, ac de signis, seu miraculis.

Pontifex decretum edit tum particulare tum generale.

2. Primo itaque, cum in Causa Venerabilis Servi Dei Andreæ Bobola ignoretur, an ante Processum super Martyrio in specie præcesserit Apostolicus Processus super fama Martyrii in genere; de eo enim nulla fit mentio in Facto Concordato, & ante Processus Apostolicos in specie præcedere debeat alter processus Apostolicus in genere, Congregationi Sacrorum Rituum exhibendus, & in ea discutiendus, una cum favorabili ejusdem Congregationis responso a Summo Pontifice approbando, sive de Causis Confessorum, sive de causis Martyrum, nisi Summus Pontifex a confectione dicti Processus in genere benigne dispenset, quæ dispensatio, etsi post Urbani VIII. Decreta non consueverit indulgeri in Causis Confessorum, aliquando tamen concessa non raro est in Causis Martyrum, prout a Nobis, inhærendo praxi Congregationis, late ostensum fuit in nostro Opere *De Canonizat. Sanctor. lib. 2. cap. 39. n. 3. & 4.* ut præsens Causa ad ulteriora progredi possit, opus est, ut vel doceatur de judicio super fama Martyrii in genere, completo, vel de obtenta Pontificia a prædicto judicio dispensatione.

2. Postulatores doceant vel de judicio super fama Martyrii in genere, completo, vel de obtenta Pontificia a prædicto judicio dispensatione.

3. Secundo, cum ex Archivio Domus Professæ Societatis Jesu hic in Urbe desumpta fuerit epistola Patris tunc Præpositi Generalis pertinens ad mortem Venerabilis Servi Dei Andreæ Bobola, in qua etsi dicat se non dubitare de ejus Martyrio, Patrem tamen Provincialem, qui de prædicta morte eum certiorem fecerat, admonet, ut accuratam transmittat relationem tum de ejus morte, tum etiam de morte P. Simeonis Maffon, & hinc necessitas derivaverit nedum exhibendi litteram Patris Provincialis scriptam Patri Generali, sed etiam requisitam ab eodem Patre Generali accuratam relationem, quæ præsumitur transmissa, & exhibitæ quidem fuerint nonnullæ præcedentes epistolæ ad Patrem Generalem scriptæ, & in quibus fit mentio mortis Ve-

3. In Archivio Domus Professæ S. J. in Urbe novæ fiant diligentiæ pro reperienda relatione mortis P. Bobola quæ a P. Provinciali ad P. Generalem transmissa præsumitur.

Venerabilis Servi Dei Andreæ Bobola, sed non fuerit exhibita accurata relatio ob eodem Patre Generali demandata, præcipimus, ut omnes fiant diligentiæ in eodem Archivio pro ea reperienda; servatis servandis, omnibusque adimpletis, quæ a Nobis adimpleta sunt, cum in minoribus Promotoris Fidei munere fungebamur, in Causa tunc Venerabili Servi Dei, nunc Sancti Joannis Francisci Regis Societatis Jesu Presbyteri, in qua multa, quæ Postulatores latuerant, diligenter pervoluto Archivio Domus Professæ inventa sunt, quæ favorabili resolutioni Dubii super Virtutibus profuerunt, prout etiam a Nobis fideliter expositum est in citato nostro Opere *De Canonizat. Sanctor. lib. 3. cap. 6. num. 16.*

4.
Pontifex decernit, non constare de Martyrio, & causa Martyrii per directas probationes.

4. Tertio, cum in præsenti Causa Venerabilis Servi Dei Andreæ Bobola totius Postulatorum conatus in eo fuerit, ut favorabile reportarent responsum super Martyrio, causaque Martyrii dependenter a probationibus directis, & per testes de visu, adminiculum deinde recipientes a testibus de auditu, in quo rerum themate tutum sperabant progressum ad solemnem Beatificationem ope duorum tantummodo miraculorum a Deo intercessione sui Servi, uti asserebatur, patratorum, inhærentes concordibus suffragiis Reverendissimorum Cardinalium & aliorum etiam Consultorum, decrevimus, non constare de Martyrio, & causa Martyrii per directas probationes, per testes videlicet de visu contestes idoneos, & aptos, juxta Congregationis praxim, & Sedis Apostolicæ institutum a Nobis expositum in citato nostro Opere *De Canonizat. Sanctor. lib. 3. cap. 5. num. 11. & num. 13.*

5.
Concedit tamen, ut in Generali Congregatione iterum causa discutiatur per probationes subsidiarias, dummodo quatuor miracula rite probentur.

5. Quarto, cum, deficientibus probationibus directis, Causa hæc ulteriorem progressum habere valeat dependenter a probationibus subsidiariis, quæ in genere suo perfectæ sint, dummodo tamen ad Beatificationem procedatur, non binis tantum, sed quatuor intervenientibus miraculis, juxta Generale Decretum a Nobis editum *die 23. Aprilis 1741.* relatum in citato nostro opere *De Canonizat. Sanctor. lib. 3. cap. 3. sub num. 25.* editionis Patavinæ, qua utimur, Postulatoribus Causæ Venerabilis Servi Dei Andreæ Bobola libenter indulgemus, ut in Generali Congregatione Sacrorum Rituum iterum proponere possit Dubium de Martyrio, & causa Martyrii, & de Signis, & Miraculis, & sic Causam prosequi per viam subsidiariæ probationis in ea parte, quæ Martyrium, & causam respicit Martyrii, servata tamen, quoad examen, & numerum Miraculorum, & Signorum, forma mox citati Decreti editi, uti diximus, *die 23. Aprilis 1741.*

6.
Factum concordatum non edatur, nisi approbatum etiam sit a Fidei Promotore, & tenorem contineat omnium decretorum editorum in causa, de qua agitur.

6. Quinto, cum ante propositionem Causarum Beatificationis, & Canonizationis in Congregatione Generali Sacrorum Rituum coram Summo Pontifice Factum, quod dicitur Concordatum, edatur a Cardinali Causæ Relatore, in quo totius Causæ judiciaria series exponenda est, ut ictu oculi videatur, an aliquid fuerit omissum, antiquum morem a Nobis semper retentum, dum Officio Fidei Promotoris in minoribus fungebamur, renovantes decernimus, non aliter ad editionem Facti Concordati esse in posterum procedendum, quam extractis in authentica forma ex Regestis Congregationis Sacrorum Rituum omnibus, & singulis Decretis in Causa, de qua agendum est, editis, item eorum tantummodo tenorem esse inserendum in Factum Concordatum, nec ad ejus editionem esse procedendum, nisi fuerit approbatum etiam a Fidei Promotore, cui præsefert nomen Facti Concordati, concordati videlicet inter Cardinalem Relatorem, & Fidei Promotorem.

7.
Fidei Promotor voce, & si opus sit, scripto Consultores, & Cardinales moneat de abusu exemplorum ex præteritis causis desumptorum.

7. Sexto, cum a Nobis quoque animadversum sit, Scribentes in Causis Beatificationum, & Canonizationum sæpe sæpius pro sui comprobatione assumpti, præteritarum Causarum jam resolutarum exemplis uti desumptis ex animadversionibus Fidei Promotorum, nulla facta mentione responsionum, quæ a Postulatoribus datæ sunt, & a Sacra Congregatione approbatæ, ex qua profecto re multa absurda derivare possunt, demandamus Fidei Promotori pro tempore, ut serio veritatem advertens, voce, & quatenus opus sit, scripto, certiores faciat tum Consultores, tum Cardinales de abusu, quatenus adsit, exemplorum, quæ Scribentes quandoque desumunt a præteritis Causis Beatificationum, & Canonizationum.

8.
Testes de visu singulares, licet singularitate adminiculativa, non satis probant, ita ut consulens respondere possit constare de Martyrio, & causa Martyrii.

8. Septimo, cum, occasione discussionis Dubii super Martyrio, & fama Martyrii, atque adeo probatione tormentorum, & mortis a tyrannis inflictæ Servis inter Martyres recensendis excitata sæpe fit inter Consultores disputatio, an factum, quod ex separatis, licet continuatis, actibus coalescit, probatum dici possit per testes de visu, non contestes, sed singulares, etsi singularitate, uti dicunt, adminiculativa, ex quo alter ex eis deponit de captura, alter exempli gratia de alapis impactis, alter de vulneribus, & sic successive, Nos omnem controversiam dirimere volentes, decernimus, prædictos testes singulares prædicta singularitate insimul conjunctos probare, sed probationem ex eis desumptam, non esse ondequaque plenam, & sufficientem, ut consulens, ei tonixus respondere valeat, constare de Martyrio, & causa Martyrii, uti passim videmus in criminalibus causis, in quibus agitur de pœna mortis irroganda, & quibus, quoad probationum robur, Causæ Beatificationis, & Canonizationis similes sunt, si etenim probandum est, non promotum ad Sacerdotium Missam celebrasse, quod atrox crimen punitur pœna traditionis brachio seculari, & unus testis deponat ad sacrum vestium indumento, alter de accessu ad Altare, alter de celebratione Missæ usque ad Præfationem, alter de continuatione usque ad finem, dictorum testium fit conjunctio, & ex ea consurgit probatio sufficiens quidem, ut reus tormentis subjiciatur pro eruenda confessione, sed non sufficiens, ut idem tradatur brachio seculari puniendus pœna mortis, juxta Apostolicam Constitutionem, quæ est 97. §. 3. & 4. *tom. 1.* nostri Bullarii.

9.
In causis Martyrum, in quibus cum Martyrio, & causa Martyrii proponitur dubium de signis, & miraculis, defectus probationum super Martyrio, & causa Martyrii suppleri nequit dependenter a miraculis.

9. Octavo, etsi nedum per Decretum editum a Sanctæ memoriæ Clemente XI. post accuratam discussionem *anno 1712.*, aliudque nostrum præcedentis confirmatorium Decretum editum *die 10. Aprilis 1742.* vetitum sit respondere, quod de Miraculis videatur, dum in Causis Confessorum agitur de Virtutibus, nec transitus fieri possit ad discussionem Miraculorum, nisi prolato post rem discussam in tribus Congregationibus judicio Virtutes approbante, juxta ea, quæ a Nobis deducta sunt in sæpe citato Opere *De Canonizat. Sanctor. lib. 1. cap. 27. num. 5. & num. 8.* cum tamen in Causis Martyrum tum a nostris Prædecessoribus, tum a Nobis ipsis concessum aliquando sit, ut una cum Martyrio, & causa Martyrii proponatur Dubium de Signis, & Miraculis, & hinc nonnulli ansam arripuerunt ferendi favorabile judicium super Martyrio, & causa Martyrii, suppleodo defectum probationum Martyrii ope Signorum, & Miraculorum, aut eorumdem ope difficultates obruendo, quæ Martyrium, causamque Martyrii obnubilant, præsenti nostro Decreto declaramus, conjunctionem Dubii de Signis, & Miraculis cum Dubio de Martyrio, & causa Martyrii ex dispensatione Pontificia ex duplici capite fieri, primo, quia, non minus operosæ sint Causæ Martyrum, in quibus tantum de Martyrio, & causa Martyrii inquiritur, quam Causæ Confessorum, in quibus tractatur de toto cursu vitæ hominis, id efficit, ut una cum Dubio Martyrii facile discutiendum assumi possit Dubium de Signis, & Miraculis: Secundo, quia, cum juxta vetus adagium Causæ Martyrum citius expediendæ sint, quam Causæ Confessorum, utriusque Dubii conjunctio celeriori expeditioni viam aperit; per eam etenim Martyris Beatificatio tribus tantum præcedentibus Congregationibus obtineri valet, quod nequit contingere in Causis Confessorum, in quibus Beatificatio non obtinetur, nisi sex præcedentibus Congregationibus, tribus videlicet super Virtutibus, & tribus super Miraculis. Ex hoc autem nullatenus inferri potest, quod supplementum probationum in Causis Confessorum super Dubio Virtutum a Miraculis desumendum ondequaque vetitum, permissum dici valeat in causis Martyrum, cum agitur de Martyrio, & causa Martyrii. Dubium de Martyrio, & causa Martyrii in Causis Martyrum æquipollet Dubio de Virtutibus in Cau-

fis

Qui probatum censet Martyrium causamque Martyrii, super eo, & super miraculis judicium ferat: qui vero, Martyrium non censet probatum, aut solum dependenter a miraculis,

fis Confessorum. Rursus, juxta constantem Sedis Apostolicæ disciplinam a Nobis late expeditam in citain Opere *De Canonizat. Sanctor.*, Causæ Martyrum exæquatæ sunt Causis Confessorum in eo, quod spectat ad Miracula, & numeeum Miraculorum, eorumque examen pro Beatificatione, & Canonizatione obtioenda. Quapropter, qui in Causa Martyris, in qua utriusque Dubii conjunctin concessa est, judicium ferre debet, si independenter a Signis, & miraculis probatum censet Martyrium, causamque martyrii, nedum super hoc, sed etiam super altero de Miraculis Dubio, judicium proferre tenetur. Ille vero, qui Martyrium non putat probatum, aut tantum dependenter a Signis, & Miraculis, a judicio de Miraculis ferendo abstinens, respondeat, non constare de Martyrio, & causa Martyrii.

respondeat tantum, non constare de Martyrio, & causa Martyrii. 22. Maii 1749.

10. Ultimo mandamus, ut hoc nostrum Decretum, quod manu nostra subscribimus, inter Regesta Congregationis Rituum asservetur, & quod ejus exemplar typis impressum tum Consultoribus, tum Reverendissimis Cardinalibus Sacrorum Rituum consignetur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 22. Maii 1749. Pontificatus Nostri Anno Nono.

BENEDICTUS PAPA XIV.

CAPUT II.

Decreta super Signatura Commissionis, & Remotione Obstativorum.

I. DECRETUM.

IN CAUSA VEN. SERVI DEI FRANCISCI DE CASTILLO S. J.

JUXTA recentiorem, rectumque Sacræ Rituum Congregationis usum, ante signaturam Commissionis facienda est operum a Dei Servo conscriptorum revisio, quorum tunc habeatur notitia, uti fuse docuimus lib. 2. c. 27. Verum cum aliquando contingat, ut dum vel opera, quæ scripta fuisse constat, sed non habentur, perquiruntur, vel eorum, quæ habentur, examen instituitur, probabile immineat periculum mortis Testium, qui sine prævia Commissionis signatura, ac literarum remissorialium expeditione examinari nequeunt; idcirco Summi Pontifices nonnumquam Commissionem signarunt ante operum revisionem, ut causæ alioquin perituræ remedium adhiberent, cum clausula tamen, ne confectis processionibus, nisi facto operum examine, ad ulteriora procederetur. Id nos quoque ad Summum Pontificatum evecti præstitimus in causa Ven. Servi Dei Francisci de Castillo Soc. Jesu, uti ex infrascripto Decreto, quod die 20. Februarii 1741. edidimus, perspicue patet,

DECRETUM

LIMANA VEN. SERVI DEI FRANCISCI DE CASTILLO S. J.

Series Actorum in causa Servi Dei.

PRoposita ex dispensatione Apostolica in tribus Congregationibus ordinariis Sacrorum Rituum absque interventu Consultorum habitis die 3. Octobris 1699., 26. Augusti 1702. & 12. Julii 1704. causa Beatificationis, & Canonizationis prædicti Ven. Servi Dei Francisci de Castillo super dubio, An sit signanda Commissio introductionis causæ in casu, & ad effectum &c. editoque in primis duabus rescripto, Dilata; & opuscula, de quibus agitur, omnino exhiberi mandavit; & ad mentem: & mens fuit, quod recognoscatur per alios Consultores Theologos per Eminentiss. Ponentem deputandos pars vitæ impressæ, & omissæ in ea jam distributa: tandem instantibus causæ Postulatoribus sub die 6. Septembris 1713. a Sacra Rituum Congregatione expeditæ fuerunt particulares literæ una cum instructione R. P. D. Fidei Promotoris, Reverendissimo Archiepiscopo Limano directæ pro perquirendis sequentibus opusculis, & manuscriptis Servi Dei, eo tunc non exhibitis, neque examini suppositis; nempe I. Quodam opusculo continente modum agendi gratias post sanctam Missam, Limæ impresso: II. Duobus formulariis continentibus modum particularem recitandi Rosarium Beatissimæ Virginis juxta quindecim mysteria, & secundum Divina attributa, pluries impressis: III. Quodam tractatu continente quædam exercitia; seu modum particularem habendi orationem, & contemplationem composita a Patre Antonio Ruitz de Montoja Societatis Jesu, cui titulus: *Pietra Focaja del Divin amore, a ratta attivo dell' anima &c.* Verum post lapsum plurium annorum a die expeditionis, & transmissionis ejusmodi literarum, deducto tandem ad notitiam eorumdem causæ Postulatorum in Urbe, præfatas literas ob locorum distantiam fuisse deperditas, neque Limam unquam pervenisse; idcirco, ne ulteriori mora probationes necessariæ, in processibus Apostolicis recipiendæ super heroicis virtutibus dicti Servi Dei, penitus perirent, Sanctissimo Domino nostro BENEDICTO XIV. humiliter supplicarunt; quatenus benigne indulgere dignaretur, quod juxta formam postremi rescripti Sacræ Congregationis examini primo loco supponatur dicta pars vitæ Servi Dei in processus compulsatæ, atque omissæ in ea jam distributa: deindeque, non obstante, quod hactenus perquisita, atque exhibita non sint alia superius enunciata opuscula, & manuscripta Servi Dei, procedatur ad examen, & resolutionem dubii super signatura Commissionis introductionis causæ, eaque signata relaxentur consuetæ literæ Remissoriales pro construendo processu Apostolico super Virtutibus, & Miraculis in specie, ne pereant probationes, cum solita facultate in eo examinandi tantum testes senes, valetudinarios, aut de proximo adfuturos. Et Sanctitas Sua, attentis motivis in supplici libello expositis, eorum petitioni benigne annuit, ea tamen sub conditione, quod eodem tempore, quo expediuntur literæ Remissoriales pro construendo dicto processu in specie, ne pereant probationes, relaxentur etiam aliæ literæ particulares cum R. P. D. Promotoris Fidei instructione pro perquirendis supradictis opusculis, & manuscriptis hactenus non exhibitis; quodque completo dicto processu, ne pereant probationes, atque ad Urbem delatum, idem clausus, & obsignatus asservetur in actis Notarii Sacræ Congregationis, neque aperiatur, donec expletum prius fuerit examen super dictis opusculis, & manuscriptis. Et ita servari mandavit, quibuscumque Decretis in contrarium disponentibus minime obstantibus. Die 20. Februarii 1741.

Opuscula Servi Dei perquirenda, & examini supponenda.

Literæ Sacræ Congregationis cum instructione Fidei Promotoris deperduntur.

Pontifex concedit literas Remissoriales pro construendo processu Apostolico, ne pereant probationes.

Jubet autem adhuc perquiri superius memorata opuscula.

Fr. J. Ant. Card. Guadagni Pro-Præfect.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus S. R. C. Secret.

DECRETUM II.

EDITUM IN CAUSA

VEN. SERVI DEI JOANNIS DE BRITTO

Soc. Jesu Sacerdotis.

CUM in Congregatione antepræparatoria, vel præparatoria Virtutes, seu Martyrium, & Causa Martyrii discutienda proponuntur, usuvenit aliquando, ut dubium aliquod excitetur, quo non resoluto, neque ad ulteriora procedi, neque a Consultoribus suffragium sive affirmativum, sive negativum ferri potest. In hoc rerum articulo instare Postulatores solent, ut ejusmodi dubium in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione, cui soli Cardinales intersunt, discutiatur. Nos quidem ad Summum Pontificatum evecti, quoties dubii materia fuit altioris indaginis, & ab aliquorum factorum cognitione penderet, quæ consultoribus ignota, Cardinalibus vero perspecta essent, Postulatorum instantiis indulgere non dubitavimus: imo ordinariæ Rituum Congregationi nos ipsi tunc interfuimus, licet moris sit, ut Summus Pontifex non intersit, sed Cardinalium sensus a præfatæ Congregationis Secretario eidem exponatur, ut illum approbare dignetur. Primum autem id indulsimus in Causa Ven. Servi Dei Joannis de Britto Soc. Jesu Sacerdotis. Cum enim Fidei Promotor in disputatione super Martyrio, & causa Martyrii opposuisset, Servum Dei usum fuisse in Missione Madurensi illarum regionum ritibus auctoritate Sedis Apostolicæ prohibitis; & oppositio a Clemente XII. ad Sanctæ Romanæ universalis Inquisitionis Congregationem remissa fuisset; nos eamdem ad ordinariam Rituum Congregationem coram Nobis habendam revocavimus. Auditis itaque die 22. Aprilis 1741. singulorum Cardinalium sententiis, & perlectis, expensisque Fidei Promotoris oppositionibus, nihil statuere voluimus, sed aliud temporis spatium ad rem plenius cognoscendam sumpsimus. Tandem re mature perpensa, ac Deo etiam enixe, & sæpius commendata, die 2. Julii ejusdem anni coram nobis accivimus Fidei Promotorem, & Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium, sacroque celebrato, decrevimus objectos a Fidei Promotore ritus non obstare, quominus in causa Ven. Servi Dei Joannis de Britto ad ulteriora procederetur, uti ex ipso decreto, quod subdimus, patebit uberius.

DECRETUM

MELIAPOREN. BEATIFICATIONIS, ET CANONIZATIONIS

VENERABILIS SERVI DEI JOANNIS DE BRITTO

Societatis Jesu Sacerdotis.

Servus Dei usus ritibus auctoritate Sedis Apostolicæ prohibitis.

OPposito in disputatione super Martyrio, & causa Martyrii Ven. Servi Dei Joannis de Britto per R. P. D. Fidei Promotorem, quod ille usus esset in Missione Madurensi ritibus illarum Regionum Auctoritate Sedis Apostolicæ prohibitis, & oppositione ad Congregationem Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis, in qua de prædictis Ritibus sæpius actum fuerat, a Felicis Recordationis Clemente Papa XII. remissa, mox autem justis, & gravibus de causis a Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO Papa XIV. ad Congregationem Ordinariam Sacrorum Rituum, sed coram Sanctitate Sua habendam revocata, in eaque *sub die* 22. *Aprilis proxime præteriti* proposito per Eminentissimum Dominum Sancti Clementis Cardinalem Albanum dubio cum dicto Promotore Fidei jam concordato: *An obstent objecti ritus, quo minus procedi possit ad ulteriora in causa, & ad effectum, de quo agitur*: Aliquibus Eminentissimorum Patrum eos Ritus obstare opinantibus, & quatenus non obstare diceretur, timentibus, ne ex progressu causæ ad ulteriora, ejusque favorabili resolutione, & subsequenti Servi Dei adscriptione primum inter Beatos, & deinde inter Sanctos, via aperiretur inobservantiæ Decretorum a Summis Pontificibus editorum, prædictosque Ritus proscribentium; Aliis vero censentibus prædictos Ritus obstare non debere, utpote adhibitos non utcumque a Dei Servo, sed prout a Sede Apostolica ad eam diem fuerant permissi, & quatenus modo vetito fuissent adhibiti, quod tamen non probatur, quemcumque reatum censeri procul dubio debere deletum per subsequens Martyrium, usumque prohibitum retractatum per retractationem, non atramento, sed sanguine scriptam:

Proponitur dubium an obstent dicti ritus, quominus procedi possit ad ulteriora.

Varia Cardinalium suffragia.

Idem Sanctissimus perlectis prædicti Promotoris oppositionibus, ac singulorum Cardinalium sententiis auditis, & expensis, etsi de hac omni controversia, super qua, dum ipse Fidei Promotoris munere fungeretur, in Congregatione Rituum opponere, occasione videlicet Judicii auctoritate Apostolica instituendi, signandæque (uti dicitur) Commissionis introductionis hujusce ipsius causæ, & dum quoque in minoribus degens, consultor in peculiari super his Ritibus Congregatione per san. mem. Clementem XI., & Innocentium XIII. deputata cognoscere, quin & referre pro veritate debuit, jam plane accessisset edoctus, sumpto nihilominus ad plenius adhuc cognoscendum, recognoscendum, ac desuper deliberandum spatio, tandem re mature perpensa, & Deo etiam enixe, ac sæpius commendata, accitis coram se R. P. D. Fidei Promotore, & me infrascripto Congregationis Sacrorum Rituum Secretario, hac die 2. Julii 1741. Sacro celebrato, respondit, & decrevit objectos a Fidei Promotore Ritus non obstare, quo minus in causa præsenti Venerabilis Servi Dei Joannis de Britto ad ulteriora procedatur, ad discussionem videlicet dubii super Martyrio, & causa Martyrii, nec non alterius dubii de signis, & miraculis, quæ ejus intercessione a Deo patrata dicuntur:

Pontifex decernit objectos ei ritus non obstare, quominus ad ulteriora procedatur.

Data Postulatoribus facultate, ut in aliis causis Martyrum sæpe factum est, proponendi in subsequentibus Congregationibus Sacrorum Rituum, dubium de signis, & miraculis, una cum dubio Martyrii, & causa Martyrii: Vetuitque sub pœnis arbitrio SANCTITATIS SUÆ, & ejus successorum infligendis, ne quis, vel nunc vel tractu temporis audeat ex præsenti Decreto inferre, aut arguere, eamdem SANCTITATEM SUAM a Constitutionibus Summorum Pontificum, suorum Prædecessorum, Clementis videlicet XI. Benedicti XIII., & Clementis XII. ritus prohibentibus voluisse recedere, aut recessisse; illis etenim inhærens, & præcipue Literis Apostolicis san. mem. Clementis XII. expeditis die 24. Augusti 1734. injungit, & mandat Episcopis, & Apostolicis Missionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Maissurensi, & Carnatensi, ut sanctissime custodiant, & ab omnibus servanda studiosissime curent, quæcumque in prædictis Apostolicis Litteris confirmata, decreta, aut præscripta fuerunt.

Dat facultatem, ut proponatur dubium de signis, & miraculis una cum dubio de Martyrio, & causa Martyrii.

Injungit observantiam Decretorum Pontificiorum circa prædictos ritus.

F. Jo. A. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymit.
S. R. C. Secret.

III. DECRETUM

IN CAUSA VEN. SERVÆ DEI JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL.

CUM in causa Ven. Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal dubium proponendum esset super virtutibus, opposuit Fidei Promotor amicitiam a Serva Dei contractam cum Maria Angelica Arnauld Portus Regii Abbatissa, communicationem habitam per literas cum Joanne Vergerio Abbate Sancirano, & suspicionem Quietismi ex ejusdem Servæ Dei scriptis desumptam. Harum oppositionum examen a Clemente XII. ad sacræ Inquisitionis Congregatio-

gationem remissum, Nos ad Ordinariam sacrorum Rituum Congregationem, coram Nobis habendam die 2. Septembris 1741. justis de causis revocavimus. In ea multa de causa, ipsiusque meritis, oppositisque exceptionibus, quæ omnia optime callebamus, disseruimus, & Cardinalium suffragia audivimus: at resolutionem ad aliam diem distulimus; donec die 10. Septembris ejusdem anni, nomini Beatissimæ Virginis Mariæ sacra, post imploratam divinam opem, celebratumque sacrosanctum Missæ Sacrificium, sequens edidimus Decretum.

DECRETUM

GEBENNEN. BEATIFICATIONIS, ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVÆ DEI JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT

De Chantal Fundatricis, primæ Monialis, & Superiorissæ Ordinis Monialium a Visitatione S. Mariæ nuncupatarum.

Oppositio Promotoris Fidei remissa ad Congregationem S. Inquisitionis, & revocata ad Congregationem Rituum coram Pontifice habendam.

EXcitata occasione dubii proponendi super heroicitate virtutum Theologalium, & Cardinalium Venerabilis Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal oppositione amicitiæ contractæ cum Maria Angelica Arnauld Portus Regii Abbatissa, & communicationis habitæ per literas cum Joanne Vergerio de Hauranne Abbate Sancirano, necnon suspicionis Quietismi ex scriptis ejusdem Venerabilis Servæ Dei desumptæ, & harum oppositionum examine a san. mem. Papa Clemente XII. remisso ad Congregationem sacræ Inquisitionis, justisque de causis a Sanctissimo Domino nostro revocato ab Congregationem ordinariam sacrorum Rituum coram Sanctitate sua habendam; propositoque in eadem Congregatione ordinaria sacrorum Rituum habita die 2. Septembris, cui idem Sanctissimus interfuit, ad relationem Eminentiss. Petri de Guerin Tituli SS. Neri, & Archilei Presbyteri Cardinalis de Tencin causæ Relatoris sequenti dubio cum R. P. Fidei Promotore jam concordato: An prætensa communicatio per Venerabilem Dei Servam habita, dum viveret, cum Abbate de Sancirano, & Maria Angelica Abbatissa Portus Regii, atque objectus Quietismus obstent, quominus procedi possit ad ulteriora in casu & ad effectum, de quo agitur: Licet Sanctitas suas satis instructa ad Congregationem accesserit tum ex iis, quæ olim fungens munere Fidei Promotoris scriptis exposuerat in causa S. Vincentii de Paulis, in qua eadem familiaritas, & amicitia cum antedicto Abbata de Sancirano fuerunt oppositæ, tum ex ceteris, quæ legerat in animadversionibus memorati R. P. Fidei Promotoris, & in responsionibus Postulatorum, auditisque Reverendiss. Cardinalium suffragiis, multa disseruerit de causa, & meritis ipsius, necnon de oppositis exceptionibus; distulit tamen propositi dubii resolutionem, ut interim Divinam opem imploraret. Post quæ accitis coram se R. P. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, & me infrascripto sacræ Rituum Congregationis Secretario hac die 10. Septembris, in qua festum celebratur nominis Beatiss. Virginis Mariæ, erga quam Venerabilis Dei Serva ferventissima devotione semper affecta fuit, post celebratum sacrosanctum Missæ sacrificium, inhærens Reverendiss. Cardinalium suffragantium sensui, sequens protulit decretum: Objectas videlicet oppositiones, de quibus in supradicto dubio, non obstare, quominus in causa Venerabilis Dei Servæ Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal ad ulteriora procedatur, ad discussionem videlicet dubii de virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus ipsius, in cujus discussione onus erit prædicti Fidei Promotoris, posthabitis omnino supradictis difficultatibus jam superatis, cetera prosequi, si quæ sint, quæ disputandarum virtutum fulgorem possint obscurare. Hac die, ut supra, 10. Septemb. 1741.

Pontifex statuit, prædictas oppositiones non obstare, quominus in causa Servæ Dei ad discussionem virtutum procedatur.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præfect.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus S. R. C. Secretarius.

IV. DECRETUM

IN CAUSA BEATIFICATIONIS

SERVI DEI JOANNIS DE AVILA

Magistri nuncupati.

DUM agitur de signatura Commissionis, si quod obstaculum a Fidei Promotore excitetur, serio illud perpendendum est, ut constet, an tantæ sit gravitatis, ut signaturam Commissionis impedire valeat, uti docuimus lib. 2. c. 36. a n. 14. Jam vero cum post nostram ad Summum Pontificatum assumptionem de signatura Commissionis ageretur in Causa Beatificationis Servi Dei Joannis de Avila Magistri nuncupati; Fidei Promotor opposuit, necessariam esse processus exhibitionem super ejus dictis, & gestis compilati in Tribunali Inquisitionis Hispaniarum, ad quod, cum viveret, delatus fuerat, ut videlicet perpendi posset, an aliquod in eo extaret obstaculum signaturæ Commissionis, vel aliquod famæ Sanctitatis oppositum. Jussimus proinde processum transmitti, transmissumque sedulo perlegimus: mox clausum remitti jussimus ad Hispanæ Inquisitionis Tribunal. Cum autem ex hujusmodi processu offensivo nihil contra Servum Dei probetur, aut probari possit; & ex defensivo ejus virtutum fulgor mirum in modum eluceat, Nos die 3. Aprilis 1742. sequens edidimus decretum.

DECRETUM

TOLETANA, SEU CORDUBEN. BEATIFICATIONIS, ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI JOANNIS DE AVILA

Magistri nuncupati.

Opponit Promotor Fidei processum a S. Inquisitione Hispale formatum adversus Servum Dei, & petit exhiberi.

CUM super dubio: *An signanda sit Commissio introductionis Causæ Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei Joannis de Avila Magistri nuncupati*, R. P. D. Promotor Fidei petierit exhiberi Processum Hispali formatum ad Tribunal S. Inquisitionis, ad quam ipse Servus Dei annum ætatis agens tunc trigesimum tertium delatus fuerat propter quasdam propositiones, quas quorundam partim inscitia, partim æmulatio, ac partim etiam malignitas ex piis ejus colloquiis, & concionibus ita exceperat, ut mala interpretatione in alienum a Catholica, & ipsius Fide sensum detorqueret: in quo Processu tametsi Servus Dei fuisset denique per definitivam, ut ex adverso afferebatur, Judicum sententiam absolutus, ac liber declaratus a delicto; fieri tamen fortasse poterat, ut per Testium depositiones Virtutum ejus fulgor obnubilatus remaneret, ac proinde agi de illo ulterius inter Beatos, aut Sanctos rite referendo nequaquam expediret: prædictæ vero Inquisitionis Tribunal, agente, ac tum apud ipsum, tum apud SS. D. N. BENEDICTUM PAPAM XIV. enixe, ac diligenter instante Canonico Martino Barzia dictæ Beatificationis, & Canonizationis Postulatore, ac Sanctitatis Suæ Cubiculario, ut vocant, honorario, cognita memorati Promotoris justa petitione, Processum omnem in forma authentica eidem Sanctissimo prompte, atque humiliter submiserit videndum, & considerandum: Sanctitas Sua, visis, & consideratis per se omnibus videndis, & considerandis, non minus æquis Judicum sententiis, quam ipsius Servi Dei modestis, ac sapientibus ses-

Sacrum Tribunal transmittit Pontifici eumdem processum.

Pontifex tum offensivum, tum defensivum processum legit.

responsis delectatus, postremo declarandum censuit, & declarat, Servum Dei Joannem de Avila, tunc Baccalaureum, ac Magistrum postea nuncupatum die 5. Junii 1533. fuisse definitiva omnium Judicum sententia, nemine discrepante, absolutum ab eo judicio, atque immunem a delicto declaratum; injuncto duntaxat, ut (cum ex Apostolo sapientibus, & insipientibus debitor esset) suis deinde in Concionibus, & colloquiis maxima quam posset cautela, & circumspectione uteretur, & quasdam propositiones, ubi prædicaverat, ita explicaret, ut nullum in iis errorem fuisse, aut esse, populus etiam rudis intelligeret, ac nulla vel pusillis occasio scandali ex superseminaris per inimicum hominem pravæ interpretationis, atque intelligentiæ zizaniis superesset. Ad hæc ex Processu offensivo, nihil contra ipsum, eorumdem Judicum sententia, probatum esse, nec probari. Ex Processu autem defensivo non modo Virtutum ejus fulgorem non esse obnubilatum, aut obnubilari; verum etiam clarius relucere, concordi multorum testimonio, qui de ipsarum quoque peculiaribus Virtutum actibus testantur. Quales sunt mœror ingens ex offensa Dei, ac zelus ardens animarum, ut plures vel una die conciones ferventissimas haberet; ex quibus, & ex privatis etiam colloquiis, admonitionibus, exhortationibus, conciliis, assiduaque Confessionum auditione, Sacramentorum usus frequens, & Doctrinæ Christianæ passim inductus, pax inter inimicos conciliata, mali ad bonam, & boni ad meliorem vitam magno numero traducti, alea, concubinatus, blasphemiæ, aliaque hujusmodi publica vitia, & scandala sublata. Charitas in proximum, præsertim vero pauperem, tanta, ut laneam, quam ipse habebat, vestem egenti Clerico tribuerit, stamina sibi per gelidam hyemem retenta; & publicos etiam quæstus sustentandis pauperibus, puellis honeste maritandis, alendisque ad studia Sacrarum Literarum Clericis egenis instituerit. Amor quoque paupertatis Evangelicæ tantus, exponendi sine sumptu Evangelii, ut pro Missis, aut concionibus stipendia, donaque ultro missa non admitteret: vestes prope laceras portaret; utpote novum acciperet bisetum, fuerit illi vetus illud suum, tritum, & honesto Sacerdoti jam non utile, dum Missam celebraret, furtim subtrahendum. Humilitas Christiana, ut secessum, ac latebras amaret, & nec vile mancipium stare coram se, nec nomen suum operibus, quæ faciebat, apponi pateretur. Linguæ custodia, ut nullum ex ejus ore verbum prodiret vel otiosum; murmurantibus autem, aut alias obloquentibus obstreperet. Patientia in adversis, & mansuetudo, ut vel injuria provocatus obmutesceret. Fama denique Sanctitatis, vitæque tenor adeo exemplaris, ut aliis exemplo ad virtutem præluceret, ac magnus olim in Cælo vocandus jam tum crederetur, quippe qui faceret simul, & doceret. Quibus ex officio, & pro æquitate, ut par erat, declaratis, Processum hujusmodi clausum Sanctitas Sua sacrum ad Tribunal in Hispaniam remitti, neque aliud quidpiam ex illo amplius a Fidei Promotoribus requisi mandavit hac die 3. Apr. 1742.

Ex processu offensivo nihil probatur contra Servum Dei, ex defensivo vero clarius Servi Dei virtutes elucent.

Processus remittitur clausus ad Tribunal in Hispaniam.

Fr. J. Ant. Card. Guadagni Pro-Præfect.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secret.

V. DECRETUM

IN CAUSA VEN. SERVI DEI INNOCENTII XI.

IN Causa Ven. Servi Dei Innocentii XI., cum ad examen virtutum in specie deveniendum esset, multa opposuit Fidei Promotor deducta ex iis, quæ a servo Dei gesta præsumuntur in statu Prælaturæ, Cardinalatus, & Pontificatus. Horum examen particulari Congregationi commiserat Clemens XII. At Nos examen hujusmodi ad ordinariam Sac. Rituum Congregationem coram Nobis habendam die 1. Augusti 1744. revocavimus; in qua unanimis Cardinalium consensus fuit, præfatas oppositiones non obstare, quominus in causa ad ulteriora procedi posset. Nos autem multa præterea addidimus argumenta validissima, quibus excitatæ oppositiones omnino diluerentur, & quæ omissa a Postulatoribus fuerant. Tandem Cardinalium responsum die 8. Augusti ejusdem anni approbantes, sequens Decretum edidimus.

DECRETUM

ROMANA BEATIFICATIONIS, ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI INNOCENTII PAPÆ XI.

POST signatam a san. mem. Clemente XI., præmissis præmittendis, commissionem introductionis causæ Ven. Servi Dei Innocentii XI., & alia ad normam juris peracta, quæ pertinebat ad judicium super paritione Decretis Urbani VIII., & ad famam Sanctitatis in genere, cum deveniendum esset ad examen virtutum in specie, placuit san. mem. Clementi XII. particularem Congregationem deputare pro examine nonullarum oppositionum a R. P. D. Fidei Promotore propositarum. Cumque a Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIV. earumdem difficultatum examen fuerit a Congregatione particulari avocatum, & ad Congregationem ordinariam sac. Rituum coram se habendam remissum, habitaque prædicta coram Sanctitate sua die prima Augusti, cum ad relationem Eminentissimi & Reverendissimi Cardinalis Burghesii in ea propositum fuerit sequens dubium disputandum: An deducta super ijs, quæ gesta præsumuntur a Ven. Servo Dei in statu prælaturæ, Cardinalatus, & Pontificatus, seorsim ab aliis objectis suo loco, & tempore promovendis contra probationem, & relevantiam assertarum illius virtutum in gradu heroico, obstent, quominus procedi possit ad ulteriora in casu, & ad effectum, de quo agitur: ab omnibus, nemine discrepante, negative responsum fuit, oppositiones videlicet non obstare, quo minus ad ulteriora in causa procedi possit. Auditis prædictis suffragiis, Sanctitas Sua pro diluendis excitatis oppositionibus, multa, eaque validissima argumenta deduxit, petita ex monumentis, quæ Postulatores latuerant, quousque idcirco inquit meliora omisisse, nec eam in respondendo adhibuisse diligentiam, quæ causæ gravitatem decebat. Et post hæc nedum responsum prædictum approbavit, sed silentium Promotori Fidei imposuit, prohibuitque, ne nulla ex propositis ab ipso difficultatibus uti posset in ulteriori causæ examine, firmo tamen remanente ipsius jure in reliquis per ipsum opponendis tum quoad probationem, tum quoad relevantiam assertarum virtutum heroicarum, tum quoad alias, si quas habuerit, oppositiones ex aliis fundamentis, & capitibus deducendas, & ne ullus in causa suffragaturus ullam ex oppositis difficultatibus utpote sufficientissime sublatis, & a Sanctitate sua rejectis, audeat refricare. Jussitque, ut omnia hæc in regestis sacræ Congregationis adnotarentur, quod a me infrascripto Secretario Congregationis sac. Rituum adimpletum est. Hac die 8. Augusti 1744.

Propositiones nonnullas Promotoris Fidei Clemens XII. particulari Congregationi examinandas committit.

Easdem BENEDICTUS XIV. ad ordinariam Rituum Congregationem coram se habendam revocat.

Statuit Pontifex, prætatas oppositiones non obstare, quominus ad ulteriora procedi possit in causa.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secretarius.

VI. DECRETUM

IN CAUSA VEN. SERVI DEI CÆSARIS DE BUS.

IN Causa Ven. Servi Dei Cæsaris de Bus obstativum ab unico XXVII. *Teste desumpserat Fidei Promotor, quod removeri oportebat, ut Commissio introductionis causæ signaretur. Nos ad omnem auferendam vitiosæ dilationis suspicionem, Ordinariam Sacrorum Rituum Congregationem coram Nobis die 28. Martii 1747. haberi mandavimus, ac dubium in ea proponi, an signanda esset Commissio Introductionis causæ? Causam Nos ipsi retulimus, & materiam abunde pertractavimus. Mox auditis Cardinalium suffragiis, qui affirmativæ parti unanimiter assenserunt, ad aliam diem sententiam nostram ferre distulimus, donec die 6. Aprilis ejusdem anni sequens edidimus Decretum, quo obstativum præfatum omnino removeretur, & quo locum esse Signaturæ Commissionis declaravimus.*

DECRETUM.

AVENION. BEATIFICATIONIS, ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI CÆSARIS DE BUS

Fundatoris Congregationis Doctrinæ Christianæ in Gallis super dubio: An sit signanda commissio super introductione causæ.

FAbricatis de more processibus informativis super fama Sanctitatis, virtutibus, & miraculis Ven. Servi Dei Cæsaris de Bus Fundatoris Congregationis Doctrinæ Christianæ in Galliis an. 1615. inchoatis, & anno 1678. completis, Sanctissimus Dominus noster, qui pro omnigena sua eruditione, ac scientia, quam sibi in hisce gravissimis causis longo usu comparavit, ea omnia probe callet, quæ easdem ab omni vitiosæ dilationis suspicione immunes reddere possunt, ordinariam sac. Rituum Congregationem super dubio: An sit signanda commissio introductionis causæ in casu, & ad effectum, de quo agitur, coram se die 28. Martii 1747. habendam mandavit. In ea autem cum causam ipsimet Sanctissimo referre placuisset, & materiam pro sua doctrina pertractasset, auditis Reverendissimorum dd. Cardinalium suffragii parti affirmativæ unanimiter assentientibus, declaravit locum esse signaturæ commissionis, & obstativo ab unico XXVII. Teste desumpto, tam animadversionibus particularibus bon. mem. Archiepiscopi Myren. tunc Fidei Promotoris, quam pluribus postulatorum responsionibus bene perpensis, aliisque per Sanctitatem Suam multo magis idoneis argumentis, quibus causa implicari poterat, accuratius deductis, ac perspicue enodatis, silentium imposuit, prohibuitque ne R. P. Fidei Promotor, neque ullus in causa suffragaturus in ulteriori causæ examine prædicto obstativo ullatenus uti posset. Atque ita fieri voluit, & mandavit. Die 6. Aprilis 1747.

Pontifex decernit signandam esse commissionem introductionis causæ, & obstativum oppositum removet.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præfect.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secret.

CAPUT III.

Decreta super Casu excepto.

DE casuum ab Urbani VIII. decretis exceptorum declaratione a Romanis Pontificibus facta usque ad annum 1745. fuse egimus lib. 2. hujus nostri Operis cap. 24. ubi Decreta ipsa Pontificum in medium protulimus una cum fundamentis, quibus Pontificia ejusmodi declaratio innitebatur. Ex his ea dumtaxat nunc proferemus, quæ Nos ipsi hoc Pontificatus nostri decennio edidimus. Ea sunt omnino quindecim, quorum priora decem sine ullis additis notis damus, cum illæ abunde habeantur cit. lib. 2. cap. 24. posteriora quinque iis rationum momentis illustrabimus, quæ animum nostrum moverant, ut casum ab Urbani VIII. Decretis exceptum declararemus.

I. DECRETUM

Ambianen., seu Gandaven. Canonizationis Beatæ Coletæ Virginis Reformatricis Ordinis Sanctæ Claræ.

ADmissa a sac. rituum Congregatione sub die 5. Septembris mox elapsi anni 1739. Commissione in statu, & terminis causæ Canonizationis B. Coletæ prædictæ, eaque successive a Sanctissimo Domino nostro signata; deindeque ad instantiam P. Fr. Marci Antonii Gravois Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Discalceatorum, & Recollectorum S. Francisci Postulatoris, ex dispensatione Apostolica, per Eminentiss., & Reverendiss. D. Cardinalem Ruspoli ejusdem causæ Relatorem in sacr. rituum Congregatione ordinaria, absque interventu Consultorum proposito, ac discusso sequenti dubio, An constet de cultu ab immemorabili tempore prædictæ Beatæ exhibito, seu casu excepto a decretis fel. record. Urbani VIII. ex indultis Apostolicis; sacra eadem Congregatio, R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore in scriptis & in voce prius audito, rescribendum censuit, constare, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 23. Januarii 1740.

Cum vero ob mortem secutam san. mem. Clementis Papæ XII. non potuerit per me Secretarium fieri relatio, facta autem fuerit Sanctissimo Domino nostro BENEDICTO XIV. in summum Pontificem noviter electo, Sanctitas sua benigne annuit. Die 20. Augusti ejusdem anni 1740.

Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præfectus.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secretarius.

II. DECRETUM

Cremonen. Canonizationis Beatæ Stephanæ de Quinzanis Fundatricis Venerabilis Monasterii Sancti Pauli oppidi Soncini, Ordinis Prædicatorum.

POST signatam manu san. mem. Clementis Papæ XII. Commissionem introductionis causæ Canonizationis B. Stephanæ de Quinzanis sopradictæ prævio consilio Congregationis sacrorum rituum habitæ die 6. mensis Septembris anno 1738. propositum fuit ab Eminentiss., & Reverendiss. D. Cardinali Belluga in eadem sacra Congregatione dubium, An sententia Judicum delegatorum a Reverendiss. Episcopo Cremonen. lata super cultu immemorabili dictæ Beatæ exhibito, & casu excepto a decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. sit confirmanda in casu &c. Cum autem R. P. D. Fidei Promotor opposuisset, non fuisse per ipsum recognitum quoddam manu-

scriptum enunciatum in scripturis Postulatorum, prodiit die 10. Septembris proxime præteriti responsum, Dilata, & exhibeatur Domino Promotori præfatum manuscriptum, ut illud recognosceret. Factaque ejusdem manuscripti exhibitione, eoque recognito per dictum Dominum Promotorem Fidei, postea per eumdem Eminentiss. Ponentem repropositum fuit supradictum dubium & sacra eadem Congregatio, audito præfato Domino Fidei Promotore tum in scriptis, tum in voce, rescribendum censuit, Affirmative, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 10. Decembris 1740.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, die 14. ejusdem mensis, & anni 1740.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præfect.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secret.

III. DECRETUM

Corduben. Canonizationis Beati Alvari de Corduba Sacerdotis Professi Ordinis Prædicatorum, & Fundatoris cœnobii sub titulo S. Dominici de Scala Dei civitatis Cordubæ,

CUM post signatam anno 1676. manu san. mem. Clementis X. Commissionem reassumptionis causæ Canonizationis B. Alvari prædicti disputatum fuerit anno 1716. & 1718. in sacra Congregatione rituum dubium, An sententia Reverendiss. Episcopi Cordubensis Judicis delegati lata super cultu immemorabili, seu casu excepto a decretis san. mem. Urbani VIII. sit confirmanda &c. negativum prodiit responsum, reservato tamen jure Postulatoribus coadjuvandi probationes super dicto casu excepto, Cumque vigore ejusmodi rescripti novus confectus fuerit auctoritate Apostolica processus, & in Actis supradictæ sacræ Congregationis exhibitus, propositum inde fuit per Eminentiss., & Reverendiss. D. Cardinalem Belluga in locum Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalis Corradini Ponentis, ac mature discussum dubium, An constet de casu excepto a decretis Urbani VIII., seu de cultu immemorabili, in casu, & ad effectum, de quo agitur. Et sacra eadem Congregatio, audito prius in voce, & in scriptis R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, respondit, Affirmative, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Hac die 16. Septempris 1741.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, die 22. ejusdem mensis, & anni 1741.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secret.

IV. DECRETUM

Tuden. Canonizationis Beati Petri Gonzalez Sacerdotis Professi Ordinis Prædicatorum San-Telmi *nuncupati,*

ADmissa a sacrorum rituum Congregatione ordinaria habita die 23. Januarii 1740. Commissione introductionis causæ Canonizationis B. Petri Gonzalez prædicti, a Sanctissimo Domino nostro BENEDICTO XIV. postmodum signata; ad instantiam modo Reverendiss. Patris Thomæ Ripoll Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum, hujusmodi causæ Postulatoris, examinato sub infrascripta die processu in Curia Episcopali Tuden. Auctoritate ordinaria constructo super cultu ab immemorabili tempore dicto Beato præstito, sive super casu excepto a decretis san. mem. Urbani PP. VIII. In Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis editis, in quo idem Episcopus sententiam protulit super dicto cultu, ac insimul per Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinalem Gotti Ponentem infrascripto dubio proposito, An sententia Reverendiss. Episcopi Tuden. super cultu publico ab immemorabili tempore prædicto Beato exhibito, sive casu excepto a decretis san. mem. Urbani PP. VIII. sit confirmanda in casu, & ad effectum &c. sacra eadem Congregatio, R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore in scriptis, & in voce prius audito, rescribendum censuit; Sententiam Episcopi Tuden. latam super cultu publico præstito dicto Beato a tempore immemorabili, sive casu excepto a decretis san. mem. Urbani VIII. esse confirmandam in casu, & ad effectum, de quo agitur, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 9. Decembris 1741. Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione Sanctitas Sua benigne annuit. Die 13. ejusdem mensis, & anni 1741.

Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præfectus.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierasolymitanus
S. R. C. Secret.

V. DECRETUM

Bituricen. Canonizationis Beatæ Joannæ Valesiæ olim Reginæ Franciæ, & Fundatricis Ordinis Sanctissimæ Annuntiationis B. Mariæ Virginis sub Regula S. Francisci,

PRoposita ex dispensatione Apostolica per Eminentiss., & Reverendiss. D. Cardinalem de Tencio Ponentem ad instantiam Patris Marci Antonii Gravois Definitoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, Postulatoris specialiter deputati, in Congregatione ordinaria absque interventu Consultorum causa Canonizationis B. Joannæ Valesiæ prædictæ, atque in ea discusso dubio: An sententia Reverendiss. Archiepiscopi Bituricen. Judicis a Sacra Rituum Congregatione delegati lata super publico cultu ab immemorabili tempore prædictæ Beatæ exhibito, sive super casu excepto a decretis fel. record. Urbani PP. VIII. sit confirmanda in casu, & ad effectum, de quo agitur; Sacra eadem Congregatio, R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore in scriptis, & in voce prius audito, rescribendum censuit, Affirmative, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 14. Aprilis 1742.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit, Die 21. ejusdem mensis, & anni.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præfect.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secret.

VI. DECRETUM

Firmana Canonizat. Beati Gerii a Monte Sancto Sancti *nuncupati.*

CUM ab Eminentiss., & Reverendiss. D. Cardinali Firrao causæ Canonizationis B. Gerii prædicti Ponente, ex dispensatione Apostolica propositum, ac discussum fuerit in Congregatione ordinaria absque interventu Consultorum infrascriptum dubium, An constet de cultu ab immemorabili tempore eidem Beato exhibito, & casu excepto a decretis san. mem. Urbani PP. VIII., ita ut sententia Pro-Vicarii Generalis specialiter delegati

gati Reverendiss. Archiepiscopo Firmano sit confirmanda in casu, & ad effectum, de quo agitur; Sacra eadem Congregatio, in scriptis, & in voce R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore prius audito, rescribendum censuit, Affirmative, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 27. Julii 1742.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictia eidem Sanctissimo Domino nostro, relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die prima Augusti ejusdem anni 1742.

Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Prefect.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secret.

VII. DECRETUM

Panormitana Canonizationis B. Benedicti a S. Philadelpho Laici Professi Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci.

CUM a Sacrorum Rituum Congregatione sub die 26. Aug. 1713. admissa fuerit, annuente etiam san. mem. Clemente PP. XI. die 6. Septembris ejusdem anni, & successiva signata Commissio reassumptionis causæ Canonizationis prædicti Beati Benedicti a S. Philadelpho; cumque ad tenorem prædictæ Commissionis ad instantiam P. F. Leopoldi a Roma Postulatoris Generalis causarum Servorum Dei, & Beatorum enunciati sui Ordinis ab E., & R. Domino Card. Corradino in Sac. eadem Congregatione ordinaria habita die 5. Decembris 1742. propositum, & discussum fuerit dubium: *An constet de cultu publico eidem Beato Benedicto præstito, sive de casu excepto a decretis san. mem. Urbani Papæ VIII., in casu, de quo agitur*, prodiit responsum: *Dilata, & coadjuventur probationes*. Reproposito autem iterum præfato dubio in Congregatione habita sub infrascripta die per E., & R. D. Card. Accorambonum subrogatum in locum prædicti clar. mem. Card. Corradini interim defuncti, & coadjuvatis probationibus, ac melius elucidatis, sacra eadem Congregatio, prævio maturo examine processum Apostolicorum super præfato cultu publico, sive casu excepto constructorum hic in Urbe, & in civitate Panormi, ac etiam tum in scriptis, quam in voce R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore iterum audito, rescribendum censuit: *Affirmative*, si Sanctiss. Domino nostro visum fuerit. Die 11. Maii 1743.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiss. Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 15. ejusdem mensis & anni 1743.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secret.

VIII. DECRETUM

Senen. Canonizationis Beati Francisci Patritii Sacerdotis Professi Ordinis Servorum B. M. V.

CUM admissa fuerit ad relationem Eminentiss., & Reverendiss. D. Cardinalis Guadagni a Sac. Rituum Congregatione ordinaria habita die 1. Octobris 1740. Commissio reassumptionis causæ B. Francisci Patritii prædicti, & a Sanctiss. Domino nostro postmodum signata; cumque modo ad tenorem præfatæ Commissionis, instantibus PP. Generali, & Procuratore Generali, ac Familia de Patritiis, nec non Postulatore hujusmodi causæ, propositum fuerit a præfato Eminentissimo Ponente, atque in eadem Sacra Congregatione ordinaria discussum infrascriptum dubium, An sententia lata per Vicarium Generalem Senen. Judicem a Sacra Rituum Congregatione delegatum super cultum ab immemorabili tempore prædicto Beato exhibito, seu casu excepto a decretis san. mem. Urbani VIII. sit confirmanda in casu, & ad effectum, de quo agitur; sacra eadem Congregatio in scriptis, & in voce Rev. P. Domino Ludovico de Valentibus Fidei Promotore prius audito, rescribendum censuit, Sententiam Vicarii Generalis esse confirmandam, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 31. Augusti 1743.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 11. Septembris ejusdem anni 1743.

F. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secret.

LITERÆ APOSTOLICÆ

IN FORMA BREVIS BENEDICTI PAPÆ XIV.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

QUONIAM ita comparatum est, ut ea, quæ alias accuratissime expensa, & concordibus virorum pietate, ac sapientia insignium suffragiis a Nobis ipsis sancita, ac decreta fuerunt, novis deinceps supremæ Apostolicæ nostræ auctoritatis documentis approbata, & confirmata, universi Christifideles majori cum fide, constantia, ac veneratione accipere, & debitæ executioni mandare consueverint: Eapropter decretum, quod nuper super casu excepto a decretis fel. record. Urbani PP. VIII. Prædecessoris nostri in causa B. Nicolai Albergati edidimus, novo Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communire satagimus: Hujusmodi autem decretum est tenoris, qui sequitur.

DECRETUM

Summi Pontificis BENEDICTI XIV., in quo approbatur, & confirmatur resolutio Congregationis Sacrorum Rituum ordinariæ habitæ coram ipso Kalendis Augusti currentis anni 1744. super casu excepto a decretis Urbani VIII. in causa B. NICOLAI ALBERGATI S. R. E. Cardinalis, & Episcopi Bononiæ una cum aliis concessionibus ab eodem factis in honorem dicti Beati.

BENEDICTUS PAPA XIV.

SINGULARE Divinæ providentiæ consilium esse videtur, quod Nobis reservaverit initium, & progressum, quousque fieri potuit, causæ B. Nicolai Cardinalis Albergati, qui anno 1443. decessit: Quocum Nos & patriam communem, & eumdem Cardinalis titulum Sanctæ Crucis in Hierusalem sortiti sumus; eademque Bononiæ Ecclesia, cujus ipse Episcopus inauguratus est anno 1417., & ad mortem usque gubernavit, Nobis pariter gubernanda tradita est, & ad hanc usque diem gubernamus.

Cum in minoribus Promotorem Fidei ageremus, Canonizationis ejus causam inducere tentatum est. Quod autem tunc perfici minime potuit; id tandem in Congregatione Rituum habita die 20. Julii 1743. dilecto Filio nostro Cardinali Pompejo Aldovrandi tunc Prodatario, nunc Æmiliæ Legato referente, fuit deliberatum: atque ejusdem causæ introducendæ, prout moris est, Commissio manu nostra perquam libenter signata prodiit.

Decretis itaque Urbani VIII. Prædecessoris nostri inhærendo, subjici debebat examini observantia eorumdem decretorum; & cum Nobis compertum esset, in Archiepiscopali Curia Bononiensi anni

ni 1651, auctoritate ordinaria conditum fuisse processum, in quo varia documenta, ac testimonia de observantia prædictorum decretorum afferebantur; atque inde etiam deducebatur, scientia, assensuque Episcoporum Bononiensium publicum cultum fuisse exhibitum B. Nicolao Albergati toto tempore, quod Urbani VIII. decreta exigunt; præterea Jacobum Boncompagni Cardinalem Archiepiscopum Bononiensem ann. 1725. sententiam de more pronuntiasse, qua cultum illum ad formam ipsorum decretorum exhibitum fuisse comprobabat; Nos, ut sanctitatis fama ejusdem Beati viri illustrior fieret, & publici ejus cultus fundamenta magis stabilirentur, vitæ illius Acta a Jacobo Zeno Episcopo Feltrensi, & Bellunensi ejus familiari conscripta, typis iterum publicari præcepimus, & cum codice bibliothecæ nostræ Vaticanæ conferri. Codex autem ejusmodi bene ordinatus, & Cardinalis Petri Barbi, qui deinde Pontifex factus Pauli II. nomen assumpsit, stemmata præferens, cui adhuc Cardinali opus illud inscriptum fuerat, multo pretio, & æstimatione dignus esse videtur, & ad errores aliquot, qui in vetustiores ejus vitæ editiones irrepserant, corrigendos apprime aptus.

Id vero accurate perfecit Constantinus Ruggeri Clericus, nosterque familiaris, qui præmemoratæ vitæ notas addidit. Communicatis deinde illi Martini V., & Eugenii IV. Apostolicis Brevibus, quæ in archivio nostro peculiari servabantur, in quibus amplissima de sanctitate vitæ B. Nicolai Albergati testimonia continentur; tum etiam ei traditis iis, quæ a Nobis alio tempore hac de re collecta fuerant; factaque eidem cum ad nostram domesticam bibliothecam, tum ad alias hujus Urbis celebriores adeundi potestate, Nos ipsi singulis hebdomadis opus perlegere, & examinare curavimus, præscripto ordine, quem in eo dirigendo, ordinandoque haberi voluimus, atque hinc post multos labores ad Jacobi Zeni historiam adjecta sunt prædictorum, aliorumque Romanorum Pontificum testimonia; nec non & Caroli VII. Galliæ, & Henrici VI. Britanniæ Regum, ac plurimorum illustrium Italiæ Auctorum, inter quos recenseri maxime debent S. Antoninus, & Æneas Silvius; tum etiam ex Gallia, Flandria, aliisque regionibus Scriptorum; quæ omnia in unum volumen ab eodem Constantino Ruggeri collecta, jussuque nostro typis in lucem edita hoc ipso anno prodierunt.

His omnibus comparatis, cum in Congregatione Rituum ordinaria proponendum esse dubium de observantia decretorum Urbani VIII., Cardinalis Aldovrando absenti nemo alius Cardinalis fuit a Nobis subrogatus, qui causam illam referret: Sed Kalendis Augusti habita coram Nobis eadem Rituum Congregatione, Nos ipsi Cardinalis Relatoris vices supplentes, exposuimus, primo, Beatum Nicolaum Albergati Bononiæ illustri genere natum in Carthusianorum claustra juvenem concessisse; ibique sanctitatis, ac prudentiæ fama in variis Carthusianis Domibus Prioris munere functum, Romæ deinde fuisse Ordinis sui Procuratorem Generalem, postea Bononiensis Ecclesiæ, invitum quamvis, & coactum, regimen suscepisse, in quo Ecclesiastica vivendi disciplina, largisque eleemosynis luculenta dedit sanctitatis suæ argumenta: quibus accessit invictum robur, quo turbulentis illis Ecclesiæ temporibus, jurisdictionis, auctoritatis Pontificiæ adversariis fortissime restitit: a Pontifice Martino V, Cardinalium ordini adscriptum, præceptoque adactum, ut eam dignitatem acciperet, sic in ea gradu se gessisse, ut quemadmodum Religiosus Religiosæ vitæ, Episcopus Religiosi Episcopi, ita Cardinalis factus Cardinalis Religiosi exemplar, ac norma extiterit; cum in omni vitæ genere disciplinam Regularem, austeritates, & Carthusiani Instituti jejunia constantissime retinuisset: a Sede Apostolica rebus gerendis præpositum, post multos labores pacem inter Mediolanensem Ducem, Venetos, & Florentinos conciliasse; & post plura in Galliam itinera, nunc Martini V., nunc Eugenii IV. Pontificum jussu, in magno Atrebatensi conventu inter Carolum Galliæ Regem, & Philippum Burgundiæ Ducem, præclaram illam pacem, Catholicæ religioni adeo proficuam firmasse; cum interea singularis Dei providentia ad ejus preces insigne miraculum edidisse, ut Scriptores nonnulli memoriæ prodiderunt. Exposuimus quoque sapientem illius gravitatem cum communi sanctitatis opinione conjunctam in aliis Legati Apostolici muneribus, quæ ille tum in Basileæ, tum in Ferrariæ Conciliis, tum etiam in conventu Principum Germanorum Norimbergensi præclare sustinuit; præter gravissimum illud summi Pœnitentiarii, quod apud Pontificem Eugenium IV. gessit: postremo meritis plenum Senis ex hac mortali vita decessisse, communi omnium opinione, ac fama, heroicis virtutibus ornatum; ejusque corpus Florentiam, prout ipse mandaverat, ad Carthusianos fuisse delatum, ubi ad hanc usque diem requiescit: Cum illud Senis Florentiam comitatus fuisset Thomas Sarzanensis, qui deinde Cardinalis, ac paulo post Pontifex factus, Nicolaus V. vocari voluit in memoriam Nicolai Cardinalis Albergati, viri de se optime meriti: qui post obitum (ut Historici, inter quos ipsemet Thomas, narrat) ei apparuit, ac tristem, mœrentemque hac ipsa magistri sui, & domini morte recreavit; & inter cetera sempiterna felicitate se potiri affirmans, summum illi Pontificatum prædixit, quem pariter Æneas Silvius Pii Secundi nomine assecutus est: qui ambo fuerant cum eodem Nicolao Albergati obsequio, & familiaritate conjuncti. Atque uno verbo diligenter exposuimus, quidquid magis egregium, solidumque de Beato Nicolao memoriæ proditum erat in Pontificiis diplomatibus, gravissimisque Auctoritatibus, qui in prædicto volumine fideliter, accurateque citantur. Transeuntes inde ad id, quod erat præcipuum, ad qualitatem scilicet, & vetustatem publici cultus, retulimus summa fide, quidquid causæ Postulatores in suis scriptis attulerant, tum etiam illa, quæ Fidei Promotor in suis animadversionibus ex officio opposuerat. Nec fuit a Nobis omissum id, quod ad ejusmodi oppositiones responderi valide poterat; illustratis, & in bono lumine collocatis principiis aliquot, quæ in nostris de Canonizatione Sanctorum Operibus continentur, quibus oppositiones illæ nitebantur. Mentem autem nostram minime aperuimus; sed sententiis aliorum exquisitis, ingenti animi nostri gaudio audivimus, Cardinales omnes congregatos, communi suffragio, & una voce declarantes, Urbani VIII. decretis obtemperatum prorsus fuisse, quorum vi B. Nicolai causa esset multis nominibus excepta; adeoque veterem, ac publicum ejus cultum legitimum, & canonicum esse censendum, nulloque modo iis, quæ in citatis decretis præscribuntur, adversum. Atque id magis, quod publicus idem cultus tunc cœpit, cum Senis corpus ejusdem Beati viri in Ecclesia S. Augustini fuit expositum, ubi præter totius populi concursum, qui ejus pedes, manusque deosculari certabat, Eugenius IV. Pontifex Max. inusitato iis temporibus exemplo ejus funeri cum tota Curia adesse voluit: testatus id se facere ob ingentem, quam de ejus sanctitate opinionem habebat, per orbem jam longe, lateque pervulgatam; immo, & duarum librarum lapidem, qui in dissecto ejus corpore repertus est, devotionis causa apud se habere voluit. Addebant præterea Cardinalem Gabrielem Palæoti primum Bononiæ Archiepiscopum Nicolai nomen in Beatorum, ac Sanctorum Ecclesiæ suæ album retulisse, & Urbanum VIII., ut nonnulli memorant, affirmasse, delendos non esse ab ejus Imagine radios, & splendores, quos ipse publico decreto Imaginibus eorum, qui non essent ab Apostolica Sede Canonizationis, aut beatificationis honore donati, apponi prohibuerat, appositosque deleri jusserat: Postremo B. Nicolai statuam jussu nostro in fronte basilicæ Liberianæ inter alias aliorum Sanctorum fuisse positam, cujus basilicæ ipse fuerat Archipresbyter.

Audivimus hæc omnia singulari animi nostri lætitia; & in omnibus unanimes prædictorum Cardinalium sententiæ voce assensi sumus, quam etiam nunc scripto probamus, & confirmamus. Quoniam vero in ejusmodi casibus Fidelium pietas (ut observavimus) præscriptos limites transire facile solet; cui rei, si Deo placuerit, alio tempore Nos opportune providere cogitamus, in præsens decernimus ea, quæ sequuntur.

Pri-

Primo, evulgato hoc decreto, nolumus ingentem publicæ lætitiæ significationem dari eo modo, quo in Cannonizatione alicujus Beati fieri solet, quod quidem alias contigisse non ignoramus; sed solum in Ecclesia Metropolitana Bononiæ, in basilica Liberiana Romæ, & in singulis Carthusiani Ordinis Ecclesiis post Missam, quam *Conventualem* dicunt, cantari posse concedimus *Te Deum* in gratiarum actionem sine musicorum instrumentorum strepitu, nulloque campanarum sonitu procedente.

Secundo, præter titulum Beati, quem de jure possidet, a privatis primo illi attributum, nunc vero a Sancta Sede comprobatum, concedimus ejus Imagines pingi, ornarique posse laureolis, radiis, & splendoribus; non autem diademate, juxta decretum Sacræ Congregationis rituum die IX. Februarii MDCLVIII. ab Alexandro confirmatum. Volumus autem semper Carthusiani Ordinis habitu vestiri, quo ipse tam Episcopus, quam Cardinalis perpetuo usu est non solum Religiosis causa, sed etiam, ut Ecclesiasticam disciplinam eo tempore maxime vigentem observaret. Capiti vero illius neque pileolum, neque biretum rubrum apponi volumus; cum certum sit, ejusmodi ornamenta Cardinalibus Regularibus fuisse concessa a prædecessore nostro Gregorio XIV. anno MDXCI.; bene vero Cardinalia pileum, quo multo prius singulis Cardinalibus uti dedit Innocentius IV. eoque caput ornari, sive is ad pedes deponi poterit.

Tertio, nolumus ejus Imagines in Ecclesiarum, sive sacellorum privatorum altaribus collocari, exceptis tamen Ecclesia Metropolitana Bononiensi, basilica Liberiana Urbis, & singulis Ecclesiis, ac sacellis Ordinis Carthusiani, tum etiam Ecclesiis illis sive Bononiæ, sive alibi, in quibus, vel super aras, vel extra, ejus Imagines in præsens existunt.

Postquam innotuit, ac declaratum est, Nos in eo casu versari, quem Urbani VIII. decreta excipiunt, & post ea, quæ nuper exposuimus, & quæ quodammodo ex declaratione casus excepti a decretis Urbani VIII. sequuntur; Apostolicæ Sedis in more fuit, præterito aliquo tempore, urgentibus gravibus circumstantiis, Officium, & Missam de communi in honorem Beati concedere; alio deinde interjecto tempore, urgentibus gravioribus circumstantiis, lectiones proprias, etiam antequam fuerint discussæ, & approbatæ virtutes, juxta exempla a Nobis cumulata in nostro Opere de Canonizatione Sanctorum lib. IV. part. II. cap. IV. n. VI. denique post aliquod temporis spatium Beati nomen in Martyrologium Romanum (quanquam id perraro) referre; & quoties magis ponderis causæ adessent, decretis, & Constitutionibus Apostolicis, si quæ obstant, derogare consuevit, juxta ea, quæ a Nobis relata sunt in eodem Opere nostro de Canonizatione Sanctorum lib. IV. part. II. cap. XVII. num. XIV. Nos itaque ingentibus B. Nicolai Albergati Cardinalis erga hanc S. Sedem, & Catholicam religionem meritis inspectis, tum etiam communi præconio, quo Scriptores ex omni lingua, tribu, & populo heroicis ejus virtutibus plaudunt, derogantes plenitudine auctoritatis nostræ quibuscumque adversantibus, & temporis inutiliter transacti jacturam compensare volentes, Officium Divinum de Confessore Pontifice cum lectionibus propriis, per Nos componendis, & Oratione *Exaudi quæsumus* de eodem communi, ritu majoris duplicis recitari concedimus die X. Maii, in quo ad beatam vitam migravit; id vero tantum Clero tam Regulari, quam Seculari, necnon & Monialibus civitatis, & diœcesis Bononiensis; tum etiam Romæ Clero basilicæ Liberianæ, pariterque Monachis, & Monialibus Ordinis Carthusiani universi: itant quicumque ex prædictis præmemorato die Officium illud recitaverit, Horas Canonicas, ad quas tenetur, persolvisse censeatur. Eadem ratione concedimus, die X. Maii in omnibus præcitatis locis celebrari posse in honorem ejusdem Beati Missam de communi Confessoris Pontificis; quam quidem concessionem ad alios quoque Sacerdotes tam Seculares, quam Regulares, qui ea die in basilica Liberiana, aut in Carthusiani Ordinis Ecclesiis rem Sacram confecerint, extendi volumus. Concedimus quoque eadem die X. Maii in antedicta Ecclesiia celebrari posse quotannis Beati Cardinalis festum, & ejus Reliquias ad publicam venerationem exponi, non autem in processione deferri, juxta ea, quæ Alexander VII. die XXVII. Septembris MDCLIX., & XVII. Aprilis MDCLX. decrevit. Postremo concedimus, B. Nicolai nomen Martyrologio Romano inscribi, addito elogio, quod a Nobis instituetur.

Hæc omnia singularibus Beati Cardinalis meritis profecto debentur. At vero præclari quoque Carthusiani Ordinis, quem Nos peculiari studio prosequimur, merita apud Nos pondus habent, ut hæc Apostolica liberalitate concedamus, eoque magis, quod ipse Ordo non tam sollicitus fuit multos Sanctos suos patefacere, quam multos Sanctos facere, ut recte fuit adnotatum. Accedit quoque spes, in quam maxime adducimur, Deum Opt. Max. ad intercessionem hujus Beati viri, qui, quandiu vixit, Cardinalis pacis nuncupatus est, daturum esse Nobis id, quod tam enixe toto corde, humiliterque rogamus, & rogaturi sumus, exoptatam scilicet inter Christianos Principes pacem, stabilemque concordiam. Neque vero dissimulare volumus, Nos in hac tota rerum serie spirituale quoddam percepisse gaudium, simillimumque ejus, quod Pius II. prædecessor noster in Canonizatione S. Catharinæ Senensis civis suæ sese percipisse fatetur, quodque in ejus Canonizationis bulla his verbis expressit: *Et si Nos quidem Beatæ Catherinæ sublimes dotes, nobile ingenium, divinam mentem, sacratissimam voluntatem in omni natione quam lætissime vidissemus, lætiores tamen in urbe Senensi, quæ nos genuit; Siquidem meritorum ejus longe magis, & magis peculiariter esse participes confidimus, quam si Virgo hæc, aut in Africa, aut in Scythia, aut in India nata fuisset. Neque enim fieri potest, quin Sanctorum propinquitas aliquid habeat prærogativæ.*

Quod si deinde Deo placuerit, ut ab hoc cultu ad nonnullos locos restricto, quem in præsens Sedes Apostolica permittit, ad cultum publicum præceptivum, & generalem, hoc est a Beatificatione hac æquipollenti ad solemnem Canonizationem transeundum sit; Postulatoribus causæ palam facimus, heroicarum ejusdem Beati virtutum materiam ad consuetam juris formam esse proponendam: cum expositio earum, quam Nos ipsi in Congregatione rituum fecimus, suffeceerit quidem, ut debito rerum apparatu ad agendum de publico permissivo, & restricto ad quosdam locos culto procederetur; & ut etiam inoffenso pede fieri posset a Nobis concessio lectionum propriarum, non autem ut discussioni, & approbationi virtutum a sacris Canonibus requisitæ, ut ad solemnem Canonizationem transitus fiat, sufficiens esse potuerit, juxta a Nobis deducta in nostro Opere de Canonizatione Sanctorum lib. I. cap. XXXII. num. XVI. & seqq. Proponenda sunt quoque miracula secundum ea, quæ Nos die XXIII. Aprilis anni 1741., & die XIV. Julii hujus 1744. generatim decrevimus. Notum præterea unicuique facimus, nemini licere transgredi in exhibendo cultu limites per præsens decretum præscriptos: Mandamusque Patriarchæ Hierosolymitano Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, ut hoc ipsum decretum una cum ceteris ad calcem additis inter regesta sacræ Congregationis referat & conservet. Datum hac die XXV. Septembris 1744.

Thomas Patriarcha Hierosolymitanus
S. C. R. Secretarius.

LE-

LECTIONES, DE QUIBUS IN DECRETO,

IN FESTO

B. NICOLAI ALBERGATI EPISCOPI, ET CONFESSORIS.

Lectiones pro secundo Nocturno ejus Officii.

LECTIO IV.

NICOLAUS Albergatus nobili genere Bononiæ ortus est. Adolescens, dum juri Civili in patria operam daret, Monasticæ, ac severioris vitæ præstantia captus, Carthusianorum Institutum amplectitur; in quo brevi adeo profecit, ut Sacerdotio vix initiatus, patrio cœnobio præfectus sit, aliaque subinde monasteria fere decennio summa cum laude administraverit. Ejus prudentiæ & sanctitatis opinione Clerus, populusque Bononiensis permotus, ultro sibi in Episcopum plenis suffragiis delegit; quem ille honoris gradum diu, constanterque refugiens, Superiorum suorum jussu invitus demum suscepit. Nihil tamen de prioris vitæ cultu; atque observatione remisit; sed verbo, & exemplo forma gregis effectus, Ecclesiasticam disciplinam, & Christianos mores ita in Ecclesia sibi commissa restituit, ut alius omnino populus, alius Clerus videretur, & esset.

LECTIO V.

CIVIUM suorum ad Martinum V. Orator iterum, ac tertio profectus, tantam ab eo Pontifice, qui eximias illius virtutes perspexerat, iniit gratiam, ut conciliandæ pacis causa inter Anglorum, Francorumque Reges Legatum in Gallias miserit: ab ea Legatione reducem S. R. E Cardinalem sub titulo S. Crucis in Hierusalem creavit; legavitque mox in Insubriam, ut Mediolanenses, Florentinos, & Venetos discordia laborantes componeret. Post pacem Italiæ ab eo feliciter restitutam, secunda in Gallias Legatione auctus est; ac vita functo Martino V., Eugenii IV. jussu in Belgium profectus, Philippum Burgundiæ Ducem Carolo VII. Francorum Regi in Atrebatensibus comitiis conciliavit. Ad Germaniæ quoque Principes in Norimbergensi conventu Pontificum Legatum egit; deinde Basileensi, tum Ferrariensi interfuit Concilio, ubi Apostolicæ Sedis dignitatem, majestatemque adversum Schismaticos egregie tutatus est.

LECTIO VI.

IN obeundis tam variis, gravissimisque Legationibus incredibilem sibi apud Reges, & Principes venerationem adeptus, in virtutum suarum admirationem rapuit universos. Erat enim vel in summis honoribus simplicissima humilitas, animus ana solum firmus, & excelsus, sed candidus etiam, prudens, ac moderatus, effusa in omnes charitas, mansuetudo, atque humanitas cum ardenti religionis zelo conjuncta. Carthusiani, quod professus fuerat, Instituti tenax, ejus asperitates ad mortem usque retinuit, Familiam ingenuam aluit, sanctissimeque institutam, ex qua duo Romani Pontifices Nicolaus V., Paulus II. prodiere. Tandem cum Eugenium IV. honoris ergo comitaretur, Senis in Etruria renum calculo oppressus, sancto fine quievit. Ejus corpus Florentiam delatum, apud Carthusianos honorifice conditum est. Sanctitatis & miraculorum fama post mortem clarum BENEDICTUS XIV. Beatorum ritu coli permisit.

ELOGIUM

Apponendum in Martyrologio, de quo in Decreto.

VI. Idus Maii, Bononiæ B. NICOLAI ALBERGATI Monachi Carthusiani, ejusdem civitatis Episcopi, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, sanctitate, & Apostolicis Legationibus clari, cujus corpus Florentiæ apud Carthusianos conditum est.

PRÆINSERTUM itaque decretum nostrum, ac præinsertas lectiones, & elogium, ac in eo decreta omnia, & singula contenta, ac præscripta, quo firmius subsistant, ac serventur exactius, atque etiam, quatenus opus sit, auctoritate nostra Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque, & omnibus ac singulis contentis, & præscriptis Apostolica firmitatis robur adjicimus; atque ita ut præmittitur, omnino servari mandamus. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transumtis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die VI. Octobris MDCCLIV. Pontificatus nostri anno V.

Dominicus Cardinalis Passioneus.

X. DECRETUM

NOVARIEN. CANONIZ. B. PACIFICI A CEREDANO

Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia.

CUM admissa fuerit ad relationem E., & R. D. Card. Alexandri Albani a fac. Rit. Congregatione ordinaria habita die 31. Augusti 1743. Commissio introductionis causæ B. Pacifici a Ceredano prædicti, & a SS. D. N. deinde signata; cumque modo ad tenorem præfatæ Commissionis, instante P. F. Josepho Maria de Artio Ord. Min. Observant. S. Francisci, & ejusmodi causæ Postulatore, propositum fuerit ab eodem Eminent. Ponente, atque in dicta fac. Congregatione discussum infrascriptum dubium, An sententia lata per DD. Judices a clar. mem. Card. Borromæo Episcopo Novariensi deputatos super casu excepto a decretis fel. rec. Urbani VIII., sive super cultu publico ab immemorabili tempore dicto Beato exhibito, sit confirmanda in casu, & ad effectum, de quo agitur; fac. ead. Congr. in inscripto, & in voce R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore audito, rescribendum censuit, Affirmative, si SS. D. N. visum fuerit. Die 3. Julii 1745. Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem SS. D. N. relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 7. ejusdem mensis, & anni 1745.

XI. DECRETUM

CREMONEN. CANONIZATIONIS

BEATI ALBERTI A BERGAMO

Tertii Ordinis Prædicatorum,

PROPOSITA per Eminentissimum, & Reverendissimum D. Cardinalem Guadagni Ponentem ad istantiam R. P. Vincentii Mariæ Ferretti Vicarii, & Procuratoris Generalis Ord. Prædicatorum in Congregatione ordinaria Sacrorum Rituum habita sub infrascripta die causa Canonizationis B. Alberti a Bergamo Tertii Ord. Prædicatorum, atque in ea discussu dubio: An sententia Judicum a Reverendissimo Episcopo Cremonen. deputatorum lata super cultu ab immemorabili tempore prædicto Beato exhibito, sive casu excepto a Decretis san. mem. Urbani VIII. sit confirmanda in casu, & ad effectum &c., sacra eadem Congregatio audito R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, qui scripto, & voce suam sententiam exposuit, rescribendum censuit: Affirmative, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit, Dte 4. Maii 1748.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctissimo Domino nostro relatione, SANCTITAS SUA benigne annuit, Die 9. ejusdem mensis, & anni 1748.

F. Jo. A. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secretarius.

1. *Quo tempore Beatus Albertus ex hac vita decesserit, ejus vitæ scriptores inter se non conveniunt; probabilior tamen, & tutior opinio est, (ut satis abunde Postulatoribus occasione reassumptionis causæ ostensum fuit) Beatum obiisse anno 1279., & Tertiarium fuisse Ordiuis Prædicatorum, quod & in disputationem adducebatur. Quamplura extant de Beato Alberto Monumenta. Mentio de eo fit in perantiquo Chronico Parmensi auctoris Anonymi; de quo verba facit Muratorius in præfatione ad dictum Chronicon tom. 9. de rerum Italic. Script. In eodem Ludovici Muratorii Opere refertur memoriale quoddam Potestatum Regiensium auctoris Anonymi, qui de Beati Alberti miraculis suo ætate patratis differit. Vivebat hic, ut ex ejus assertione depromitur, anno 1290. Alterum Chronicon Placentinum, cujus fragmentum insertum legimus in historia Ecclesiæ Placentinæ a Petro Maria Campi edita, Beati Alberti mortem, ad ejus sepulchrum populi concursum, Sanctitatis famam post obitum sequutam, ejusque miracula narrat; ex quibus colligitur, auctorem Chronici vixisse de tempore obitus Beati. De Beato Alberto nonnulla referunt Dominicus Bordigalius, & Jacobus Gaddius, qui circa annum 1532. floruerunt. Beati Alberti vitam, & res gestas posteris tradiderunt, Ludovicus Cavitellus in Annalibus Civitatis cremonæ impress. Cremonæ anno 1588. in Process. Compuls. Marius Mucius in vitis Beatorum Bergomensium impress. Bergomi anno 1614. in Process. compulsot. Frater Cælestinus Ord. Capuccinorum in Historia quadripartita Bergomensi impressa Brixiæ anno 1618. in Process. compuls. Joseph Bresciauus Beati Alberti vitam fusiori calamo conscripsit: typis edita fuit Cremonæ anno 1667. Alii quamplures Scriptores de Beato Alberto meminere, ut Bartholomæus de Peregrinis in vinea Bergomensi, Philippus Ferrerius in catalogo Sanctorum; Bzovius in Annalibus Ecclesiasticis, Petrus Maria Campi, & alii.*

2. *Inter vetustissimos cultus species Beato Alberto exhibitas primum locum tenet titulus* Beati, *&* Sancti, *quo condecoratus fuit usque ab anno 1392. ut ex septem publicis authenticis instrumentis colligitur. Succedunt Xenodochia sub invocatione Beati extructa, tum in Pago Villæ Onea, cum in Urbe Cremonensi; necnon Ecclesia ipsi dicata extra mœnia ejusdem Pagi Villæ Oneæ; cujus veterem existentiam legimus in quodam publico instrumento locationis rogato die 9. Novembris anni 1392. Accedit deinde festiva celebritas, qua quotannis recolitur anniversaria dies Beati tam Cremonæ, quam in tota Valle Seriana, ubi dies septima Maii, in qua Beatus obiit, pro feriata observatur; hoc festum, ut videre est in publicis libris Statutorum Urbis Cremonæ, & Vallis Serianæ, ab anno 1349. celebrabatur. Ad publicum item cultum conducit Fidelium concursus ad tumulum Beati, qui post ejus obdormitionem in Domino propter Sanctitatis famam, gratiamque miraculorum incepit, ut in duobus antiquissimis manuscriptis, Parmensi videlicet, & Placentino ad annum 1379. apparet.*

3. *Cultum similiter comprobat translatio Corporis Beati anno 1481. peracta, qua Sacrum Corpus e fovea sub humo in Choro Ecclesiæ Parochialis, in qua reconditum fuerat, delatum fuit ad sacellum in honorem Beati in eadem Ecclesia extructum; ut habetur in veteri legenda manuscripta de vita S. Alberti existente penes Rectorem Ecclesiæ Parochialis S. Mathiæ Cremonæ. Accedunt Beati imagines tam pictæ, quam sculptæ cum radiis, & splendoribus; quarum antiquitatem periti judicialiter examinati repetunt alii quatuor, alii duobus ab hinc seculis. Retentio vero lampadis accensæ, & tabellæ votivæ ad ejus aram, & tumulum, quamquam necessario centenariæ requisito gaudere Postulatores liquido non ostenderint, perseverantiam tamen, & continuationem cultus evincunt. Extat insuper Breve Urbani VIII. directum bon. mem. Cardinali Camporeo Episcopo Cremonensi cum facultate largiendi Religiosis Ord. Min. de Observantia Reformatis S. Francisci particulam ex sacris Alberti Reliquiis asservatis in Parochiali Ecclesia S. Mathiæ Cremonæ, quod ut Postulatores contendunt, satis esset pro approbando casu excepto in vim Pontificii indulti. Breve est hujusmodi.*

A TERGO

Dilecto Filio nostro Petro tituli S. Thomæ in Parione Presb. Card. Camporeo nuncupato, Ecclesiæ Cremonensis ex concessione, & dispensatione Apostolica Præsuli.

INTUS VERO

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam benedictionem.

PIIS, ac devotis supplicationibus dilectorum Filiorum Ministri, & Fratrum Domus S. Alberti Rumitorio nuncupati Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum, Terræ Villa d'Ogna Bergomensis Diœcesis, quantum cum Domino possumus annuere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas, quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Censuris, ac pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, circumspectioni Tuæ, ut Ministro, & Fratribus prædictis aliquarum sacrarum ipsius S. Alberti reliquiarum, quæ ut iidem Minister, & Fratres asserunt, in Ecclesia Parochiali S. Mathiæ Cremonensis asservantur, particulam, ad effectum illam in Ecclesia dictæ domus debitis cum honore, & reverentia collocandi, donare, & elargiri libere, & licite possis, & valeas, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur: non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ecclesiæ Cremonensis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 9. Augusti 1624. Pontificatus nostri anno secundo.

DECRETUM

LISBONEN. SEU VISEN. CANONIZATIONIS

BEATI GILII, SEU ÆGIDII

Sacerdotis Professi Ord. Prædicatorum.

ENIXE supplicante R. P. Vincentio Maria Ferretti Vicario, & Procuratore Generali Ord. Prædicatorum per sac. Rituum Congregationem decerni, & declarari, constare prædicto B. Ægidio cultum exhibitum fuisse, & exhiberi ex indultis Apostolicis, ideoque causam hujusmodi comprehendi inter casus exceptos a decretis, jussu fel. rec. Urbani PP. VIII. in Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis editis super non cultu, istisque fuisse sufficienter satisfactum; eadem sacra Congregatio, referente Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Portocarrero Ponente, & audito R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, qui scripto, & voce suam sententiam exposuit, rescribendum censuit, constare de casu excepto vigore indulti Apostolici, & ideo procedi posse ad ulteriora, si Sanctissimo Domino nostro placuerit. Die 4. Maii 1748.

Et facta de prædictis eidem Sanctissimo Domino nostro relatione per me Secretarium, Sanctitas sua benigne annuit. Die 9. ejusdem mensis, & an. 1748.

F. Jo. A. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymit.
S. R. C. Secret.

1. *Obiit Beatus iste anno 1265., ejusdem vitam conscripsit auctor quidam anonymus dicto Beato coævus, qui, ut constat, erat superior Conventus Santaren. eo tempore, quo B. Ægidius in eodem e vita decessit; quæ decursu temporis ab inculta latinitate per P. Magistrum Andream Resendium Ordinis Prædicatorum anno 1586. expurgata, in dialogi deinde formam politiori stylo a Fr. Stephano de Sampaxo ejusdem Ord. digesta fuit. Ejusdem Beati mentionem fecerunt Beatus Umbertus quintus Magister Generalis Ord. Præd.* (*qui prima Religionis Tyrocinia posuit una simul cum Beato Gilio*) *in libro cui titulus:* Vitæ Patrum. *Scripsit hic sub finem seculi duodecimi, sive initio seculi decimitertii. Antonius Senensis in Chronico typis excuso Parisiis anno 1585. Martinus del Rio, qui scripsit anno 1612. Michel Pius anno 1620. Ferdinandus Castilia in historia Ord. S. Dominici; Bzovius in Annalibus Ecclesiasticis Peter de Tournon in Opere de viris illustrioribus, aliique complures.*

2. *Confecti fuerunt anno 1627. Processus ab ordinariis Lisbonen., & Visen., iisque in sacra Rituum Congregatione discussis, causæ introductionis commissionem signavit Summus Pontifex Urbanus VIII. anno 1629., referente clar. mem. Cardinali Cajetano: confectisque Processibus Apostolicis super virtutibus, & miraculis, usque in præsens causa siluit.*

3. *Variæ cultus species cum in historiis, tum in processibus referuntur. Primo corporis translatio ex humili in decentiorem locum anno sexto ab obitu facta. Secundo imagines Beati cum radiis, & diademate in Ecclesiis expositæ, & tabellæ votivæ ad ejus sacellum suspensæ. Tertio solemnis, & publica gestatio reliquiarum Beati, & earumdem in Ecclesiis expositio. Quarto erectiones Confraternitatis, Ecclesiarum, & Altarium in ejus honorem. Quinto anniversaria festivitas ab antiquissimo tempore celebrari solita. Sexto, Sancti, & Beati titulus, quo servus Dei condecoratus fuit.*

4. *Novissime autem a Nobis causæ reassumptione signata, & deinde proposito consueto dubio sub die 4. Maii 1748.: An constaret de casu excepto a decretis fel. record. Urbani VIII. super non cultu editis, sacra Congregatio censuit constare de casu excepto vigore indulti Apostolici juxta decretum superius expositum.*

5. *Indultum vero, de quo sacra Congregatio rationem habuit in præsenti causa, responsum est in Literis Apostolicis Clementis VIII. incipien.* Universis, *quæ expeditæ fuerunt in forma Bullæ, prævia supplicatione manu Sanctissimi signata.*

Supplicatio est sequens:

CLEMENTI PAPÆ VIII.

BEATISSIME PATER.

CUM in Ecclesia, seu Capella S. Gilii Oppidi da Vouzella Visen. Diœcesis una pia, ac devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas *sub invocatione, seu ad altare ejusdem S. Gilii ad Dei omnipotentis laudem, ac animarum salutem, proximique subventionem canonice, non tamen pro hominibus unius specialis artis instituta, & erecta* existat, cujus Confratres devoti S. V. Oratores quamplurima Charitatis, & misericordiæ Opera exercere consueverunt. Ut igitur ipsi Confratres, ac pro tempore existentes dictæ Confraternitatis S. V. prædicti oratores in hujusmodi piorum Operum exercitio confoveantur, ac magis ad ea inposterum exercenda, nec non alii Christifideles promptius ad Confraternitatem ipsam ingrediendam *invitentur, dictaque Ecclesia in debita veneratione habeatur, & ab ipsis Christifidelibus congruis frequentetur honoribus*, illique eo libentius ad illam devotionis causa confluant, quo ex dono cælestis Gratiæ conspexerint se uberius esse refectos, supplicant igitur humiliter S. V. dicti Oratores, quatenus cælestis gratiæ thesauris paterna Charitate intenden., dictamque Confraternitatem specialibus favoribus, & gratiis prosequen. omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœniten., & confessis, qui dictam Confraternitatem pro tempore in posterum ingredientur, ac in illa recipientur, die primo illorum ingressus, & receptionis hujusmodi, si sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam, necnon tam ipsis, quam omnibus, & singulis aliis nunc, & pro tempore existentibus ejusdem Confraternitatis utriusque sexus Confratribus pro tempore ubilibet decedentibus, ac vere pœniten., & confessis, ac sacra Communione refectis in eorum mortis articulo pium nomen Jesu corde, si ore nequiverint, invocan., etiam plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem perpetuo concedere, & largiri. Præterea tam ipsis Confratribus, quam universis, & singulis aliis, utriusque sexus Christifidelibus etiam *vere pœniten., & confessis, qui Ecclesiam, seu Capellam prædictam in die, quo festivitas ejusdem S. Gilii, qui in dicto oppido ortus existit, celebrabitur a primis Vesperis usque ad occasum solis diei ejusdem Festivitatis* singulis annis devote visitaverint, & inibi pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, Hæresum extirpatione, & Hæreticorum reductione, ac infidelium conversione, & inter Christianos Principes conservan. pace, concordia, & unione aliquas ad Deum preces effuderint, quacumque festivitate præfata id pro tempore fecerint, quoad Confratres perpetuo pro his tantum, qui eodem die Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum *sumpserint, similem Indulgentiam plenariam*: Quo vero *ad non Confratres Ecclesiam, seu Capellam hujusmodi*, ut præfertur, visitantes, ac eodem SS. Sacramento etiam refectos pro primo anno decennii proximi etiam plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem pariter concedere, & elargiri, pro reliquis vero novem annis eisdem non Confratribus septem annos, & totidem Quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis; illis autem omnibus, & singulis dictæ Confraternitatis utriusque sexus Confratribus, qui pariter vere pœnitentes, & confessi, ac sumpto eodem Eucharistiæ Sacramento *Ecclesiam, seu Capellam præfatam* in Visitationis, Assumptionis, Purificationis, & Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis festivitatibus, seu in aliqua, vel aliquibus, illarum etiam devote visitaverint, ibidemque, ut supra, oraverint, qualibet vice etiam septem annos, & totidem quadragenas; illis etiam, qui Missis, & officiis *in Ecclesia seu Capella præfata ex consuetudine, vel instituto, seu intuitu dictæ Confraternitatis pro tempore more Confraternitatum celebrantur, & recitantur seu Congregationibus publicis*, vel secretis

ejus-

ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, vel pauperes peregrinos hospitio exceperint, aut eleemosynis, vel officiis adjuverint, aut pacem cum inimicis propriis, vel alienis composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam qui corpora in Christi charitate defunctorum tam Confratrum, quam aliorum, ad sepulturam associaverint, aut infirmos consolati fuerint, vel quascumque processiones ordinarias, & extraordinarias tam prædictæ Confraternitatis, quam alias quascumque de licentia Ordinarii celebrandas, & SS. Sacramentum quando tam in Processionibus, quam ad aliquem infirmum, aut alias ubicumque, & quandocumque, & pro tempore deferetur, comitati fuerint, seu impediti per alium, seu alios associari fecerint, aut campanæ ad id dato signo genuflexi semel orationem Dominicam, & salutationem Angelicam dixerint, ac etiam quinquies eamdem orationem Dominicam, & salutationem Angelicam pro animabus Confratrum dictæ Confraternitatis in Christi charitate, ut præfertur, defunctorum recitaverint, aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint, ac ignorantes Dei præcepta, & quæ ad salutem sunt necessaria, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, quoties præmissa, vel aliquod præmissorum egerint, sexaginta dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis perpetuo misericorditer in Domino relaxare dignemini de gratia speciali, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis,

Fiat ut Petitur.

Et cum absolutione a censuris ad effectum &c. & de singulis Indulgentiis etiam plenariis concessione, elargitione, relaxatione, aliisque præmissis, ut supra in forma gratiosa latissime exten., & quod præmissorum omnium, & singulorum etiam invocat. relaxat. nuncupat. dictorum, aliorumque necessariorum major, & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis, & cum clausula volumus.

Datum Romæ apud S. Marcum nonis Augusti Anno primo.

Sumptum ex regestro supplicationum Apostolicarum per me Antonium Velli ejusdem Collegii Magistr. collationatum.

Loco † Sigilli.

Ex libro Nono Anni primi fol. 68. Revisa.

In hujus supplicationis vigore expedita fuit Indulgentiæ Bulla, ut sequitur.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

UNiversis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem. Salutis gregis Dominici, curæ nostræ meritis licet imparibus divina dispositione commissi, sollicitis studiis intendentes fideles singulos, quorum merita pro demeritis, penitus sunt imparia, ad pia, & meritoria opera exercenda spiritualibus muneribus, Indulgentiis, peccatorum remissionibus libenter invitamus, ut per eorumdem Operum exercitium suorum abolita macula delictorum, ad æterna beatitudinis gaudia facilius provenire mereantur. *Cum itaque, sicut accepimus, in Ecclesia, seu Capella Sancti Gilii oppidi de Vouzela Visen. Diœcesis una pia, & devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas sub invocatione, seu ad Altare ejusdem S. Gilii* ad omnipotentis Dei laudem, & animarum salutem, proximique subventionem, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice instituta, & erecta existat, cujus dilecti Filii Confratres quamplurima charitatis, & misericordiæ opera exercere consueverunt. Ut igitur Confratres prædictæ Confraternitatis, pro tempore existentes, in hujusmodi piorum operum exercitio confoveantur, ac magis ad ea imposterum exercenda, nec non alii Christifideles promptius ad Confraternitatem ipsam ingrediendam excitentur, *prædictaque Ecclesia, seu Capella in veneratione debita habeatur & ab eisdem Christifidelibus congruis frequentetur honoribus, illisque libentius ad illam devotionis causa confluant*, quo ex hoc dono cælestis gratiæ conspexerint se uberius esse refectos. De omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui dictam Confraternitatem pro tempore in perpetuum ingredientur, ac in ea recipientur, die primi illorum ingressus, & receptionis hujusmodi, si SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam, necnon tam ipsis, quam omnibus, & singulis aliis tunc, & pro tempore existentibus ejusdem Confraternitatis utriusque sexus Confratribus pro tempore ubilibet decedentibus, etiam vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis in eorum mortis articulo pium nomen Jesu corde, si ore nequiverint, invocantibus, etiam plenariam &c. Præterea tam ipsis Confratribus, quam universis aliis, & singulis dicti sexus Christifidelibus similiter vere pœnitentibus, & confessis, *qui Ecclesiam seu Capellam præfatam in die, quo Festivitas ejusdem Sancti Gilii, qui in oppido præfato ortus exstitit, celebrabitur, a primis vesperis usque ad occasum solis diei ejusdem Festivitatis* singulis annis devote visitaverint, & inibi pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, hæresum extirpatione, & hæreticorum reductione, ac infidelium conversione, & inter Christianorum Principes conservanda pace, concordia, & unione aliquas ad Deum preces effuderint, quacumque festivitate prædicta id pro tempore fecerint, quoad dictos Confratres, perpetuo, pro his tantum, *qui eadem die Festivitatis* prædictum SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, similiter *plenariam*; quo vero ad non Confratres, *& Ecclesiam, seu Capellam hujusmodi*, ut præfertur, visitantes, ac eodem SS. Sacramento etiam refectos, pro primo anno infrascripti decennii tantum pariter plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum Indulgentiam, & Remissionem Auctoritate Apostolica tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus, & elargimur; pro reliquis vero novem annis dicti decennii eisdem non confratribus septem annos, & totidem quadragenas, insuper eisdem Confratribus, qui pariter vere pœnitentes, ac confessi, ac sumpto eodem SS. Eucharistiæ Sacramento Ecclesiam, seu Capellam prædictam in Visitationis, Assumptionis, Purificationis, & Annunciationis Beatæ Mariæ festivitatibus, seu in aliqua, vel aliquibus illarum etiam devote visitaverint, ibidemque, ut præfertur, oraverint, qualibet vice, aliusque septem annos, & totidem quadragenas. Nec non ipsis Confratribus, qui Missis, & Officiis in Ecclesia, seu Capella prædicta ex consuetudine, vel instituto, seu intuitu dictæ Confraternitatis pro tempore more Confraternitatum celebrandis, recitandis, seu Congregationibus publicis, vel secretis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis, pro quocumque opere pio exercendo interfuerint, vel pauperes peregrinos hospitio exceperint, aut eleemosynis, vel officiis adjuverint, aut pacem cum inimicis propriis, vel alienis composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam qui Corpora in Christi Charitate defunctorum tum Confratrum, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut infirmos consolati fuerint, vel quascumque Processiones ordinarias, & extraordinarias tam prædictæ Confraternitatis, quam alias quascumque de licentia Ordinarii celebrandas, dictumque SS. Sacramentum, quando tam in Processionibus, quam dum ad aliquem infirmum, ac alias ubicumque, & quandocumque pro tempore defertur comitati fuerint, seu impediti, per alium, seu alios associari fecerint, aut campanæ ad id signo dato genuflexi semel orationem Dominicam, & salutationem Angelicam dixerint, ac etiam quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam pro animabus Confratrum dictæ Confraternita-

tis in Christi Charitate, ut præfertur, defunctorum recitaverint, aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint, ac ignorantes Dei præcepta, & quæ ad salutem sunt necessaria, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel Charitatis Opus exercuerint, quoties præmissa, vel aliquod præmissorum egerint, sexaginta dies de injunctis eis, aut alia, & quomodolibet pœnitentiis debitis, auctoritate & tenore prædictis relaxamus. Præsentibus quoad non Confratres, ut præfertur, visitantes ad decennium proximum tantum, quoad Confratres vero prædictos, perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem quod Confratribus, & aliis Christifidelibus prædictis rationes præmissorum, vel alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per Nos concessa fuerit, præsentes literæ nullius sint roboris, vel momenti. Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo secundo nonas Augusti Pontificatus nostri anno primo.

XIII. D E C R E T U M

POSNONIEN. CANONIZATIONIS

BEATI LADISLAI DE GIELNIOW

Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Observantium S. Francisci.

CUM post signatam anno 1730. manu san. mem. Clementis Papæ XII. Commissionem reassumptionis Causæ Canonizationis B. Ladislai prædicti, constructus fuerit in Civitate Varsaviæ anno 1747. particularis auctoritate Apostolica Processus super cultu immemorabili ipsi Beato præstito, sive super casu excepto a Decretis fel. mem. Urbani Papæ VIII. in Congregatione Sanctissimæ inquisitionis editis: Cumque modo ad instantiam F. Dominici Elewski Ordinis Minorum Observantium S. Francisci Causæ Postulatoris, per Celsitudinem Regiam Eminentissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Ducis Eboracensis propositum fuerit in Sac. Rituum Congregatione Ordinaria habita di 31. Januarii currentis anni Dubium: An sententia per Reverendissimum Vicarium Generalem Varsaviæ Judicem a Sac. Rituum Congregatione delegatum lata super cultu publico ab immemorabili tempore prædicto Beato exhibito, sive super casu excepto a Decretis san. mem. Urbani Papæ VIII. sic confirmanda in casu, ad effectum &c.: sacra eadem Congregatio, præfato dubio mature discusso, auditoque prius voce, & scripto R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, respondit, affirmative, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Die 31. Januarii 1750.

Et facta deinde per me Secretarium de Prædictis eidem Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 11. Februarii ejusdem anni 1750.

D. F. Cardinalis Tamburinus Præfectus.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secretarius.

1. *B. Ladislaus (pro cujus Canonizatione supplices Urbano VIII. preces porrexit Synodus Provincialis Cracoviæ celebrata an. 1634.) in Oppido Gielnovii Diœcesis Gnesnensis natus, pueritia sanctissime in patria transacta, ad liberales disciplinas addiscendas Cracoviam se contulit, ubi cum moraretur, admiratus vitæ austeritatem, & sanctitatem Fratr. Min. Observantium S. Francisci, quorum regularis observantia recens erat per Beatum Joannem Capistranum in Poloniam introducta, ipsorum Religiosum habitum suscepit in Conventu Varsaviense. Sacerdotio initiatus, ea præ ceteris vitæ sanctitate præfulsit, ut fuerit:* Perfectissimorum quorumcumque sanctissimus, & Sanctissimorum perfectissimus omnium: (*Verba sunt pervetusti Anonymi Religiosi senis in Compendio vitæ Beati mox referendo*). *Hinc multoties Custodis, & Guardiani officium administravit, & Vicarium, seu, ut nunc moris est, appellare, Ministrum Provincialem in toto Poloniæ Regno quinquies egit. Inter heroicas vero hujus Beati virtutes obedientia, & abnegatio suæ voluntatis sublimius emicuit; cujus singulare specimen dedit in ultima senectute; cum enim in Capitulo quod Cracoviæ anno 1504. celebrabatur, Patres Capitulares vellent ipsi indulgere, ut locum ubicunque vellet morari, sibi placitum eligeret, gratumque, qui a suis esset obsequiis, socium adjungeret, Beatus respondit:* Ego promisi obedientiam usque ad mortem. Quare ergo desideratis a me, ut faciam voluntatem meam, officium, & locum mihi deligendo? volo in obedientia mori. *Singularis quoque fuit ipsius devotio erga* D. N. J. *Christi Passionem, quæ tam alte ipsius menti hærebat, ut in omnibus concionibus, quas frequenter ad populum usque ad ultimum suæ vitæ spiritum habebat, hæc verba præmitteret:* Jesus Nazarenus Rex Judæorum. *Ad excitandam in Fidelibus pietatem, & devotionem edidit complures Hymnos, aliasque pias preces, Christi Domini, & B. Mariæ laudes continentes. Anno tandem 1505. sacro Parasceves die, de Dominica Passione ad Populum concionem habens, cum Mysterium Flagellationis Redemptoris nostri repræsentaret, exclamavit ter ingeminando:* O Jesus, *& simul coram universo populo in extasim raptus, ac supra ambonem elevatus est; mox languore correptus, & per mensem in lectulo decumbens plenus meritis præsentem vitam in æternam commutavit d. anno 1505. quarto nonas Maii in Conventu Varsaviensi:*

2. *Ipsius vitam, res gestas, & miracula fuse enarrant Andreas Critius Cancellarius Regni seu potius Reginæ Poloniæ, ac postea Archiepiscopus Gnesnensis in Compendio vitæ Beati conscripto ante anno 1721., Joannes Komorrovius ex Ordine Fr. Minor. in libro manuscripto, cui titulus:* Breve Memoriale, *in quo pertexit Historiam Ordinis Seraphici usque ad annum 1535. penultimum suæ vitæ annum; pervetustus Anonymus Religiosus Senex in Compendio vitæ ejusdem Beati. Hisce accedunt antiqua Chronica Provinciæ Poloniæ, Fabianus Orzes Kowskri Ord. Min. vicinus Ven. Servi Dei temporibus in suo Carmine rhythmico, Vincentius Moravuski in vita Beati edita Cracoviæ anno 1612., Abraham Bzovius in Annalibus Ecclesiasticis, Lucas Wadingus in Annalibus Minorum tom. 15. ad annum Christi 1505., Franciscus Aroldus Hibernus in Epitome Annalium Ord. Min., Hyacinthus Prusz in Propugnaculo Spirituali Regni Poloniæ, Auctor Lexici Sanctorum ex actis Sanctorum collecti, Auctor Chrononicorum, seu Annalium trium Ordinum Institutorum a S. Francisco, Arturus in Martyrologio Franciscano, Ludovicus Miskic in triplici speculo perfectionis, Uladislaus Lubinski in libro, cui titulus:* Mundus in omnibus suis partibus: *& Continuatores Bollandiani in actis Sanctorum mensis Maii tom. 1. ad diem 4.*

3. *Jam usque ab anno 1627. super fama sanctitatis, & cultu Beato Ladislao præstito constructus fuit auctoritate ordinaria Processus, quo maturo discusso in SS. Rituum Congregatione anno 1629. signata fuit manu san. mem. Urbani PP. VIII. commissio introductionis causæ; expeditisque subinde Literis remissorialibus, & compulsorialibus confectus fuit Varsaviæ ab anno 1632. usque ad annum 1637. processus auctoritate Apostolica super sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis in specie, in quo de anno 1635. in actu judicialis visitationis ejus Sepulcri adnotatum fuit inter alia, quod conditiones, & requisita præscripta in Decretis Urbani VIII. ad concludendum cultum immemorabilem, seu casum ab iisdem exceptum, in causa concurrebant. Hoc autem Processu in actis sacræ Congregationis exhibito causa siluit usque ad an. 1730., quo fel. mem. Clemens XII. commissionem reassumptionis ejusdem causæ in statu, & terminis signavit cum conditione de more apposita, ut in primis doceretur de paritione decretis præfati Urbani VIII., sive de casu ab illis excepto. Quare expeditæ fuerunt eodem an. 1730. Literæ remissoriales, & compulsoriales cum termino triennii ad construendum in Civitate Var-*

saviæ

savia Processum Apostolicam super cultu publico ab immemorabili tempore prædicto Beato exhibito; quæ tamen ob diuturnam Episcopi tunc temporis Posnanien. infirmitatem, & obitum debitæ executioni demandari non potuerunt. Relaxatum subinde fuit anno 1737. duplicatum earumdem literarum cum concessione termini Sexennii, quo tamen expleto, quin memoratus Processus ob calamitates in Poloniæ Regnum invectas compleri potuerit, concessus iterum fuit an. 1745. in altero duplicato novus terminus Sexennii, In hoc itaque termino Vicarius Generalis Varsavien. Judex delegatus dictum Processum anno 1747. compilavit, ac lata sententia declaravit: Constare de cultu publico eidem Beato Ladislao de Gielniow a centum, & ultra annis ante promulgationem dictorum decretorum san. mem. Urbani VIII. exhibito.

4. *Hujusmodi cultus immemorabilis inter alias antiquissimæ venerationis species comprobatus fuit, tum ex titulo* Beati, & Sancti, *quo absolute, & supra Personam cadente condecoratus semper fuit Ven. Ladislaus in supra enunciatis monumentis historicis conscriptis per centum, & ultra annos ante Constitutionem Urbanam, tum ex Tabellarum oblatione, & concursu Fidelium ad Beati Sepulchrum, ut præ ceteris referunt paullo ante indicati Andreas Critius Archiepiscopus Gnesnensis, & Joannes Komorrovus; tam præcipue ex assumptione, & electione Beati Ladislai in Patronum Civitatis Varsaviæ, & Regni Poloniæ, quod constat non solum ex Catalogo Beatorum Patronorum Regni Poloniæ, ex classicis Auctoribus per Matthiam Vokssewski collecto, & typis edita Cracoviæ anno 1607., verum etiam ex tabula quadam antiquissima, in qua conscripta erat oratio cum hac epigraphe:* Oratio ad Beatum Patrem Ladislaum Patronum Varsaviensem; *nec non ex monumento historico supra relati Anonymi Religiosi Senis, quod exhibitum in antedicto Processu Apostolico constructo ab an. 1632. ad 1637. dicitur, quod erat conscriptum in Pergamena vetusta. In hoc autem monumento retexitur Catalogus omnium Patronorum Regni Poloniæ, inter quos recensetur Beatus hisce verbis:* Beatus Ladislaus de oppido Gielnoiw, miraculis insignis Varsaviæ, qui obiit anno Domini 1505. Maii quarta die. *Nos quoque de hujusce Patronatus prærogativa mentionem fecimus lib. 4. part. 2. cap. 14. n. 3. in quo hæc habentur:* Ante decretum Summi Pontificis Urbani VIII., infra referendum, non modo Sancti, sed etiam Beati passim, seu Beatificatione formali, seu Beatificatione æquipollenti Beatificati, in Patronos eligebantur; *a* Carnotensibus etenim B. Hugolinus &c. a Civitate Varsaviæ Beatus Ladislaus &c. in Patronos electi sunt. *Celebris quoque est corporis præfati Beati ex humili in sublimiorem, & honorificentiorem locum elevatio solemni pompa anno 1572. peracta Varsaviæ tempore Generalium Regni Poloniæ Comitiorum per Stanislaum Karnkowski Episcopum Uladislaviensem prævia permissione, & consensu Cardinalis Francisci Commendoni Legati a Latere S. Pii V., & Vincentii Portici Apostolicæ Sedis Nuntii, apud Sigismundum Augustum Poloniæ Regem.*

5. *His, aliisque id genus mature discussis sacra Rituum Congregatio præfatam sententiam confirmandam esse censuit, & Congregationis Judicium Nos ipsis approbamus, ut patet ex supra exscripto decreto.*

XIV. DECRETUM

FOROLIVIEN. CANONIZATIONIS

BEATI MARCOLINI A FOROLIVIO

Sacerdotis Professi Ordinis Prædicatorum.

ADMISSA a sac. Rituum Congregatione, sub die 16. Septembris 1747. ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis de Gentilibus commissione reassumptionis causæ B. Marcolini prædicti, a SS. D. N. BENEDICTO PP. XIV, postmodum signata, cum modo ad tenorem præfatæ commissionis ex dispensatione Apostolica propositum fuerit ab eodem Eminentissimo Ponente, atque in dicta Sac. congregatione discussum infrascriptum dubium: An constet de casu excepto a decretis san. mem. Urbani VIII., seu de cultu publico ab immemorabili tempore eidem Beato præstito in casu, & ad effectum, de quo agitur, Sac. eadem Congregatio, audito R. P. D. Ludovico de Valentibus, qui voce, & scripto suam sententiam exposuit, rescribendum censuit: Affirmative, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 2. Maii 1750.

Factaque deinde per me Secretarium, de prædictis eidem Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 9. Maii 1750.

D. F. Card. Tamborinus Præfectus.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymit. S. R. C. Secret.

1. *Beatus Marcolinus ex honestis parentibus progenitus Foroliviii ortum habuit. Decennis Prædicatorum Ordinem ingressus est. Virtutum fere omnium, ac præsertim humilitatis, & mansuetudinis fuit eximius cultor; in simplicitate vero Christiana ita emicuit, ut non alio, quam Simplicis cognomine appellaretur. A cælesti contemplatione fere nunquam animum avertit, ac tanta fuit orandi assiduitas, ut callos maximos ad genua contraxerit. Regularis disciplinæ observantissimus fuit, ita ut B. Raymundus Capuanus præses Generalis præfati Ordinis eum præ ceteris selegerit ad instaurandam, & constabiliendam disciplinam regularem ex gravi grassante peste in variis Monasteriis pene collapsam. Tandem meritis non minus, quam annis cumulatus, octogesimum ætatis suæ annum agens gloriosissime obiit anno 1397.*

2. *Honorificam de hoc Beato mentionem faciunt S. Antoninus 3. part. hist. tit. 23. cap. 10. §. 5. ibi:* In Foroliviensi Conventu sunt duo corpora Beatorum Fratrum, scilicet Fratris Marcolini inde oriundi, & Fratris Jacobi de Venetiis, quæ habentur in magno honore propter sanctimoniam vitæ, & miracula: *Fr. Andreas de Pisis in compendio ipsius vitæ: F. Seraphinus Razzius Ordinis Præd. in libro, cui titulus:* Vite de' Santi e Beati dell' Ordine de' Predicatori: *F. Leander Albertus ejusdem Ordinis in suo libro inscripto:* Descrizione di tutta l' Italia: *Paulus Bonolus in historiis Foroliviensibus: Sigismundus Marchesius in supplemento historico Civitatis Foroliviii: Georgius Vivianus Marchesius in libro, cui titulus:* Vitæ virorum illustrium Foroliviensium: *Pater Dominicus Maria Marchesius, in Diario Dominicano ad diem 24. Januarii: Gregorius Marchesius in Compendio Historico Civitatis Foroliviii, & Fr. Hieronymus de Forolivio in Chronico relato a Ludovico Muratorio tomo 19. rerum Italicarum pag. 874.*

3. *Statim post obitum publicus Ecclesiasticus cultus huic Beato exhiberi cœpit, tum per titulum* Beati, & Sancti, *quo absolute, & super personam cadente condecoratus semper fuit, tum per altaris erectionem in ipsius honorem, tum per tabellas votivas, aliaque anathemata ad dictum altare appensa; tam per celebrationem solemnis Festi in honorem ejusdem Beati quotannis peractam; tam per imagines depictas cum diadematibus, radiis, & splendoribus circa caput, ac in Ecclesiis, aliisque locis sacris expositas; tam per elevationem corporis Beati supra humum in loca sublimi & honorifico, & de hisce omnibus, ut plurimum constat ex centum, & ultra publicis antiquissimis instrumentis, usque ab anno 1397. 1398., & 1399. exaratis ad comprobanda miracula per intercessionem Beati patrata, quæ quidem instrumenta compulsata fuere in processu informativo auctoritate ordinaria Episcopi Foroliviensis anno 1626. constructo.*

4. *Hisce expositis cultus speciebus accesserunt progressu temporis alia complura publici cultus argumenta, quæ aliis Sanctis præstari solent, ac etiam Missæ celebratio de SS. Trinitate; de qua mentionem fecimus hoc eodem libro c. 20. num. 36. ibi:*

lo

In Civitate quippe Fornliviensi die obitus Servi Dei Marcolini Ordinis Prædicatorum celebratue Missa Solemnis de SS. Trinitate.

5. *Compilato usque ab anno 1626. præfato processu Informativo, & in sac. Rituum Congregatione discusso, fuit a san. mem. Urbano VIII. signata commissio introductionis causæ. Licet vero hujusce commissionis vigore expeditæ fuerint anno 1630. Literæ remissoriales, & compulsoriales pro compilatione processus Apostolici in specie; & re ipsa Foroliviis fuerit ille inceptus; attamen tum ob publicationem decretorum ejusdem Pontificis, tum ob alia suborta impedimenta, nunquam hactenus fuit absolutus, & completus. Instantibus autem anno 1714. Postulatoribus pro reassumptione causæ, eadem sacr. Congregatio novum Transumptum dicti Processus Informativi (cum olim alia transmissa copia deperdita fuisset) fieri mandavit, respondendo etiam, quod Apostolicus Processus nullo modo aperiretur, aut mitteretur, quia completum non erat; quam resolutionem retulimus lib. 2. cap. 38. num. 10. Post discussionem hujusce transumpti, prævio ejusdem Congregationis consilio, & voto, Commissionem reassumptionis causæ signavimus die 16. Septembris anno 1748.*

6. *Nullus in hac causa peculiaris constructus fuit Processus super cultu immemorabili, seu super casu excepto ab enunciatis decretis, nec per Judicem ordinarium, vel delegatum sententia super eodem cultu prolata fuit, prout de more faciendum erat; sed propositum, & examinatum fuit dubium:* An constet de casu excepto a decretis sac. mem. Urbani VIII. sive super publico cultu ab immemorabili tempore eidem Beato præstito: *dependenter a præfato antiquiori Processu Informativo; idque ope dispensationis, quam impertiri decrevimus, ea ratione moti, quod in dicto Processu habebantur probationes cultus immemorabilis; quod praxi hujus sacræ Congregationis consonum esse adnotavimus libro 2. cap. 17. num. 4.*

7. *Discussis itaque supra memoratis cultus speciebus, casus exceptus, ex cultu immemorabili fuit per sac. Rituum Congregationem approbatus, & subinde per Nos confirmatus fuit juxta decretum supra relatum.*

XV. DECRETUM

TARVISINA CANONIZATIONIS

BEATI HENRICI DE BOLZANO.

PROPOSITA per Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Besutium Ponentem ad instantiam Abbatis Gasparis Ruggiæ Postulatoris in Congregatione Ordinaria Sac. Rituum habita sub infrascripta die Causa Canonizationis Beati Henrici de Bolzano, atque in ea discusso dubio: An constet de Cultu ab immemorabili tempore præstito Beato Henrico del Bolzano, & Casu excepto a Decretis san. mem. Urbani VIII., ita ut sententia lata a Vicario Generali Tarvisii specialiter Delegato per Reverendissimum Episcopum Tarvisinum sit confirmanda in casu &c. Sac. eadem Congregatio, audito R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei promotore, qui scripto, & voce suam sententiam exposuit, rescribendum censuit, affirmative, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Die 18. Julii 1750.

Et facta deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die 23. ejusdem Mensis & anni 1650.

D. F. Cardinalis Tamburinus Præfectus.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secretarius.

2. *Beatus Henricus e Banceni, seu Bauzani, Oppido Tyrolensis Comitatus vulgo dictus Beato Rigo de Bolzano, post uxoris obitum patria relicta, Tarvisium in Italiam secessit. Eremiticæ ibi vitæ genus aggressus victum a labore manuum quærens, ita Christianas virtutes excoluit, ut omnium oculos propter vitæ sanctitatem in se converterit. Summa in eo fuit humilitas, ac modestia; mira in tolerandis injuriis patientia, ita ut turbari nunquam visus fuerit. Ipse pauper, Christi pauperibus eleemosynas erogabat, necessaria etiam sibi subtrahens. Carnem ciliciis, jejuniis, & flagellis diu, noctuque terebat, ac domabat, pectusque inter orandum saxo tundebat. Conscientiæ puritati ita studuit, ut quotidie sacram Confessionem emitteret, illud etiam inter alia levissima peccata Sacramenti clavibus subjiciens, si nimirum Avem aliquam per aera volitantem, cum delectatione, vel curiositate vidisset. Ecclesiasticis officiis, & sacris Concionibus frequens aderat: divinis precibus fundendis, & cælestium rerum contemplationi assidue vacabat. Senio etiam confectus, baculoque innixus omnes Ecclesias Civitatis, & Suburbiorum Tarvisii singulis diebus visitare consuevit, ibique suas ad Deum preces pronus in terram ex more suo devotissime fundebat.*

2. *His, aliisque piis operibus, atque eximiis virtutibus ad finem usque vitæ exercitis, promeruit, ut passim ab omnibus pro Sancto haberetur, & a multis ipsum videntibus proclamaretur:* iste est Sanctus. *Laboribus tandem, ac meritis plenus animam feliciter Deo reddidit die 10. mensis Junii anni 1315. Beati viri sanctitatem repentino, ac spontaneo campanarum sonitu testatam Deus fecit: sacrum corpus, ex quo maxima sanguinis copia emanavit, in Ecclesia Cathedrali Tarvisino conditum est; octiduo tamen, nulla inter graviores æstus contracta corruptione insepultum jacuit; ut sic fieret satis summæ populi devotioni, qui Sanctitatis, & miraculorum fama permotus tanta frequentia ad illud venerandum certatim Tarvisium confluebant, ut Consules die sexto ab obitu Beati in Comitiis proposuerint:* quid sit faciendum ad habendam bladum, & alia necessaria victualia ad sufficientiam pro multitudine Forensium, qui continue in maxima quantitate veniunt ad Civitatem Tarvisii ob honorem, & reverentiam corporis Beati Rigi &c. *ut legitur in primo libro resolutionum consilii generalis Tarvisii infra referendo.*

3. *Paucis post diebus ab obitu Beati Episcopus tunc temporis Tarvisinus, & Clerus, nec non Magistratus, & populus Tarvisii, pro solemni ejusdem Beati Canonizatione, apud S. Sedem instare decreverunt hisce verbis:* Hæc est provisio facta per Venerabilem Patrem, & Dominum D. Castellanum, Dei gratia Episcopum Tarvisinum, D. Corsium Decanum majoris Ecclesiæ Tarvisinæ &c., &c., per Dominum Potestatem, & ejus curas Ancianorum, & Consulum &c., quod Dominus Potestas, qui pro tempore fuerit &c. teneatur, & debeat sub pœna ducentarum librarum denariorum &c., quandocumque acciderit Ecclesiam Sanctam Dei gaudere Pastores &c. eligere, & creare dictos bonos & idoneos Ambaxatores, & eos emittere ad curiam Summi Pontificis pro Canonizatione Beatorum Rigi, & Parisii, *ut refertur in primo libro reformationum, seu resolutionum consilii generalis Tarvisii anni 1315. die Veneris 13. Julii. Idem testatur Petrus de Boano infra memorandus in vita Beati, ibique subjungit, quod* superveniente proditione tentata per nonnullos Cives Tarvisinos &c., & guerra horribili circa Civitatem Tarvisii soborta &c., non potuit ejusdem desiderium Tarvisii Cleri, & populi executioni mandari.

4. *Hujus Beati vitam conscripsit præfatus Petrus de Boano, olim Episcopus Tarvisinus, & Beato coævus, ut ipsemet sub initio dictæ vitæ fassus est:* Disposui &c., quæ vidi, & oculis conspexi, ac audivi de Beato Rigo, in scriptis reducere ad perpetuam memoriam futurorum &c., cum hodie nullus in ipsa Ecclesia consistat, qui ultra me memoriam de hujusmodi possit ulterius habere, aut melius recordari. *Plura de ejusdem Beati vita, & gestis referunt quoque Cardinales Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1315., Abraham Bzovius eorumdem Annalium continuator; Philippus Ferrerius in Catalogo Sanctorum omissorum, in Martyrologio Romano; Bollandiani Continuatores*

tu

in Actis Sanctorum, edit. anno 1684. tom. 5. pag. 632., aliique Scriptores.

5. Publicus Ecclesiasticus cultus, quo Beatus condecoratus fuit, initium sumpsit statim ab ejus obitu, & sic per tria, & ultra secula ante decreta Urbani VIII. Inter alias vero nobilissimas publici cultus species recensentur præcipue constructio sacelli in honorem Beati, præter Altare, quod ad opportunitatem erectum fuerat ante Arcam, qua ejus corpus reconditum fuit: Festivitas cum pubblica ad ejus altare processione quotannis solemniter celebranda: ejus electio in Protectorem, & Patronum Civitatis Tarvisii, quæ sane omnes cultus species decretæ ei fuerunt eodem, quo obiit, mense, in Generalibus dictæ Civitatis consiliis, præsente, approbante, & assentiente Episcopo, tunc temporis Tarvisino, quæque eodem anno 1315. executioni fuerunt demandatæ. His accedunt imagines Beati cum laureolis, diademate, & splendoribus, oblationes, donaria, anathemata, luminum, & cereorum accensio ad corpus, & reliquias, & ad altare Beati.

6. Comprobata fuerunt hæc omnia antiquissimis, & coævis documentis; ex vita scilicet Beati scripta a supra relato Petro de Boano Episcopo Tarvisino: Ex quinque voluminibus reformationum, seu ersolutionum factarum in consilio generali Tarvisii ab anno 1315. ad 1372. existentibus in Cancellaria veteri Tarvisina: ex sex rotulis in pergamene charta continentibus solutiones communis Tarvisii ab anno 1325. ad 1331. pro oblatione Beati Henrici: Ex quinque voluminibus nonnullorum Actorum Capitularium vernacule dictis scandalorii: ab anno 1343. ad annum 1403. ex quatuor Libris inscriptis acta Capitularia: quæ documenta existentia in Archivio Ecclesiæ Cathedralis Tarvisinæ compulsata fuere in Processu super cultu immemorabili eidem Beato exhibito, auctoritate ordinaria compilato per Vicarium Generalem Tarvisii specialiter delegatum ab Episcopo Tarvisino. Hisce porro documentis mature perpensis, Sacrorum Rituum Congregatio sententiam a præfato Vicario Generali latam super Cultu publico ab immemorabili tempore Beato Henrico præstito confirmandam censuit, ac subinde Nos confirmavimus, & approbavimus juxta superius expositi Decreti formam.

CAPUT IV.

Decreta super Martyrio, & Causa Martyrii.

I. DECRETUM.

IN CAUSA VEN. SERVORUM DEI RODULPHI ACQUAVIVÆ, ac Sociorum, e Soc. Jesu.

CUM Ven. Servi Dei Rodulphus Aquaviva, Alphonsus Pacechus, Antonius Franciscus, Petrus Bernus Sacerdotes, & Franciscus Aranna Coadjutor Temporalis e Soc. Jesu die 15. Junii 1583. ab Idolatris in Peninsula Salsete prope Goam interfecti pro fide fuissent; Processus super eorum vitæ sanctitate, ac Martyrio auctoritate ordinaria confecti fuere anno 1600.; quibus in Sacra Rituum Congregatione relatis, Urbanus VIII. Commissionem signavit, & S. Congregatio die 25. Septem. 1627. literas remissoriales decrevit ad processum auctoritate Apostolica faciendum. Hic deinde jam confectus, juxta illius temporis mores ad tres antiquiores Rotæ Auditores die 21. Augusti 1632. transmissus fuit, ut de illius validitate cognoscerent. Siluit deinde causa, donec Nos Fidei Promotoris munere fungeremur, ad relationem clar. mem. Cardinalis Ptolomei, die 26. Augusti 1713. admissa a Sac. Congregatione, & signata a Clemente XI. est Commissio reassumptionis causæ in statu, & in terminis, in quibus tunc reperiebatur. Quare confirmata sub die 20. Novembris 1717. sententia Nuntii Apostolici Ulysippone super cultu Servis Dei post Urbani VIII. decreta non exhibito, sacra Congregatio die 14. Maii 1718. Processus tum Apostolici, tum ordinarii in illo compulsati validitatem approbavit. Mox feliciter expeditis Congregationibus antipræparatoria, & præparatoria propositum in Congregatione generali coram Nobis fuit die 8. Augusti 1741. dubium: an constaret de Martyrio, & causa Martyrii: Omnes quidem constare responderunt. At Nos expectandum adhuc censuimus, & lumen a Deo enixis precibus quærendum. Tandem die 20. Augusti ejusdem anni S. Bernardo sacra, Missæ sacrificio ad ejusdem S. Bernardi aram celebrato, coram Fidei Promotore, ac Sacrorum Rituum Congregationis Secretario declaravimus: constare de Martyrio, & causa Martyrii in casu, & ad effectum, de quo agitur.

En decreti verba.

DECRETUM

INDIARUM, SEU GOANA

Beatificationis, & Canonizationis, seu Declarationis Martyrii

VENERABILIUM SERVORUM DEI

RODULPHI AQUAVIVÆ,

Ac Sociorum, e Soc. Jesu.

CUM in Causa Venerabilium Servorum Dei Rodulphi Aquavivæ, Alphonsi Pacechi, Antonii Francisci, Petri Berni Sacerdotum, & Francisci Arannæ Coadjutoris temporalis e Societate Jesu die 15. Julii 1583. ab Idololatris in Peninsula Salsete prope Goam pro fide occisorum, constructis jam inde ab anno 1600. super eorum vitæ Sanctitate, ac Martyrio auctoritate Ordinaria Processibus, & per clar. mem. Cardinalem de Torres in Congregatione Sacrorum Rituum relatis, postulante, una cum prænobili Familia de Aquaviva, Societate Jesu, fel. rec. Urbanus Papa VIII.; signata Commissione, manum Causæ apposuerit, ac Sacra Congregatio die 25. Septembris 1627. Literas decreverit remissoriales ad processum auctoritate Apostolica faciendum; quem deinde factum, die 21. Augusti 1632., referente clar. mem. Cardinali Pio, ad Rotam, sive ad RR. PP. DD. Jo. Baptistam Coccinum Decanum, Philippum Pirovanum, & Clementem Merlinum, Auditores Rotæ antiquiores, ut de illius validitate (citato tamen ad omnes actus R. P. Promotore fidei) viderent, censuit transmittendum.

Postea vero ad relationem clar. pariter mem. Cardinalis Ptolomei, opponente, ut moris est, tunc, deinceps Sanctissimo Domino Nostro, eo tempore sanctæ Fidei Promotore, die 26. Aug. 1713. admissa per Sac. Congregationem, signataque per san. mem. Clementem Papam XI. ad instantiam cl. mem. Francisci Cardinalis, universæque Familiæ de Aquaviva, nec non Præpositi generalis, totiusque Soc. Jesu, Commissione reassumptionis Causæ in statu, & terminis, in quibus tunc reperiebatur; confirmataque sub die 20. Novemb. 1717., prævio Processu, Sententia Nuntii Apostolici Ulysippone (cum Testes illic exsisterent idonei) super Cultu Servis Dei post Urbani prædicti Decreta non exhibito, eadem S. Con-

Congregatio die 14. Maii 1718. Processus tum Apostolici, tum Ordinarii in illo compulsati validitatem approbavent.

Nuper denique, die videlicet 8. currentis Augusti, in Congregatione generali Sacrorum Rituum habita coram Sanctitate Sua, habitis antea solitis Præparatoriis, instante, prædicta cum Societate, Reverendissimo D. Trojano Cardinali de Aquaviva, proposito per Reverendissimum item D. Cardinalem de Tencin Dubio: *An constet de Martyrio & causa Martyrii in casu, & ad effectum de quo agitur*: tametsi omnes constare responderunt; idem tamen Sanctissimus nihil tunc quidem censuit decernendum, sed in tam gravi deliberatione a Deo lumen, & consilium multis precibus quærendum esse ait, atque expectandum.

Nunc autem, sacrosancto Missæ sacrificio ad Aram S. Bernardi hunc etiam ad finem celebrato, accitisque coram se R. P. Promotores fidei, meque infrascripto Secretario, Sanctitas Sua memoratæ Congregationis generalis unanimem Sententiam approbando, declaravit: *Constare de Martyrio, & causa Martyrii in casu, & ad effectum de quo agitur*: Atque ita Sanctitas sua declaravit, ac decrevit, hac die 20. Augusti 1741.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secretarius.

II. DECRETUM

IN CAUSA VEN. SERVORUM DEI
IGNATII DE AZEVEDO,
Et aliorum triginta novem e Soc. Jesu.

CUM post longam Actorum seriem in inscripto Decreto enucleate expositam, causa Ven. Servorum Dei Ignatii de Azevedo, & aliorum triginta novem e Societate Jesu, qui die 15. Julii 1570., dum in Brasiliam a S. Francisco Borgia ad prædicandum Evangelium missi navigarent, ante insulam Palmæ ab impiis Calvinistis in Catholicæ Fidei, atque Apostolicæ Sedis odium variis modis interfecti fuere, coram Nobis in Congregatione Generali proposita tandem fuisse 4. Septem. 1742., ut in ea dubium discuteretur, an constaret de Martyrio, & causa Martyrii; Nos perlectis, relatisque Consultorum, & auditis concordibus Cardinalium suffragiis, responsum ferre de more distulimus, ut in re tam gravi Dei consilium nostris, aliorumque precibus exquireremus. Verum post aliquot dies, nempe die 21. ejusdem mensis S. Matthæo sacra, celebrato Sacrosancto Missæ Sacrificio in Templo S. Andreæ in monte Quirinali ad majorem Aram ante S. Francisci Borgiæ imaginem, ut per illum a Deo lumen imploraremus, declaravimus, præfatorum Servorum Dei Martyrium, & Martyrii causam ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora, nempe ad signorum, seu miraculorum discussionem, juxta nostri generalis Decreti formam editi die 23. Aprilis 1741. Plura Nos quidem ad hoc favorabile responsum edendum impulerunt. Sed hæc præcipua sunt. Primo quidem perfecta in genere suo subsidiaria, quam vocant, Martyrii probatio. Secundo causæ antiquitas, & publicus cultus his Dei Servis ab eorum obitus die usque ad Urbani VIII. Decreta exhibitus; quæ duo peculiari suo rescripto die 8. Aprilis 1704. Clemens XI. in hac Causa suffragaturis attendenda præscripsit. Tertio S. Francisci Borgiæ responsio, qui cum esset Præpositus Generalis, consultus in Servorum Dei obitu, an orandum pro illis esset, consuetaque pro mortuis suffragia persolvenda, de Patrum sibi assistentium consilio respondit, pro iis, utpote Martyribus, orandum non videri. Revelationem, quam de Servorum Dei obitu, & gloria habuit S. Theresia, noluimus hac occasione dispicere, sed illam discutiendam, ac dispiciendam reliquimus, cum de signis agendum esset. Quæ cum ita sint, sequens decretum in lucem edi, ac publicari mandavimus tum ad solatium non minus, quam incitamentum eorum, qui ad Catholicam Fidem seu plantandam, seu propagandam, seu defendendam inter barbaros Idololatras, aut perfidos Hæreticos in assiduo vitæ periculo versantur; tum ad insigne Nationis, ac Religionis decus, quam præfati Servi Dei sortiti, ac professi sunt, de Sede Apostolica, & Fide Catholica optime meritæ; utpote quam largiter suo sudore non modo verum etiam, ubi opus est, sanguine fortiter tuetur.

DECRETUM

BRASILIEN.

Beatificationis, & Canonizationis, seu Declarationis Martyrii.

VENERABILIUM SERVORUM DEI
IGNATII DE AZEVEDO,
Et aliorum triginta novem e Societate Jesu.

CUM in causa Venerabilium Dei Servorum Ignatii de Azevedo Provinciæ Brasiliæ Præpositi, ac triginta novem aliorum e Societate Jesu, die 15. Julii 1570., dum in Brasiliam Evangelii prædicandi causa a S. Francisco Borgia missi navigarent, ante Insulam Palmæ ab impiis Calvinistis in odium Catholicæ Fidei, ac Sedis Apostolicæ variis modis occisorum, relato jam pridem per clar. mem. Cardinalem de Torres Processu desuper auctoritate Ordinaria confecto. Sacrorum Rituum Congregatio die 20. Maii 1628. communi omnium consensu, & voto ad specialem Martyrii, ejusque causæ inquisitionem, absque aliis Processibus in genere, tam in Curia, quam extra illam deveniri posse censuerit; neque ipsa, sublata de medio per clar. mem. Cardinalis de Lugo tunc Sacræ Theologiæ professoris, aliorumque insignium Theologorum responsiones oppositione de voluntarietate Martyrii, ab extra, & non a Promotore Fidei tunc excitata, die 12. Maii ejusdem anni 1628. Litteras Remissoriales expedierit ad quatuor processus in specie super Martyrio, ejusque causa, & Signis, seu miraculis auctoritate Apostolica extra curiam, Bahiæ in Brasilia, & Bracharæ, Conimbricæ, & Eboræ in Lusitania faciendos; in Curia vero duos alios, unum die 15. Decembris 1640. Sanctissimi tunc Provicario clar. mem. Cardinali S. Honuphrii, sive Illustrissimis DD. Octavio Corsinio Archiepiscopo Tarsensi, Lælio Falconerio Episcopo Thebarum, & Joanni Baptistæ Alterio Episcopo Camerinensi, atque alterum die 24. Januarii 1665. clar. mem. item Vicario Cardinali Ginetto, sive Illustrissimis DD. Jacobo Theodulo Archiepiscopo Amalphitano, Joanni Antonio Capoblanco Episcopo Syracusano, & Camillo Piazzæ Episcopo Dragonensi pariter subdelegatis commiserit formandos.

Ac post remotum anno 1625. Cultum publicum, eo usque Servis Dei Ordinariorum, & Sedis etiam Apostolicæ tolerantia exhibitum, dicto ad relationem clar. mem. Antonii Cardinalis Barberini die 15. Septembris 1640. constare de paritione Decreti de non Cultu; postque admissam die 13. Julii 1649., referente clar. mem. Cardinali Columna, per Sacram Congregationem, signatamque manu fel. rec. Innocentii Papæ X. Commissionem reassumptivam Causæ in statu, ac terminis, in quibus tunc reperiebatur, approbata die 31. Augusti 1669. ad relationem clar. mem. Sigismundi Cardinalis Chisii validitate utriusque Processus Romani, sanatisque 21. Januarii 1671. per sa. mem. Clementem Papam X. defectibus quibusdam in supradictis quatuor Processibus Brasiliæ, ac Lusitaniæ; die 2. Maii subsecuti, ex indulto speciali per Oratorem Serenissimi Regis Portugaliæ Comitem de Prado Marchionem de Minas impetrato, propositum a clar. mem. Cardinali Rospiliosio fuerit in Congregatione præparatoria Dubium de Martyrio, & ejus causa, complicatum cum Dubio de Signis, seu Miraculis; auditaque postridie relatione, Pontifex responderit, propositionem Causæ in Congre-

gatione

gatione generali differendam esse ad coadjuvandas, & dilucidandas probationes:

Istis autem magnopere postea illustratis, & corroboratis, in altera præparatoria, quæ die 28. Martii *1719.* coram undecim Reverendissimis Cardinalibus est habita, separatim a Signis, seu Miraculis propositum a clar. mem. Cardinali Ortobono fuerit Dubium de Martyrio, ejusque causa, cum opportunis Animadversionibus SS. D. N. BENEDICTI PAPÆ XIV. tunc S. Fidei Promotoris, quas statim deinde dandas censuit, deditque postremas Animadversiones suas pro Congregatione generali; hæc autem divino consilio factum sit, ut coram ipsomet jam Summo Pontifice nuper, nimirum die 4. Septembris decurrentis, fuerit habenda; propositoque in ea per Reverendissimum D. Alexandrum Cardinalem Albanum Dubio cum hodierno Fidei Promotore Rev. P. Ludovico de Valentibus antea concordato: *An constet de Martyrio, & causa Martyrii in casu, & ad effectum de quo agitur?* idem Sanctissimus Dominus Noster, perlectis, relatisque Consultorum, & auditis Reverendissimorum Cardinalium concordibus suffragiis, tunc quidem distulerit Responsum, donec in ra tam gravi prius Dei consilium suis, & aliorum precibus exquireret:

Nunc denique sacrosancto Missæ Sacrificio in Templo S. Andreæ in Quirinali ad majorem Aram ante Imaginem S. Francisci Borgiæ, ut lumen a Deo per illum imploraret, qui horum in obitu Servorum Dei consultus, an orandum pro illis esset, ac solita pro mortuis suffragia persolvenda; de Patrum sibi tunc Societatis universæ præposito assistentium consilio respondit, pro quadraginta utpote Martyribus orandum non videri, celebrato; attentaque potissimum in Causa hac, (altra perfectam in genere suo subsidiariam, quam vocant, Martyrii probationem) antiquitate ipsius, & circumstantia Cultus publici his Dei Servis a die obitus eorum usque ad fel. rec. Urbani Papæ VIII. Decreta exhibiti (quæ duo hac in Causa suffragaturis san. mem. Clemens Papa XI. die 8. Aprilis *1704.* peculiari rescripto præscripsit attendenda) piis etiam Serenissimi D. Joannis V. Regis Portugalliæ precibus per datas nuper Sanctitatis Suæ Literas expressis benigne inclinatus; memorato Fidei Promotore, meque infrascripto Congregationis Secretario coram accitis, ejusdem Sacræ Congregationis Sententiam approbando, declaravit, in Causa Venerabilium Dei Servorum IGNATII DE AZEVEDO, ac triginta novem Sociorum ejus Martyrium, & Martyrii causam ita probari, ut toto procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem Signorum, seu Miraculorum juxta formam Decreti generalis die 23. Aprilis *1741.* editi: atque ad eorum præcipue, qui Catholicæ Fidei qua plantandæ, qua propagandæ, qua defendendæ causa inter Idolatras, aut perfidos Hæreticos in assiduo vitæ periculo versantur, solatium non minus, quam incitamentum; & decus etiam insigne Nationis, ac Religionis, quam prædicti Servi Dei fortiti, ac professi sunt, de Sede Apostolica, & Fide Catholica optime meritæ, utpote quam fuso largiter non sudore modo, verum etiam, ubi opus est sanguine fortiter tuetur, præsens Declarationis Decretum in lucem edi, ac publicari mandavit hac die S. Matthæo Apostolo sacra 21. Septembris 1742.

F. Jo. A. Card. Guadagni Pro-Præfectus.

Loco † Sigilli.

Thomas Patriarcha Hierosolymitanus
S. C. R. Secretarius.

C A P U T V.

Decreta super Virtutibus.

I. DECRETUM

IN CAUSA VEN. SER. DEI FRANCISCI CARACCIOLI

Clericorum Regularium Minorum Fundatoris.

*IN Causa Ven. Servi Dei Francisci Caraccioli Clericorum Regularium Minorum Fundatoris, cum in generali Sacrorum Rituum Congregatione die 21. Martii 1741. coram nobis propositum fuisset dubium super virtutibus, pro quarum tamen probatione nonnisi de auditu Testes aderant, multis tamen formis adminiculati; Consultores autem fere omnes, & Cardinales suffragiis suis pro earum probatione, & approbatione uniforme tulissent judicium; Nos, re mature discussa, die 23. Aprilis ejusdem anni decretum edidimus, in quo declaravimus, vir*tutes præfati Servi Dei ita esse probatas, ut tuto deveniri posset ad ulteriora, ad miraculorum videlicet discussionem. *Decretum hoc retulimus cap. 1. hujus libri decr. 2. general.: quare ab illo repetendo abstinemus.*

II. DECRETUM

IN CAUSA VEN. SERVÆ DEI

JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL

*IN Causa Ven. Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, proposito in generali Congregatione die 5. Martii 1743. coram nobis dubio super virtutibus; cum hæ ex Testibus tantum de auditu multiformiter adminiculatis probatæ fuissent; Nos, perlectis, relatisque Consultorum, auditisque Cardinalium suffragiis, responsum distulimus; donec die 31. Martii ejusdem anni, post celebratum Sacrosanctum Missæ Sacrificium, declaravimus, vir*tutes præfatæ Servæ Dei ita probari, ut tuto deveniri possit ad ulteriora, nimirum ad miraculorum discussionem.

En decreti verba.

Gebennen. Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVÆ DEI

JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL

Ordinis Monialium a Visitatione Sanctæ Mariæ nuncupatarum Fundatricis.

PRoposita jam sub die 5. currentis Martii in Congregatione Generali coram SS. D. N. BENEDICTO PP. XIV. Causa Ven. Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Ordinis Monialium a Visitatione Sanctæ Mariæ nuncupatarum Fundatricis super Dubio: *An constet de Virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, & Charitate, ac Cardinalibus, Prudentia, Justitia, Fortitudine, ac Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, in casu, & ad effectum &c.:* Sanctitas Sua, perlectis, relatisque omnium Consultorum, & auditis Reverendissimorum Cardinalium Suffragiis, tunc quidem Responsum censuit differendum, ut in tam gravi re Dei etiam consilium suis, & aliorum precibus exquireret. Nunc autem celebrato, hanc etiam ob causam, Sacrosancto Missæ Sacrificio, accitisque coram se R. P. D. Promotore Fidei, meque infrascripto Congregationis Secretario, ejusdem Sacræ Congregationis Sententiam approbando, declaravit: *Virtutes prædictas ita probari, ut tuto deveniri possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem Miraculorum,*

in casu, *& ad effectum &c.*: Sed cum ex Testibus de auditu, multiformiter licet adminiculatis, fuerint probatæ; ut quod Virtutum probationi defuit, Miraculorum eas confirmantium probatione suppleatur, ad Servæ Dei Beatificationem non ante deveniendum esse censuit, quam Miracula omnino quatuor probentur ex Testibus de visu, atque approbentur: juxta formam Decreti Generalis hac de re die 23. Aprilis 1741. editi. Atque ita censuit, declaravit, ac decrevit. Hac Die Dominicæ de Passione 31. Martii 1743.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præfect.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus S. R. C. Secretarius.

III. DECRETUM

IN CAUSA VEN. SER. DEI NICOLAI FACTOR

Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Observantium.

Causa Ven. Servi Dei Nicolai Factor diu, acriterque tum ad Romanæ Rotæ, tum ad Sacræ rituum Congregationis Tribunal agitata fuit, & licet Sacra Rota non modo de Virtutibus, verum etiam de Miraculis constare retulisset; adhuc dubium super virtutibus discussum mox fuit in antepræparatoria Rituum Congregatione coram Cardinali de Carpineo die 14. Septembris 1693.; iterum deinde in alia antepræparatoria Congregatione coram Cardinali de Gentilibus die 19. Januarii 1741. Verum cum miru fuerit in hac postrema Congregatione suffragiorum concordia, censuimus idem dubium coram Nobis in Generali Congregatione, absque alia præparatoria, esse proponendum. Habita hæc fuit die 17. Septembris 1743.: sed ad aliud tempus decretum ferre distulimus. Tandem die 8. Decembris ejusdem anni Immaculatæ Conceptioni Matris Dei sacru, quam Dei Servus præcipuo pietatis, ac Religionis cultu venerabatur, Missæ sacrificia celebrato, antequam ad Pontificalem in Sacrosancta Liberiana Basilica Capellam accederemus, declaravimus constare de virtutibus *in gradu heroico*.

En decreti verba.

DECRETUM

Valentina Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SER. DEI NICOLAI FACTOR

Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Observantium.

MOrtuo Valentiæ in Hispania die 25. Decembris 1583. cum ingenti fama Sanctitatis Venerabili Servo Dei NICOLAO FACTOR Sacerdote Professo Ordinis Minorum Observantium, ejusque Causa Beatificationis, & Canonizationis, signata per felic. record. Paulum Papam V. Commissione introductionis, ac deinde post Urbani Papæ VIII. Decreta per San. Mem. Alexandrum Papam VII. Commissione reassumptionis, diu, atque acriter tum ad Romanæ Rotæ, tum ad Sacræ Congregationis Rituum tribunal agitata.

Cumque nuper proposito in Congregatione antepræparatoria sub die 19. Januarii 1741. per Eminentissimum, ac Reverendissimum Dominum Cardinalem de Gentilibus Dubio Virtutum; Virtutes ipsæ tam propitium habuerint examen, ut Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS Papa XIV., attenta suffragiorum concordia, habitaque ratione iteratæ discussionis ejusdem Dubii in alia Congregatione antepræparatoria coram clar. memor. Cardinali de Carpineo sub die 14. Septembris 1693., multoque antea in Auditorio Sacræ Rotæ (quæ de Miraculis etiam constare, nedum de Virtutibus, retulerat) idem dubium censuerit coram se in Congregatione Generali absque alia præparatoria proponendum.

Reproposito denique in Congregatione Generali sub die 17. Septembris proxime præteriti per eundem Dominum Cardinalem de Gentilibus Dubio: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate in Deum, & proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, Temperantia, earumque annexis in gradu heroica, in casu, & ad effectum, de quo agitur*: Sanctitas Sua, perlectis Dominorum Consultorum, auditisque Eminentissimorum Cardinalium suffragiis; ad lumen a Deo suis, aliorumque precibus implorandum, tunc quidem Dubii resolutionem distulit.

Nunc autem, recurrente solemni die Immaculatæ Conceptioni Matris Dei Sacra, quam Servus Dei præcipuo pietatis, ac religionis cultu venerabatur, Missæ sacrificio celebrato, antequam ad Pontificalem in Sacrosancta Liberiana Basilica Capellam accederet, R. P. Promotore Fidei, meque infrascripto Congregationis Secretario coram accitis, ejusdem Sacræ Congregationis sententiam approbando declaravit; *Constare de Virtutibus Venerabilis Servi Dei NICOLAI FACTOR Theologalibus Fide, Spe, & Charitate in Deum, ac Proximum, nec non Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, Temperantia, earumque annexis in gradu heroica, in casu, & ad effectum, de quo agitur*: Atque ita publicari mandavit hac eadem die 8. Decembris 1743.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præfect.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus Secret.

IV. DECRETUM

IN CAUSA SEPTEM BEATOR. FUNDATOR. SERV. B. M. V.

PRoposito *coram Nobis in Ordinaria Rituum Congregatione die 13. Januarii 1742. dubio*, an miracula a Deo patrata ad collectivam invocationem Septem BB. Fundatorum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis suffragari possint ad effectum eorumdem Canonizationis; *Nos jussimus, fieri prius juridicam relationem Virtutum in gradu heroico singulorum Beatorum, communicari Fidei Promotori, & proponi in Ordinaria Rituum Congregatione, ita ut si favorabilis esset resolutio, & a Summo Pontifice approbaretur, iterum dubium super miraculis coram Pontifice, & Cardinalibus Sacræ Congregationis proponeretur. Cum autem die 1. Februarii 1744. proposita fuisset præfata juridica Virtutum relatio, & Sacra Congregatio rescripsisset*, procedi posse ad ulteriora; *Nos die 5. ejusdem mensis Sacræ Congregationis rescriptum confirmavimus, uti ex sequenti patet decreto.*

DECRETUM

FLORENTINA CANONIZATIONIS

SEPTEM BEATORUM FUNDATORUM

Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis.

CUM in Congregatione Ordinaria Sac. Rituum habita *die 13. Januarii 1742.* coram Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO PAPA XIV. ad relationem clar. memor. Cardinalis Pico Ponentis propositum fuerit Dubium: *An Miracula a Deo patrata ad collectivam invocationem Septem BB. FUNDATORUM Ordinis Servorum Beatæ MARIÆ Virginis suffragari possint ad effectum eorumdem Canonizationis*; placuit Sanctitatis suæ, suspensa dicti Dubii resolutione sequens edere rescriptum: *Fiat relatio juridica Virtutum in gradu heroico singulorum Beatorum Dei Servorum, & communicetur Fidei Promotori, & instantia* pro-

proponatur in Sac. Rit. Congregatione ordinaria, & quatenus resolutio sit favorabilis, & a Summo Pontifice approbanda, proponatur Dubium super Miraculis cum eisdem Scripturis coram Sanctissimo, & Cardinalibus Sac. Rit. Congregationis.

Qua de re cum confecta fuerit requisita relatio juridica Virtutum in gradu heroico singulorum dd. Septem BB. FUNDATORUM, atque ea ab Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Accorambono Ponente subrogato in locum dicti clar. memor. Cardinalis Pico proposita in Congregatione Ordinaria habita sub infrascripta die ad instantiam Patris Magistri Josephi Mariæ de Inghiramis Curti Prioris Generalis, & P. Magistri Callisti Mariæ Palumbella Procuratoris Generalis præfati Ordinis, nec non Familiæ de Falconeriis, ac Patris Magistri Francisci Mariæ Pecoroni Postulatoris causæ; Sac. eadem Congregatio, re mature discussa, & audito prius in scriptis, ac in voce R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, rescribendum censuit: *In casu, & ad effectum, de quo agitur, procedi posse ad ulteriora:* si Sanctissimo visum fuerit. Hac die prima Februarii 1744.

Factaque deinde per me Secretarium de prædicta eidem Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua præfatam resolutionem benigne confirmavit, & approbavit. Die 5. ejusdem Mensis, & Anni.

V. DECRETUM

IN CAUSA VEN. SERVI DEI PETRI CLAVER SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS JESU.

PRoposita coram Nobis fuit in Generali Sacrorum Rituum Congregatione die 22. Augusti 1747. causa Ven. Servi Dei Petri Claver Sacerdotis Professi Soc. Jesu, atque in ea discussum fuit dubium: an constaret de Virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus, earumque annexis in gradu heroico. *Cum autem Consultorum, & Cardinalium suffragia in unanimem abiissent sententiam Virtutum approbationi faventem, mirifice lætati fuimus, dignoscentes, quam vere dictum a Nobis fuisset, cum in minoribus Promotoris Fidei munere fungeremur in nostrarum Animadversionum calce, Causam Ven. Dei Servi Petri Claver, sublatis, quæ excitatæ fuerant, difficultatibus, esse recensendam inter præcipuas, & spectabiliores, quæ tunc in Sacrorum Rituum Congregatione penderent. Verum nostram adhuc ferre distulimus sententiam, tum ut rem adhuc maturius perpenderemus, iteratis precibus cæleste implorantes auxilium; tum ut nonnullas scrupulosiores oppositiones in ipsa Congregatione ab altero ex suffragantibus propositas sedula diligentia examini subjiceremus, licet is ipse, qui eas proposuerat, parvipendendas duxisset, & pro Virtutum approbatione intrepide suffragatus esset, & eorum nemo, qui illas audiverat, a favorabili recessisset sententia. Tandem die 24. Septembris ejusdem anni post celebratum Sacrum, & Consecrationis Episcopalis munus Cardinali delle Lanze solemniter collatum, infrascriptum decretum manu nostra subscriptum Congregationis Sacrorum Rituum Secretario tradidimus inter ejus acta servandum, quo constare de Virtutibus Servi Dei in gradu heroico declaravimus.*

En decreti verba.

DECRETUM

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENEDICTI PAPÆ IV.

IN CAUSA INDIARUM, SEU CARTHAGENEN. BEATIFICATIONIS, ET CANONIZATIONIS

VENERABILIS SERVI DEI PETRI CLAVER

Sacerdotis Professi Societatis Jesu

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus, Fide, Spe, & Charitate in Deum, & proximum; & de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque annexis, in gradu heroico, in casu, & ad effectum, de quo agitur.

POstquam præmissis omnibus permittendis in Causa Venerabilis Servi Dei PETRI CLAVER deventum fuit ad examen Virtutum, præinsertum Dubium ter propositum fuit, & discussum, in Congregatione videlicet, quæ dicitur Antepræparatoria, habita *die 30. Januarii* 1742. in Congregatione, quæ dicitur Præparatoria, habita *die 20. Novembris* 1743., & demum in Congregatione, quæ dicitur Generalis, habita coram Nobis *die 22. Augusti currentis anni* 1747.

Antequam autem ad eam accederemus, qua potuimus diligentia, exhibitas a Patronis Causæ, & a Fidei Promotore Scripturas, & Consultorum suffragia ad Nos delata perlegimus, verbales tum dictorum Causæ Patronorum, tum Fidei Promotoris informationes audivimus, & Congregationem ingressi, longo sermone statum Causæ, & merita exposuimus, uniformem Consultorum sententiam Virtutum approbationis faventem patefecimus, & demum Cardinalium suffragia auribus excepimus, in omnibus, & per omnia Consultorum Suffragiis consona; de quo sane maximopere lætati sumus, tum quia ex memorata Scripturarum lectione animus noster in eamdem ferebatur sententiam, tum quia in nostris Animadversionibus in hac eadem Causa, & super hoc eodem Dubio ante viginti, & octo annos exaratis, cum in minoribus degentes munere Promotoris Fidei fungebamur, postquam subtiliori, qua potuimus, indagine Virtutes impugnavimus, veritati tandem obsequentes, in calce nostrarum Animadversionum causam diximus Venerabilis Dei Servi PETRI CLAVER, sublatis, quæ excitatæ fuerant, difficultatibus, prout deinde feliciter factum est, esse recensendam inter præcipuas, & spectabiliores, quæ tunc in Sacrorum Rituum Congregatione penderent.

Hæc omnia tamen favorabile a Nobis in arena, uti dicitur, responsum proposito Dubio extorquere nullatenus potuerunt; longiori quippe mora in fine Congregationis Nos indigere diximus, tum ut secundis curis, repetitoque privato studio, rem novo examini supponeremus, tum iteratis precibus cæleste auxilium imploraremus, & demum, ut nonnullas scrupulosiores oppositiones in ipsa Congregatione ab altero ex suffragantibus propositas, sedula diligentia videremus, an fulgorem Virtutum Venerabilis Dei Servi obnubilare possent, licet qui proposuit, eas parvipendendas duxerit, & pro virtutum approbatione intrepide suffragatus sit, & quamvis nemo ex eis, qui propositas audiverunt difficultates, a favorabili sententia recesserit: in rebus quippe tanti momenti nulla omittenda est diligentia, nec ulla diligentia tamquam superflua traduci potest.

Post hæc autem ad propositas difficultates descendendo, earum prima ex his, quæ sequuntur, desumpta est. Noctis tempore Dei Servus orabat clauso ostio in cubiculo suo, juxta *cap. 6. Matthæi*, genibus flexis, fune ad collum alligato, capite corona spinea redimito, & corpore denudato; cumque Collegii Rector cubiculum ex improviso ingressus esset, ut ipsi conscientiam suam in Sacramentali Confessione aperiret, conversus ad eum Dei Servus

inquit; Quid a me quæris? Recedas quæso: quod irreverentiæ erga suum Superiorem adscribi videbatur. At, si singulæ circumstantiæ perpendantur, nihil in opere reperiri poterit, quod Virtutibus heroicis, & heroicæ ex tot aliis capitibus comprobatæ erga Superiores observantiæ obstare possit; impatientia quippe ad summum levis, & ex subreptione in tota facti serie excogitari potest, quam etiam statim emendare studuit, cum veste resumpta, illico se contulerit ad Patris Rectoris cubiculum, lacrymisque perfusus, & genuflexus ipsum exoraverit, ut se in pace relinqueret, aliumque sibi eligeret in Confessarium, cum tot aliis in Collegio essent Religiosi, quibus conscientiam suam aperire posset, quod deinde ab eodem Rectore factum est, itaut applicabilis hypothesi absque dubio dicenda sit propositio, de qua in nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 3. cap. 39. num.* 8. culpam venialem ex subreptione non obstare Sanctitati, & præcipue si posterior adfuerit adhibita cautela pro eadem vitanda, pro quo etiam facit illud Sancti Ambrosii in *Apologia David cap. 1. Sancti autem Domini, qui consummato pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi forte ut homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse.*

Primæ secunda succedit difficultas ex eo desumpta, quod, etsi Venerabilis Dei Servus laudabiliter se gesserit, omnem lapidem movens, ne Mauri recens ad Fidem conversi, juxta morem Regionis, parum honestas choreas ducerent cum fœminis, timens, prout eventus sæpe comprobaverat, ne ad vomitum reverterentur, ne alearum ludo inservirent, in quibus, experientia teste, via juramentis, & imprecationibus erat aperta, nimio tamen fervore abreptus aliquando visus est, & Missionarii fines prætermisisse, cum flagello, vulgo disciplina, vetita consortia separaverit, contravenientes percusserit, & aliquando hoc ipsum clavi præstiterit, quam secum forte gerebat. At, si pervicacem Maurorum indolem, & efferatam naturam sedulo perscrutari libeat, si præcedentium admonitionum contemptum consideremus, si morum Dei Servi suavitatem tot aliis documentis comprobatam, si cetera eximiæ charitatis, & benevolentiæ officia erga Mauros, qui ipsum tamquam patrem, & benefactorem semper venerati sunt, advertamus, si nullam ex percussionibus querelam adversus ipsum excitatam perpendamus, nihil, quod reprehendatur, inveniri poterit, nihil, quod obstet mansuetudini, nihil quod officio Missionarii adversetur. Paulus enim Apostolus, qui *ad Galatas 6.* dixerat, *Instruite in spiritu lenitatis*; in prima *ad Corinthios 4.* inquit, *In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis*; & *ad Titum 1. Increpa illos dure*: pro diversitate quippe personarum, & peccatorum, modo severa increpatione, vel etiam virga utendum est, modo cum mansuetudine agendum. Mansuetudine Apostolus, & spiritus lenitate cum Galatis; increpatione deinde, & virga cum Corinthiis, & Cretensibus utendum esse censuit. Galatæ quippe, etsi peccatores, vulnus suum agnoscebant, & medico se curandos tradebant; Corinthii vero post peccatum non sentientes errorem suum, Majoribus suis subdi, & pœnitentia corrigi nolebant, & Cretenses mendaces erant; malæ bestiæ; ventres pigri.

Hæc sunt, quibus præcipue adducti sumus, ut intelligentiam nostram accommodantes opinioni illius, qui difficultates excitavit, necnon ceterorum, qui eas audierunt, concludamus, prædictas difficultates nullatenus obstare heroicitati Virtutum Servi Dei. Addimus, nec a Nobis post Congregationem omissas fuisse secundas curas pro novo totius Causæ studio, &, quod præcipuum est, frequentibus nostris precibus Deum humillime exorasse, ut suo cælesti præsidio Nobis adesset. Quibus adimpletis, inhærentes suffragiis unanimibus tum Consultorum, tum Cardinalium, proposito Dubio respondemus affirmative, *Constare videlicet de virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate erga Deum, & proximum, & de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque annexis, in gradu heroico, in casu, & ad effectum, de quo agitur*. In quorum fidem præsens Decretum manu nostra subscriptum Secretario Congregationis Sacrorum Rituum, post celebratum Sacrum, & Consecrationis Episcopalis munus Cardinali delle Lanze solemniter collatum, consignamus, inter ejus acta servandum. Datum apud Sanctam Mariam Majorem die 24. Septembris 1747. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CAPUT VI.

Decreta super Miraculis.

I. DECRETUM

IN CAUSA VEN. SERVI DEI

ALEXANDRI SAULI

Ex Clericis Regularibus Congregationis Sancti Pauli, Barnabitis nuncupatis.

IN Congregatione generali Sacrorum Rituum coram Nobis habita die 27. Septembris 1740. propositum fuit in Causa Ven. Servi Dei Alexandri Sauli dubium: an, & de quibus miraculis constaret in casu, & ad effectum &c. *Lectis Consultorum, & auditis Cardinalium suffragiis responsum de more distulimus. At anno insequente 1741. die 25. Januarii, Conversionis S. Pauli anniversaria, post Missam celebratam in Ecclesia S. Caroli hujus Almæ Urbis præfatæ Congregationis, ex propositis miraculis duo in tertio genere approbavimus per decretum, quod subdimus.*

DECRETUM

ALERIEN. SEU PAPIEN.

Beatificationis, & Canoniz. Ven. Ser. Dei

ALEXANDRI SAULI

Ex Clericis Regularibus Congregationis S. Pauli, Barnabitis nuncupatis, Episcopi Alerien., & Papien.

HABITA fuit Congregatio Generalis Sacrorum Rituum coram Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIV. die 27. Septembris Anni proxime elapsi, in qua per Reverendissimum D. Cardinalem Sacripanti Ponentem proposita fuit Causa Alerien., seu Papien. Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei ALEXANDRI SAULI ex Clericis Regularibus Congregationis Sancti Pauli Barnabitis nuncupatis, Episcopi Alerien., & postea Papien. super Dubio: *An, & de quibus miraculis constet in casu, & ad effectum, de quo agitur*. In ea autem Sanctitas Sua, lectis DD. Consultorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium auditis suffragiis, nihil tunc decernere, sed resolutionem differre voluit, ut prius de more, tum suis, tum aliorum precibus Cælestis Luminis, &

Au-

Auxilii uberiorem copiam imploraret. Quibus abunde expletis infrascripta die Aniversaria Conversionis Sancti Pauli præfatæ Congregationis Patroni post missam celebratam in Ecclesia Sancti Caroli hujus Almæ Urbis ejusdem Ordinis; Ex propositis Miraculis duo in tertio genere approbavit; Nimirum Sextum: *Fratris Laurentii Mariæ Obez Laici Professi præfatæ Congregationis septuagenarii, qui cum febri maligna, & pustulis animam jam ageret, superposito Ven. Episcopi Rocchetto statim sanatus est die 31. Augusti 1674.* Et Decimum: *Caroli Bertol Militis sexagenarii, qui ut lethali pro febre Rocchetti ejusdem impositione depulsa gratias ageret, ad Ven. Episcopi Sepulchrum in Sella delegatus; ac super lapidem stratus a sexennali etiam crurium debilitate liberatus, repente surgens, domum suis pedibus rediit die 12. Decembris 1678. Et* ita &c. Hac die 25. Januarii 1741.

Fr. J. Ant. Card. Guadagni Pro-Præfect.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus Secret.

DECRETUM

IN CAUSA VEN. SERVI DEI CAMILLI DE LELLIS.

Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.

CUM in causa Ven. Servi Dei Camilli de Lellis, post habitas felici successu Congregationes antepræparatoriam, & præparatoriam, propositum coram nobis fuisset die 26. Septembris 1741. in Congregatione Generali dubium: An, & de quibus miraculis constaret in casu &c. & ad effectum &c.; Nos, omnium suffragiis mature perpensis, & audito tum in scriptis, tum in voce Promotore Fidei, iterumque super sextum ex propositis miraculis consulto perito, qui pro veritate scripserat, sententiam nostram ferre de more distulimus, ut rem maturius adhuc perpensam Deo commendaremus. Tandem die 13. Novembris ejusdem anni 1741. S. Stanislao Kostkæ sacra, postquam S. Missæ Sacrificium ad ejus Aram in Ecclesia S. Andreæ Domus Probationis Soc. Jesu celebravimus, accitis Promotore Fidei, & Sacræ Congregationis Rituum Secretario, sequens edidimus decretum, quo duo approbavimus miracula in tertio genere.

En decretum.

DECRETUM

Romana, seu Theatina, Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVI DEI CAMILLI DE LELLIS,

Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.

PROPOSITO in Congregatione Generali Sacrorum Rituum coram Sanctissimo Domino nostro BENEDICTO PAPA XIV. die xxvi. Septembris proxime præteriti per Eminentissimum Dominum Cardinalem Bellugam Causæ Relatorem Dubio; An, & de quibus miraculis constet in casu &c., & ad effectum &c.: Idem Sanctissimus omnium suffragiis mature perpensis, auditoque in scriptis, & in voce Rev. P. Promotore Fidei, ac perito, qui pro veritate scripserat, iterum quoad sextum infrascriptum miraculum consulto, sumpto etiam ad deliberandum desuper, & rem Deo commendandam spatio, infrascripta die S. Stanislao Kostkæ sacra, postquam S. Missæ Sacrificium ad ejus aram in Ecclesia S. Andreæ Domus Probationis Soc. Jesu celebravit, accitis coram se Rev. P. Promotore, meque infrascripto Secretario ejusdem Sacræ Congregationis sententiam approbando declaravit: Ex novem propositis miraculis constare de duobus in tertio genere: Nimirum de sexto: Catharinæ Marcionæ Puellæ ondennis a septimestri polypo ulceroso, ac fœtido, simul ac subuculæ olim a Servo Dei gestatæ fila duo ægris naribus admota sunt dolore omni protinus cessante, nulloque morbi relicto vestigio, sanatæ Viterbii in Monasterio Sanctæ Catharinæ Ordinis Prædicatorum, ubi educabatur, exeunte Novembris 1728. Ac nono: Catharinæ Dondolæ annorum circiter triginta, quæ sexto graviditatis mense, maligna febri, non pleuram modo, sed & pulmones inflammante, totumque guttur ulcerante, in supremo vitæ, ac mortis agone constitutæ, ad simplicem haustum aquæ commistæ pulvere cubiculi servi Dei, ac dum illi commendaretur anima, porrectæ, abjecto prorsus omni morbo, quin & viribus receptis, surgere statim potuit, sanam se clamitans, & probans Romæ die 28. Januarii 1736. Atque ita Sanctitas sua declaravit, decrevitque, ac decretum publicari jussit die 13. Novembris 1741.

S. Card. Valenti Pro Eminentissimo Præfecto.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolimitanus Secretarius.

III. DECRETUM

IN CAUSA CANONIZ. B. FIDELIS A SIGMARINGA

Ordinis Minorum Cappuccinorum.

CUM in Congregatione Generali coram Nobis habita die 17. Decemb. 1743. in Causa Canonizationis B. Felicis a Sigmaringa Ordinis Minorum Cappuccinorum propositum fuisset dubium: an, & de quibus miraculis constaret post indultam eidem Beato venerationem in casu, & ad effectum &c. Nos, lectis Consultorum, auditisque Cardinalium suffragiis, ad aliud tempus responsum distulimus, ut fusis ad Deum precibus divinam opem imploraremus. Verum die 18. Januarii 1744. quæ Cathedræ Romanæ Principis Apostolorum dicata est, post celebratum in privata Capella Missæ sacrificium unanimi tum Consultorum, tum Cardinalium consensui inhærentes, declaravimus ex quatuor propositis miraculis constare de duobus tertii generis, *ut sequenti liquet decreto.*

DECRETUM

Constantien., seu Curien.

CANONIZATIONIS BEATI FIDELIS A SIGMARINGA

Ordinis Minorum Cappuccinorum primi ex Missionariis Sacræ Congregationis de Propoganda Fide ab Hæreticis in odium Fidei interempti.

POST formalem, solemnemque Venerabilis Dei Servi Beatificationem expletam die 24. Martii 1729., signata fuit die 28. Augusti 1730. Commissio reassumptionis Causæ ad probandum ea, quæ post indultam a Sede Apostolica Venerationem supervenerunt, confectisque Auctoritate Apostolica binis Processibus Constantiensi, videlicet, & Mediolanensi, discussaque eorum validitate, fuit eadem approbata, & Sacræ Congregationis responsa Apostolicæ confirmationis robur obtinuerunt.

Habitis post hæc juxta morem binis Congregationibus, altera Antepræparatoria die 20. Novembris 1742.; altera Præparatoria die 23. Julii 1743. super puncto miraculorum, quæ supervenisse dicebantur, die postmodum 17. Decembris proxime præteriti, instante Fratre Maximiliano a Wanghena Ordinis Cappuccinorum Definitore Generali, & hujus Causæ Postulatore, proposito per Eminentiss. & Reverendiss. D. Card. Alexandrum Albanum loco

Emi-

Eminentiss., & Reverendiss. Domini Cardinalis Aldrovandi absentis in Congregatione Generali habita coram SS. D. N. BENEDICTO PAPA XIV. consueto Dubio: *An, & de quibus Miraculis constet post indultam eidem Beato venerationem in casu, & ad effectum de quo agitur*: Sanctitas sua post perlecta Consultorum, & audita Cardinalium Suffragia, dicta die respondit, sibi aliquod spatium temporis necessarium esse, ut interim suis, aliorumque precibus ad Deum fusis Divinum Adjutorium in tam arduo negotio imploraret.

Quibus expletis, infrascripta die Cathedræ Romanæ Principis Apostolorum dicata, post celebratum Missæ Sacrificium in privata Capella, vocatis coram se R. P. Promotore fidei, meque infrascripto Congregationis Secretario, inhærens unanimi consensui tum Consultorum Cardinalium, declaravic *ex quatuor propositis Miraculis constare de duobus Tertii generis, nimirum de primo Instantaneæ Sanationis Fratris Candidi a Mediolano Religiosi Professi Ordinis Cappuccinorum ab inveterato fere per decennium morbo Epileptico cum instantanea perfecta, & absoluta fractarum virium restauratione per Beati effigiem capiti reverenter impositam, exclusa quacumque in morbum reincidentia; ac de secundo Josephi Kirmer pueri quadriennis, qui omni pedum usu triennalem ob Rachitidem amisso in eodem statu permanens, ductus a Matre ad Ecclesiam ante imaginem Beati, relictis fulcris domum pedes rediit, & deinde semper undeque sanus incessit*. Atque ita Sanctitas sua declaravit, decrevitque, ac Decretum publicari mandavit. Hac die 18. Januarii 1744.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius.

IV. DECRETUM

IN CAUSA CANONIZATIONIS B. CATHARINÆ DE RICCIIS.

IN Congregatione Generali coram Nobis habitu die 24. Martii 1744. in Causa Canonizationis Beatæ Catharinæ de Riciis propositum fuit dubium: an, & de quibus miraculis constaret post indultam Beatæ venerationem in casu, & ad effectum &c.: Perlectis Consultorum suffragiis, Cardinalium vota audivimus, sed nihil decrevimus, ut Dei opem impensius postularemus, & difficultates quasdam nobis subortas quoad secundum ex duobus miraculis, quæ a Consultoribus, & Cardinalibus majori plausu fuerunt excepta, enodaremus. At die 26. Maii ejusdem anni 1744. S. Philippo Nerio, qui cum Beata Catharina Riccia adhuc vivente spiritualem, & intimam foverat amicitiam, dicata, post celebratum Sacrum in Ecclesia S. Mariæ de Vallicella in interiori Capella, sub cujus Ara est corpus ejusdem S. Philippi Nerii, accitis Promotore Fidei, & Sacræ Rituum Congregationis Secretario, sequens edidimus decretum, duo quo approbavimus miracula, primum quidem tanquam secundi generis, ac secundum tanquam tertii. Difficultates etiam circa secundum miraculum nobis subortas declaravimus, simulque rationem aperuimus, qua illas sustuleramus.

En decretum.

DECRETUM

Florentina Canonizationis

BEATÆ CATHARINÆ DE RICCIIS

Monialis Professæ in Venerabili Monasterio Sancti Vincentii Civitatis Prati Ordinis Prædicatorum.

SIGNATA Commissione reassumptionis Causæ B. CATHARINÆ DE RICCIIS, & Processuum validitate approbata, qui postmodum Apostolica auctoritate fuerant confecti, propositum fuit Dubium in Congregatione Antepræparatoria die 8. Januarii, ac in Præparatoria die 19. Novembris 1743.: *An, & de quibus Miraculis constet post indultam Beatæ venerationem, in casu, & ad effectum, de quo agitur*. Quod idem Dubium fuit etiam in Congregatione Generali propositum, coram Sanctitate Sua, habita die 24. Martii currentis anni. Inter cetera autem Miracula tunc proposita, atque discussa, illud Majori plausu fuit exceptum Mariæ Clementinæ Stacciolì Florentinæ, quæ, intercedente B. Catharina, cui serventi se, magnaque devotione commendaverat, liberata fuit cancro vermibus scatente, atque initio septem valvulis, seu cavitatibus, postremo vero duabus sæviente, a quo per octo annorum spatium in dextera mamilla vexata fuerat, & aliquando etiam eo redacta, ut morti proxima Sacro Viatico esset munienda. Alterum vero æquali plausu receptum fuit illud Sororis Mariæ Magdalenæ Fabri Monialis S. Catharinæ Ordinis Prædicatorum in Civitate Augustæ, quæ ad tres annos infirma, ac gravi Arthritide affecta, genuum articulos, ac tibias obsidente, a qua, nullo recepto a mendicantibus subsidio, a quibus idcirco cessaverat, impotens, atque ad motum prorsus inepta reddita, cum sæviente morbo, & doloribus ingravescentibus, aliarum Monialium subsidio, earumque brachiis, & manibus delata ad parvum Chorum Ecclesiæ imminente eo tempore, quo Hymnus: *Te Deum laudamus*, in gratiarum actionem, concinebatur pro Beatificatione B. CATHARINÆ DE RICCIIS, ejus intercessioni sese toto devotionis affectu commendasset, nedum illico a doloribus, quibus affligebatur, liberata est, sed etiam deprehendens, se liberam ad genuflectendum, statim genuflectit, statim expedite per Monasterium ambulavit, recuperatis in instanti viribus, periodc ac si morbo nunquam vexata fuisset.

Itaque Sanctissimus D. N., perlectis Consultorum Suffragiis, auditisque DD. Cardinalium Votis, nihil ea in re decrevit in Congregatione Generali habita prædicta die 24. Martii; sed differendum censuit, ut a Deo lumen, & auxilium imploraret: quibus adimpletis, accitisque postmodum hac ipsa die, post celebratum Sacrum in Ecclesia S. Mariæ de Vallicella in interiori Capella, sub cujus Ara est Corpus S. Philippi Nerii, & R. P. Promotore, meque infrascripto Sac. Rituum Congregationis Secretario, exposuit, se in secundi ex dicta Miracula approbatione aliquas obviam hæsisse difficultates, dum secundis post Congregationem Generalem curis, privatoque studio, Causæ resolutionis incumbebat, & ad ulteriora progrediendo inquit, se dubitasse, an Miraculum de quo agitur, vere dici posset, contigisse post indultam venerationem, cum acciderit die 9. Novembris 1..., atque ita quatuordecim, aut quindecim dies ante solemnem beatificationem, quæ peracta fuit in Basilica Principis Apostolorum die 23. Novembris ejusdem anni; sed se in eam tandem adductum esse sententiam, quod vere contigisset post indultam venerationem, etsi contigerit ante publicationem Brevis, & peracta solemnia Beatificationis in Basilica Vaticana, cum contigerit post decretum Sacræ Congregationis Rituum de tuto processu ad Beatificationem, & post signatum die 5. Octobris Beatificationis Breve manu Clementis XII. sui Prædecessoris, & eo magis, cum ita quoque judicatum fueric in Causa Sancti Joannis de Cruce, juxta ea, quæ Sanctitas Sua retulit *in suo Opere de Canonizat. Sanctor. lib. 2. cap. 21. num. 11.*

A prima difficultate expeditus idem Sanctissimus transitum fecit ad secundam, dixitque, se in hujus ejusdem miraculi approbatione hæsitasse, etsi instantaneam Sanationem una cum recuperatione virium bene probatam agnoverit, sed eodem modo probatam non deprehenderit perseverantiam in sanitate, exclusionem novi morbi, nullamque contigisse mutationem de uno morbo in alium: a quibus ut se expediret, ait, novas a se adhibitas fuisse pro veritate eruenda diligentias, juxta ea, quæ in simili hæsitatione præstita fuere a sanct. memor. Clemente XI.; quemadmodum legitur *in citato Opere* Sanctitatis Suæ *de Canonizatione Sanctor.*

Bor. lib. 3. cap. 5. num. 14. datis videlicet ad Episcopum Augustanum literis, in cujus Diœcesi Miraculum contigit; transmissaque ad ipsum opportuna instructione pro veritate eruenda; addiditque, ex superventis responsionibus se invenisse, quod optaverat, Monialem videlicet adhuc vivere, adhuc perfecta frui sanitate, nec ullo alio morbo post receptam miraculose sanationem fuisse tentatam, excepto, post elapsum tamen quadriennium, levi tantum calculorum dolore, a quo post modicum tempus liberata est, testantibus hoc totum Monialibus, & Medico Monasterii, quemadmodum ex responsionibus datis ad singula capita instructionis fideliter executioni mandata a Viro Ecclesiastico SANCTITATI SUÆ bene cognito, & ab Episcopo Augustano ad id subdelegato, deprehensum est.

Discursum denique absolvit asserens, sublatis difficultatibus, aliam quamcumque ulteriorem moram se velle abjicere, & hanc diem S. Philippo Nerio dicatam elegisse, utpote conscium spiritualis, & intimæ amicitiæ, qua Sanctus hic B. CATHARINAM RICCIAM adhuc viventem prosecutus est, cum in ejus Bulla Canonizationis legantur hæc verba: *Cum in Urbe maneret, tunc in humanis agentem CATHARINAM RICCIAM sub regula S. Augustini Monialem Prati in Hetrusia commorantem longo temporis spatio est allocutus*. Et sic hac ipsa die se declarare; *Ex propositis Miraculis constare de Primo tamquam secundi generis, ac de Secundo tamquam tertii, in casu, & ad effectum de quo agitur, idest Canonizationis*. Atque ita SANCTITAS SUA decrevit, Decretumque publicari mandavit. Hac die 26. Maii 1744.

C. Cardinalis De Marinis Præfectus.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymit. Secret.

V. DECRETUM

IN CAUSA CANONIZATIONIS B. PETRI REGALATI

Ordinis Minorum, apud Hispanos Regularis Observantiæ S. Francisci Restauratoris.

CUM in Causa Canonizationis B. Petri Regalati duæ a Nobis sublatæ fuissent difficultates ad ordinem judicii de miraculis pertinentes; ter de more propositum fuit dubium: An, & de quibus miraculis constaret in casu, & ad effectum &c.: Primo quidem in Congregatione Antepræparatoria, secundo præparatoria, & tertia in Congregatione Generali coram Nobis habita die 2. Junii 1744., in qua licet tum Consultorum, tum Cardinalium suffragia in duorum miraculorum tertii generis approbationem conspicasse comperissemus; sententiam tamen nostram in aliud tempus distulimus. Novis tandem adhibitis diligentiis, divinoque implorato auxilio, die 24. Julii ejusdem anni 1744., Sancto Bonaventuræ Sacri Cardinalium Collegii, & seraphicæ Religionis illustri ornamento dicata, post celebratum Missæ Sacrificium in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Ara Cœli, Fidei Promotorem, & Sacræ Congregationis Rituum Secretarium accivimus, & dubio proposito respondentes pronunciavimus, constare de supradictis duobus miraculis, tamquam miraculis tertii generis ad effectum Canonizationis. Decretum, quod super hoc nunc publicari mandavimus relatum a Nobis est cap. 1. hujus libri decr. 3. general. quare ab illo repetendo abstinemus.

VI. DECRETUM

IN CAUSA CANONIZATIONIS BB. SEPTEM FUNDATORUM

Ord. Ser. Beatæ Mariæ Virginis.

CUM in causa Canonizationis BB. Septem Fundatorum Ord. Servorum B. Mariæ Virginis facta relatione juridica virtutum in gradu heroico singulorum, Sacra Rituum Congregatio die 1. Februarii 1744. rescribendum censuisset: In casu, & ad effectum, de quo agitur, procedi posse ad ulteriora: idemque rescriptum Nos die 5. ejusdem Mensis, & Anni approbavissemus: In Congregatione Ordinaria coram Nobis habita die 1. Augusti ejusdem anni propositum fuit dubium alias propositum, & non resolutum, videlicet: An miracula a Deo patrata ad collectivam invocationem dictorum Septem BB. Fundatorum suffragari possint ad effectum eorumdem solemnis Canonizationis &c.: Audivimus hac super re Cardinalium suffragia, eorumque ampliori numero inhærentes decrevimus, non esse habendam rationem miraculorum a Deo patratorum ad collectivam invocationem Septem BB. Fundatorum in Causa Canonizationis eorumdem, nisi supra numerum; ac simul pronunciavimus ad effectum obtinendæ Canonizationis ipsorum, & pro basi, & fundamento dictæ Canonizationis requiri miracula intercessione uniuscujusque ipsorum patrata. Nostrum autem Decretum die 7. Augusti ejusdem anni in Sacra Congregationis Regestis adnotari mandavimus. En eodem Decreto, quod subdimus, rationes patebunt, quæ nos ad ita decernendum impulerunt.

DECRETUM

Florentina Canonizationis.

SEPTEM BEATORUM FUNDATORUM

Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis.

PROPOSITO in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum habita *die 23. Januarii 1742.* Coram Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XIV., referente claræ memoriæ Cardinali Pico, sequenti dubio ad eamdem causam Florentinam Canonizationis Septem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis pertinente: *An miracula a Deo patrata ad collectivam invocationem Septem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum Beatæ Virginis suffragari possint ad effectum eorumdem solemnis Canonizationis in casu de quo agitur*: nullaque capta super eodem resolutione sequens a Sanctitate sua editum ea ipsa die fuerit rescriptum: *Fiat relatio Juridica virtutum in gradu heroico singulorum Beatorum, & communicetur Fidei Promotori, & instantia proponatur in sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria: & quatenus resolutio sit favorabilis, & a Summo Pontifice approbetur, proponatur Dubium super miraculis cum eisdem scripturis coram Sanctissimo, & Cardinalibus Congregationi Sacrorum Rituum*: ut ea, qua decet, reverentia Postulatores memorato rescripto parerent, manus admoverunt ad exarandam petitam juridicam relationem Virtutum singulorum septem Fundatorum, eamque communicarunt R. P. D. de Valentibus Fidei Promotori, exaratisque ab ipso juxta morem consuetis animadversionibus, cum de viribus prædictæ juridicæ relationis actum fuerit in Congregatione ordinaria Sacrorum Rituum habita *die 1. Februarii currentis anni* 1744. & referente Eminentissimo, & Reverendissimo Cardinali Accorambuno suffecto in locum clar. mem. Cardinalis Pici interea temporis defuncti, rescriptum fuerit, *quod poterat ad ulteriora procedi in casu, & ad effectum, de quo agitur, si Sanctitati suæ visum fuisset*, & Sanctitas sua *die 5. ejusdem mensis & anni* responsum confirmaverit, & approbaverit, coacta interum Congregatione ordinaria coram eadem Sancti-

tate

tate sua *die prima Augusti ejusdem currentis anni* 1744. Referente eodem prædicto Eminentissimo, & Reverendissimo Cardinali Accorambono, propositum fuit Dubium alias propositum, & non resolutum, ubi supra dictum est, *An miracula a Deo patrata ad collectivam invocationem Septem Beatorum Fundatorum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis suffragari possint ad effectum eorumdem solemnis Canonizationis in casu, de quo agitur.*

In hac autem Congregatione ordinaria Sanctitas sua, audita relatione prædicti Cardinalis Ponentis, auditisque suffragiis ceterorum Cardinalium eidem Congregationi interessentium, post exposita omnia, & singula, quæ super Dubio proposito disputantis more, modo pro favorabili resolutione dubii, modo contra favorabilem dubii resolutionem scripserat *in suo opere de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 1. cap. 5. ultimæ editionis Patavinæ*, inhærens ampliori suffragiorum numero, sequens edidit Decretum: *Non esse habendam rationem miraculorum a Deo probatorum ad Collectivam invocationem septem Beatorum in Causa Canonizationis eorumdem, nisi supra numerum*, ut a sanctæ memoriæ Clemente XI, responsum fuit in Causa Romana, seu Polona Canonizationis Sancti Stanislai Kostkæ Novitii Societatis Jesu in terminis miraculi ejus intercessione a Deo patrati ante indultam venerationem, sed quod a Postulatoribus pro obtinenda Canonizatione proponebatur una cum aliis secutis post indultam venerationem ab ipso eodem contextu approbatis, quod ipsum quoque alias factum est, quoties miraculum aliquod propositum fuit, & approbatum uti a Deo factum intercessione alicujus Servi Dei, vel Beati, sed præter regulas a Sancta Sede præscriptas pro miraculorum approbatione ad effectum obtinendæ Canonizationis, *& in causa Beatorum Septem Fundatorum ad effectum Canonizationis ipsorum, & pro basi & fundamento dictæ Canonizationis, requiri Miracula intercessione uniuscujusque ipsorum patrata.* Addidit Sanctissimus, se ita decernere, cum nullum extet exemplum judicii a Sede Apostolica prolati de plurium Confessorum Canonizatione dependenter a miraculis ad collectivam eorum invocationem a Deo patratis; nec deceat, aut expediat in causis voluntariis, & de necessitate defendendis, & in quibus nulla cautela, & nulla diligentia superflua dici potest juxta suorum Prædecessorum monita per ipsum collecta *in sua Opere de Canonizatione Sanctorum lib.* 55. novam, facilioremque aperire viam majoribus incognitam, quæque tractu temporis aditum suppeditare posset, sub obtentu pietatis, fraudibus aliquorum, quas ipse exposuit. Conclusitque, Beatos Septem Fundatores posse nedum collective, sed etiam singillatim invocari, & ad singulorum etiam invocationem fideles ab Ecclesia invitari, cum ipsorum nomina in Martyrologio Romano descripta sint, non collective, sed ea die, qua unusquisque mortuus est, Deoque fidendum esse, qui, si volet, uti sperare fas est, omnium horum Beatorum fieri Canonizationem in Ecclesia, ad uniuscujusque invocationem Miracula operari dignabitur. Quæ omnia Sanctissimus in Regestis adnotari mandavit. Hac die 8. Augusti 1744.

VII. DECRETUM

IN CAUSA CANONIZATIONIS B. CAMILLI DE LELLIS

Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.

CUM post Beatificationem B. Camilli de Lellis plura Deus ob ejus intercessionem miracula patraret, adeoque de ejus Canonizatione ageretur; post consuetas Congregationes Antipræparatoriam, & Præparatoriam; Generalis habita est coram Nobis die 16. Martii 1745. in qua propositum fuit dubium: An, & de quibus miraculis constaret post indultam eidem Beato venerationem in casu, & ad effectum &c. Perlectis Consultorum, auditisque Cardinalium suffragiis, responsum de more distulimus. Die autem prima Maji ejusdem anni, SS. Apostolis Philippo, & Jacopo dicata, post sacrum in Lateranensi Basilica celebratum, duo ex propositis miraculis, tamquam miracula tertii generis approbavimus, uti liquet ex sequenti decreto.

DECRETUM

Romana, seu Theatina Canonizationis

BEATI CAMILLI DE LELLIS

Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.

POSTQUAM solemni Ritu inter Beatos relatus fuit Venerabilis Dei Famulus CAMILLUS DE LELLIS Fundator Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, instantibus de more Postulatoribus pro impetranda ejusdem causæ reassumptione, ut ad finem optatum, nempe Canonizationem, ipsa perducatur, signata fuit commissio reassumptionis causæ, & Apostolici Processus confecti (quorum validitas diligenter etiam examinata, atque inde probata fuit) de miraculis, quæ ob intercessionem Beati CAMILLI a Deo patrata ferebantur, postquam ille Beatorum numero adscriptus est: Cum deinde eadem miracula in examen revocari cœpissent, & accuratissima disquisitio de ipsis facta esset, uti mos est, in duabus Congregationibus Antipræparatoria, ac Præparatoria, demum coram Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIV. die 16. Martii nuper elapsi habita fuit Congregatio Generalis Sacrorum Rituum, in qua propositum fuit Dubium, quod antea jam fuerat propositum in duabus Congregationibus Antepræparatoria, & Præparatoria, quas superius nominavimus; *An, & de quibus miraculis constat post indultam eidem BEATO Venerationem in casu, & ad effectum*: Sanctitas Sua, priusquam accederet ad Congregationem, omnia Consultorum suffragia perlegere voluit, quemadmodum facere consuevit, atque illa deinde coram universo cœtu dilucide exposuit: Post hæc, auditis Cardinalium suffragiis, nihil novi constituit, non solum, ut causam accuratius perpenderet, sed etiam, ut Divinam opem in tam gravi, difficilique negotio diuturnis precibus imploraret: His omnibus peractis duo ex propositis miraculis approbavit: Primum illud est, quod in Ordine secundo loco describitur, & Luciæ Teresiæ Petri contigit, quæ ab ipsa nativitate asthmate oppressa, gravissima respirandi difficultate laborabat, & cum magis ætate procederet, tanta malorum accessio facta est, ut non modo ineptam prorsus efficerent ad quemcumque vel levissimum laborem, sed etiam macilento vultu, fractisque viribus corporis penitus extenuarent: Quin etiam gibbum contraxit, & sanguinem immixtum sanie despuere cœpit, ita ut de ejus vita actum esse Medici unanimes affirmarent: Sed illa post invocatum B. CAMILLUM momento temporis pristino respirandi impedimento, & marcidis sputis libera protinus evasit, corporis curvamine soluta fuit, & se ad labores omnes suscipiendos idoneam, & expeditam sensit; cum nulla antea crisis, seu mali mutatio eidem mulieri contigisset: Atque ita restitutis viribus, postquam septemdecim annis graviter vexata fuit, integra, perfectaque gaudet valetudine.

Secundum miraculum, quod in ordine tertium locum obtinebat, a Sanctitate Sua probatum, accidit Margaritæ Castelli Puellæ annorum duodeviginti, quæ Parentem habuit pustulis infectam, & eodem morbo ita oppressa fuit, ut pustulæ in diversis partibus erumperent, & postremo ulcus per totum corpus, & ingentes crustas sanie manantes, & supra modum graveolentes inducerent; Tandem mense Julii anno 1743. cum Puellam febris acuta corripuisset, & nullum a medicinis levamen acciperet, omnem de ipsius sanitate spem Medici deposuerunt: Divinum Eucharistiæ Sacramentum

mentum ipsi, tamquam proxime moriturae, fuit administratum, & omnia, quae ad luctum, & funebrem pompam spectant, jam parabantur; Interim ejus Mater, ac Soror ad intercessionem Beati CAMILLI pie confugerunt, & statim admirabile portentum evenit: Nam moriens Puella excitatur, & se incolumem, & sanam exclamat; Lecto prosilit, inflatum corpus detumit, tabidae crustae deciderunt, cibum sumpsit integris, ac restitutis viribus; nec ulla tunc temporis Crisis, seu mali mutatio intercessit. Optimam pariter valetudinem, quam recuperavit, nunc etiam firmam retinet, ac tuetur.

Haec duo miracula tanquam tertii generis Sanctitas Sua probavit, postquam in Lateranen. Basilica sacrum hac die confecit, quemadmodum R. P. Fidei Promotori, & mihi infrascripto Secretario declaravit, dum Sanctitas Sua praesens Decretum mihi tradidit. Hac die prima Maji Sanctis Apostolis Philippo, & Jacobo dicata anno 1745.

C. Card. de Matinis Praef.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus Secret.

VIII. DECRETUM

IN CAUSA CANONIZATIONIS B. JOSEPHI A LEONISSA.

Sacerdotis Professi Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum.

IN Causa Canonizationis B. Josephi a Leonissa habita fuit coram nobis Congregatio Generalis Sacrorum Rituum die 22. Septembris 1744. & in ea propositum fuit dubium: An, & de quibus miraculis constaret post indultam dicto Beato venerationem in casu, & ad effectum &c. Consultorum suffragia, quae de more praelegeramus, in Congregatione retulimus, Cardinalium vero suffragia audrvimus; nihil tamen decernendum statuimus. Dum autem hujusmodi Causae privatum studium impenderemus, nonnullas deprehendimus difficultates, quas tamen mox, quibusdam cautelis adhibitis, penitus diluimus. Quare die prima Maji Sanctis Apostolis Philippo, & Jacobo dicata anni 1745. post Sacrum in Basilica Lateranensi peractum, duo miracula tertii generis approbavimus, uti ex sequenti decreto patet.

DECRETUM

SPOLETANA CANONIZATIONIS B. JOSEPHI A LEONISSA

Sacerdotis Professi Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum.

PERACTA jam e Clemente XII. fel. record. Beatificatione Venerabilis Dei famuli JOSEPHI DE LEONISSA Sacerdotis Professi ex Ordine Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, & signate deinde Commissione Reassumptionis causae, confectis auctoritate Apostolica Processibus de Miraculis, quae post eamdem Beatificationem contigerunt, examinata pariter sedulo, ac probata validitate ipsorum Processuum, postremo in duabus Congregationibus Antepraeparatoria, ac Praeparatoria, quarum prima coacta fuit die 18. Junii anno 1743. altera vero die 3. Martii anno 1744.; in his, inquam, Congregationibus propositum de more fuit dubium: *An, & de quibus miraculis constet post indultam dicto BEATO venerationem in casu, & ad effectum &c.*: Idem prolatum dubium fuit in Congregatione Generali Sacrorum Rituum habita coram Sanctissimo Domino Nostro Papa BENEDICTO XIV, die 22. Septembris anno 1744.

Sanctitas Sua, priusquam in Congregationem veniret, omnia Consultorum suffragia perlegit, eaque fuse retulit coram universo coetu: Post haec, auditis Cardinalium suffragiis, nihil omnino decernendum censuit, ut rem totam magis accurato studio perpenderet, & seipsum Deo commendaret, ut lumen suum in hoc gravissimo negotio impertiretur.

Itaque Sanctitas Sua, dum ejusmodi Causae privatum studium impenderet, nonnullas difficultates deprehendit: etenim circa primum ac secundum Miraculum, quae Consultores, & Cardinales majori plausu exceperunt, advertit Sanctitas Sua nequaquam missos fuisse Romam articulos, seu capita rerum, ut super illis a R. P. Fidei Promotore Interrogationes conficerentur, quae solum propositae fuerunt e Judicibus Remissorialibus Apostolicis. Id profecto novum, & inusitatum Sanctitati Suae visum fuit, eo quod de Processu ageretur Spoleti confecto, quae Civitas procul dubio paucis milliariis Roma distat: Quare contrarium id esse constat Sacrae Congregationis praxi, quam Sanctitas Sua in suis libris *De Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 47. num. 3.* fuse explicavit.

Accedit etiam, quod in Miraculis tertii generis *Instantaneitas* necessario demonstranda sit, quae cognosci quidem nullo modo potest, nisi prius ostendatur status anterior immediatus morbi, qui deinde momento temporis mirabiliter sanatus fuit. Quamobrem Sanctitas Sua percurrens testium dicta, nihil sane dubitandum putabat de praecedenti immediato, ac miserrimo statu morbi, sed in apertam lucem manifesto illum non deduci, eo quod opportunae, ac necessariae Interrogationes praetermissae fuissent; ideoque Processum ejusmodi spicae comparandum esse, quae licet matura, ac frumenti granis repleta sit, tamen illa non effundit, nisi alicujus manu excutiatur.

Cum haec ita essent, Sanctitas Sua desiderio, atque amore cognoscendae veritatis solum adducta, scribendum duxit ad Episcopum Spoletinum, qui suffectus est in locum sui Praedecessoris, qui Processui condendo interfuerat, ac vitae cursum absolvit: Illum secreto admonuit, ut accitis improviso Testibus jam antea examinatis, & aliis pariter, qui vocari in examen poterant, ac debuerant, sed vocati nequaquam fuerant, illos opportune interrogaret de statu immediato, qui sanationi praecessit. Episcopus ad Leonissam se conferens, indicta jam sacra Visitatione, Sanctitatis Suae mandatis prudenter, accurateque satisfecit: novum Processum, quem condidit, Romam misit, consentaneum penitus illis omnibus, quae ipsi commissa fuerant; quem Processum Sanctitas Sua tradidit, ut in Tabulario Sac. Congregationis collocetur, & ipsius causa difficultates omnes prorsus se exuisse affirmavit. Addidit, se nullam haesitationem habuisse, ut literas daret ad Episcopum Spoletinum, ut dictum est, quamvis adversari videatur Decretum Alexandri VII. promulgatum anno 1658. quod Sanctitas Sua commemorat in Libris *De Canonizatione Sanctorum lib. 2, cap. 53. num. 11.*; quo sane Decreto praecipitur, ne in causis ejusmodi per quoscunque adjungantur robora, ac veluti subsidia iis probationibus, quae in Processibus jam perfectis continentur: sibi enim persuasit Decretum Alexandri VII. locum non habere, cum Pontifex ipse pro cognoscenda diligentius veritate hujusmodi subsidia perquirat. Accedit etiam, quod illud Decretum editum fuit ad coercendos Postulatores, ne Testes novos pro libito suo imbuerent, priusquam in examen vocarentur, aut eum veteres Testes iterum examen subire deberent: Porro hoc periculum obvenire nullo modo potuit ob accuratam diligentiam, ac rationem, qua totum negotium administratum fuit; Postremo etiamsi idem Decretum impedimentum aliquid afferre posset, Sanctitas Sua, quatenus opus esset, hac pro vice tantum illud prius abrogare constituerat.

Illustratis hoc pacto ob novas, & opportunas interrogationes assertionibus Testium, qui prius examinati fuerant; iisdem magis corroboratis aliorum testimoniis, qui minime ad examen accesserant, licet acciti debuissent, apertissime patuit status morbi, qui sanationi instantaneae praecessit, &

cognitio habita est de illius continuatione, sicuti in primo ex propositis Miraculis contendebatur: Quippe Spoletinus Episcopus testatus est, se vidisse Puerum, de quo sermo instituitur, integræ sanitati restitutum, & pedibus omnino liberum, atque expeditum: Itaque Sanctitas Sua, peracto sacro in Basilica Lateranensi, accito R. P. Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, sua auctoritate approbavit tanquam Miraculum tertii generis incolumitatem redditam Josepho Dionysio, quam Postulatores primo loco exposuerunt: Is puer duorum annorum tam magnam corporis totius debilitatem ab ipso vitæ exordio contraxerat, ut stare nullo modo posset; carnem vero lentam adeo, ac flexibilem habebat, ut, veluti sudariolum, complicaretur: Eum Mater ad Ecclesiam detulit, ubi B. JOSEPHI Corpus repositum est, & super altare puerum collocavit, BEATUM invocans magna religione, ac pietate, ut illum ab ægritudine liberaret: Tunc Puer absque ulla mora pedes suos ita corroborari sensit, ut incedere sine difficultate, & currere potuerit; quo sanitatis beneficio adhuc fruitur, uti superius commemoravimus.

Insuper Sanctitas Sua quoque probavit tanquam Miraculum tertii generis sanationem Antoniæ Morelliæ, quam Postulatores secundo loco statuerunt: Illa graviter laborabat fistula, quæ Callum etiam induxerat, & saniem permixtam sanguine fundebat: ex eadem fistula, cum hians pateret, ventus tam vehemens erumpebat, ut Candelam posset extinguere: Per duos annos hoc morbo cruciata fuit, cui dolores etiam, Tussis, ac Febris superaddebantur, donec pius sacerdos illam oblinivit oleo, quod ante sacrum Corpus Beati JOSEPHI ardere consuevit: Tum momento temporis integram sanitatem consecuta est, fistula penitus occlusa, doloribus, Tussi, ac Febri omnino cessantibus, pristinæ vires, & color naturalis ipsi redierunt, qua bona valetudine deinceps semper usa est: Quare, ut de Pontificia approbatione horum Miraculorum certum documentum existat, Sanctitas Sua mihi infrascripto Secretario præsens Decretum tradidit, hac die prima Maji Sanctis Apostolis Philippo, & Jacobo dicata anno 1745.

C. Cardinalis de Marinis Præfect.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. R. C. Secret.

IX. DECRETUM

IN CAUSA BEAT. VEN. SER. DEI HIERONYMI ÆMILIANI

Fundatoris Congregationis Somaschæ.

IN Causa Beatificationis Ven. Servi Dei Hieronymi Æmiliani, in qua dum in minoribus Advocati Consistorialis, & deinde Promotoris Fidei munere fungeremur, operam utcumque nostram impendimus, Congregatio Generalis habita fuit coram Nobis die 21. Januarii 1747. super miraculis. Unanimem in ea tum Consultorum, tum Cardinalium sensum deprehendimus quoad duas sanationes, quas inter miracula esse recensendas existimabant. Huic sententiæ nos quoque adhærebamus: responsum tamen nostrum ad aliud tempus de more differendum esse censuimus. Interea, ut nullam in re tanti momenti diligentiam omitteremus, ad Venetiarum Patriarcham literas dedimus, quibus ipsi demandavimus, ut sanatos ipsos, aliosque testes de ipsorum sanatione bene instructos examinaret de statu valetudinis utriusque, & de continuatione sanitatis a die sanationis usque ad examinis illius tempus. Cum autem ex responsionibus, aliisque documentis ad nos transmissis innotuisset, eos, post obtentam sanationem, semper bene valuisse; Nos die 23. Aprilis ejusdem anni 1747. die Dominica post Sacrum in Oratorio Collegii Clementini sub cura Patrum Congregationis Somaschæ degentis celebratum, sacraque Communione refectos ejusdem Collegii Alumnos, in quo Nos quoque pueritiam nostram sub eorumdem Patrum educatione transegimus; sequens edidimus decretum, quo præfatas binas sanationes tanquam miracula tertii generis approbavimus.

DECRETUM

SUMMI PONTIFICIS BENEDICTI PP. XIV.

IN CAUSA VENETA, SEU MEDIOLANEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VENERABILI SERVI DEI HIERONYMI ÆMILIANI

Super Dubio An, & de quibus Miraculis constet in casu &c.

EXPLETO judicio in Causa Venerabilis Servi Dei HIERONYMI ÆMILIANI Fundatoris Congregationis Somaschæ super Virtutibus tempore Prædecessoris nostri Clementis XII. felicis recordationis, transitus factus est ad aliud judicium super Miraculis; præmissisque juxta morem super eorum examine binis Congregationibus, Antepræparatoria die 27. Aprilis anni 1745., & Præparatoria die 16. Novembris ejusdem anni, deventum tandem est ad generalem Congregationem coram Nobis habitam die 25. Januarii currentis anni 1747., cui juxta morem interfuerunt tum Consultores, tum Cardinales Congregationi Sacrorum Rituum adscripti.

Ad eam accessimus post perlecta omnium Consultorum suffragia, post lectas cum Juristarum, tum Medicorum Scripturas, & auditam verbalem, uti dicunt, Causæ Patronorum informationem. Nos ipsi quoque, præsentibus Consultoribus, Cardinalibus exposuimus, quidquid eorum suffragiis continebatur; dimissisque, uti moris est, ab Aula Congregationis memoratis Consultoribus, suffragia audivimus Cardinalium: omnibusque sedulo perpensis, deprehendimus, unanimem fuisse sententiam, quod binæ sanationes, altera Hieronymæ Durighellæ secuta anno 1737., altera Antonii Blanchini secuta anno 1738. essent inter miracula recensendæ a Deo patrata intercessione Venerabilis Servi Dei HIERONYMI ÆMILIANI.

Huic sententiæ Nos quoque adhærebamus: sed sensum nostrum tunc manifestum facere noluimus; ut videlicet novas preces ad Deum effunderemus, ipsum enixe rogantes, ut in re tam gravi Nobis auxilium suum, & lumen impertiri dignaretur, tum etiam ut secundis curis novo examine rem perpenderemus.

Post hæc, prædicta omnia, quæ explenda erant, explere curavimus: sed, cum a Nobis fuerit animadversum, continuationem obtentæ sanitatis in utroque sanato non fuisse ex Actis probatam, nisi usque ad annum 1745., prædictæque continuationis probationem deesse non debere, & requiri usque ad præsens tempus, in quo de miraculosis sanationibus judicium ferendum erat, literas dedimus ad Patriarcham Venetiarum una cum instructione, in qua ipsi demandavimus, ut sanatos adhuc superstites, & in Civitate Venetiarum degentes, coram se vocari faceret, aliosque Testes de ipsorum sanatione bene instructos examinaret, quorum ope Nobis notus esse posset status valetudinis cum Hieronymæ, tum Antonii una cum continuatione sanitatis a die sanationis usque ad præsentem annum 1747.

Literæ ad Patriarcham datæ sunt die 4. Februarii, Supervenerunt responsiones scriptæ die 4. Martii, quas una cum aliis documentis ad Nos transmissis, Thomæ Patriarchæ Hierosolymitano Congregationis sacrorum Rituum Secretario consignamus conservandas in ejusdem Congregationis Archivo. Cumque ex eorum lectione constiterit, & constet, Hieronymam, & Antonium, post obtentam sanationem, firmam, prosperamque valetudinem conservasse usque ad præsentem annum 1747., quacum-

que abrupta mora, rem esse expediendam existimavimus.

Adeoque inhærentes suffragiis tum Consultorum, tum Cardinalium, declaramus, inter Miracula tertii generis a Deo patrata intercessione Venerabilis Servi Dei HIERONYMI ÆMILIANI esse recensendam instantaneam sanationem Hieronymæ Dunghellæ ab habituali scorbutico morbo, quem dirissimæ convulsiones, maligna ulcera, & alia pessima symptomata sunt comitata, quibus per plures annos vexata est, ita ut quatuor ultimos decumbens in lecto miserabiliter transegerit, & instantaneam sanationem Antonii Blanchini pueri septennis ab incurabili, & antiquato morbo comitiali, quo sæpissime singulos dies usque ab ipsa nativitate miserrime laboraverat.

Præsens autem Decretum approbationis dictorum Miraculorum Nos ipsi quoque propriis manibus consignamus memorato Thomæ Patriarchæ, ipsi mandantes, ut illud in ejusdem Congregationis Regesta inseri curet. Et hæc omnia a Nobis expleta sunt die 23. currentis mensis Aprilis anni 1747. die Dominica post celebratum Sacrum in Oratorio Collegii Clementini sub cura Patrum Congregationis Somaschæ degentis, sacraque Communione refectos ejusdem Collegii Alumnos, Deum Optimum Maximum humillime deprecantes, ut qui pueritiam nostram in eodem Collegio sub eorumdem Patrum educatione transegimus, & juvenilem, & virilem ætatem dum in minoribus Advocati Consistorialis, & deinde Promotoris Fidei munere fungentes, operam utcumque nostram in hac eadem Causa impendimus, ad Summum Pontificatum licet immerentes evecti, ultimamque senectutem ingressi, formalis Beatificationis judicium complere valeamus. Datum hac die 23. Aprilis 1747.

D. F. Card. Tamburinus Præfect.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus
S. C. Secretarius.

X. DECRETUM

In Causa Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SER. DEI HIERONYMI ÆMILIANI

QUamquam in Causa Beatificationis Ven. Servi Dei Hieronymi Æmiliani decretum superius expositum edidissemus, quo duo miracula tertii generis approbaveramus; ut tamen ad ejus Beatificationem tuto procederemus, non modica supererat superanda difficultas. Cum enim ejus causa processisset per viam ordinariam non cultus; decretum autem approbativum virtutum editum a Clemente XII. innixum diceretur probationibus subsidiariis; obstare videbatur decretum nostrum editum die 23. Aprilis 1741. quo statuimus, non duo, sed quatuor requiri miracula pro Beatificatione obtinenda in Causis Servorum Dei, quæ per viam non cultus processerant, & in quibus per solos testes de auditu approbatæ fuerunt Virtutes. Verum cum legitime nobis constiterit, in Processibus tum Ordinaria, tum Apostolica auctoritate confectis testes de visu inventos esse, qui de Virtutibus testarentur; die 5. Augusti 1747. sequens edidimus decretum, quo declaravimus Causam præfati Servi Dei non esse sub memorata nostra lege comprehensam, adeoque duo sufficere miracula ad obtinendam ejusdem Servi Dei Beatificationem.

En Decretum.

DECRETUM

SUMMI PONTIFICIS BENEDICLI PP. XIV.

IN CAUSA VENETA, SEU MEDIOLANEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VENERABILIS SERVI DEI HIERONYMI ÆMILIANI

Fundatoris Congregationis Somaschæ.

IN Generali Congregatione Sacrorum Rituum coram Nobis habita die 22. Januarii currentis anni super pluribus Miraculis, quæ intercessione Venerabilis Servi Dei HIERONYMI ÆMILIANI Fundatoris Congregationis Somaschæ patrata dicebantur, post perlecta Consultorum, & audita Cardinalium suffragia, non solum palam ediximus, Nos esse proclives duorum miraculorum approbationi, prout etiam demonstravit eventus, adhibitis quippe secundis curis, & privato studio instaurato, nonnullisque novis peractis diligentiis, & quod caput est, sæpius implorato Divino auxilio, die tandem 23. Aprilis currentis pariter anni Decretum edidimus, in quo bina Miracula approbavimus;

Verum etiam in prædicta Congregatione addidimus, quod, obtenta duorum Miraculorum approbatione, non modica supererat superanda difficultas, ut tuto procedi posset ad Beatificationem Ven. Dei Servi, cum enim ejus Causa processisset per viam ordinariam non cultus, & Decretum virtutum approbativum, editum a felicis recordationis Clemente XII. Prædecessore nostro die 25. Augusti 1737. innixum diceretur probationibus subsidiariis, Testibus videlicet tantum de auditu, & Historicis, aliisque validis adminiculis, obstare videbatur Decretum nostrum editum die 23. Aprilis 1741., in quo statuimus, non duo, sed quatuor requiri Miracula pro Beatificatione obtinenda in Causis Servorum Dei, quæ per viam non Cultus processerant, in quibus virtutes fuerunt approbatæ per solos Testes de auditu.

Et ad omnia de medio tollenda, quæ favere possent Postulatorum intentioni, quos bene prævidebamus omnem lapidem moturos, ut præsentem Causam a censura nostri Decreti subtraherent, tum in memorata Congregatione, tum ipsis Postulatoribus, qui post Congregationem ad Nos accesserunt, manifestum fecimus, nihil eorum intentioni prodesse posse, si assererent, Causam processisse quidem per viam non cultus, sed ex rescripto felici recordationis Benedicti XIII. edito die 16. Aprilis 1726. eam fuisse æquiparatam Causis procedentibus per viam casus excepti, quod ipsum fuit confirmatum a Congregatione particulari die 17. Septembris 1730. annuente felicis recordationis Clemente Papa XII. in quibus Causis etsi Virtutes approbentur per solos Testes de auditu, quatuor quidem miracula in nostro Decreto edito die 23. Aprilis 1741. requiruntur, sed non pro obtinenda Beatificatione, quæ modo tantum petitur in Causa Ven. Servi Dei HIERONYMI ÆMILIANI, sed pro obtinenda Canonizatione, pro qua in præsenti nulla promovetur instantia; quidquid enim factum est a Benedicto XIII. factum est communicato nobiscum consilio, qui tunc in minoribus Promotoris Fidei munere fungebamur, & quidquid resolutum fuit in Congregatione Particulari die 17. Septembris 1730., resolutum fuit nobis ad cardinalitiam dignitatem evectis, præsentibus, & suffragantibus, qui testari possumus, & testamur, hanc unam fuisse tum Benedicti, tam particularis Congregationis intentionem, ut in causa Servi Dei HIERONYMI ÆMILIANI super puncto Virtutum, attentis nonnullis circumstantiis hic inutiliter non repetendis procederetur per probationes subsidiarias, uti procedebatur in Causis, procedentibus per viam Casus excepti; in Congregationibus quippe præcedentibus, & in quibus actum fuerat

de Virtutibus Servi Dei, nonnulli dubitaverant, an, procedente Causa per viam non cultus, probationes tantummodo subsidiariæ possent admitti, & earum ope responsum edere super Virtutibus, ut passim fiebat in Causis procedentibus per viam Casus excepti; quibus præsuppositis unusquisque facili negotio deprehendere potest, vim responsionis quocumque carere robore, & efficacia.

Quo eodem defectu tandem diximus laboraturam esse responsionem forte dandam, & ex eo petitam, quod Causa Ven. Servi Dei HIERONYMI ÆMILIANI utpote introducta longe ante annum 1741. quo a nobis Decretum editum est, sub eodem comprehensa dici posset, cum nostræ intentionis fuerit, quod decretum pedum futuras, sed etiam Causas longe ante introductas comprehenderet, expectantes tamen perfectionem suam, & complementum a facto futuro finalis determinationis, prout ea est, de qua nunc agitur, quod a variis exemplis in nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum* relatis comprobavimus.

His admoniti Postulatores, securioremque viam ingressi, iterum ad Nos accesserunt, exponentes, fuisse quidem anteactis temporibus semper reputatum, quod in Causa Servi Dei deficerent omnino Testes de visu, quapropter nobis, dum in minoribus essemus, Advocati Consistorialis officio fungentibus, nec adhuc honestatis Promotoris Fidei officio, demandata fuit provincia, quam pro virium nostrarum tenuitate adimplere curavimus, demonstrandi, sufficere etiam in dubio virtutum Testes de auditu adminiculatos in Causa, in qua tarditas compilationis Processuum, non ex malitia, aut fraude Postulatorum, sed aliis legitimis rationibus contigerat, prout erat ea Servi Dei HIERONIMI ÆMILIANI, ipsique præterea Postulatores ideo certum existimabant, ut supplices porrexerint Summis Pontificibus preces, ut obtinerent, prout obtinuerunt, ut in Causa Servi Dei super dubio Virtutum Testes de auditu adminiculati admitterentur, ut passim admittebantur in Causis Servorum Dei procedentibus per viam cultus immemorabilis super dubio Virtutum, sed revera rem non ita se habuisse, cum tempore absentiæ nostræ ab Urbe majori diligentia perlectis, perpensisque Processibus tum auctoritate Ordinaria, tum Apostolica confectis, plures Testes de visu de Virtutibus testantes inventi sint, iidemque fuerint exhibiti, cum coram felicis recordationis Clemente Papa XII. actum est de Virtutibus Servi Dei HIERONYMI ÆMILIANI.

Potuissemus, & forte etiam debuissemus dictis Postulatorum præstare fidem; in Decreto quippe edito ab eodem Prædecessore nostro die 25. Aug. 1737. Virtutes Servi Dei approbante dictum fuit, *Constare de Virtutibus*, qui rescribendi modus indicat, non fuisse Virtutes approbatas dependenter a solis Testibus de auditu adminiculatis, in hoc etenim rerum statu responsum fuit, *ita constare de Virtutibus, ut tuto procedi possit ad examen Miraculorum*, prout a Nobis fuse demonstratum in nostro citato Opere *de Canonizatione Sanctorum*, sed cum in re tanti momenti nulla unquam diligentia uti superflua traduci possit, ad Nos deferri jussimus tum Processus, tum Scripturas Congregationi exhibitas, cum in ea agebatur de Virtutum approbatione.

Jussu itaque nostro tum Processibus, tum Scripturis ad Nos delatis, cum in Processu Apostolico Mediolanensi confecto ab anno 1624. Testem de visu, constitutum in ætate annorum centum, examinatum viderimus, aliumque Testem pariter de visu examinatum in Processu Apostolico Bergomensi, constitutum in ætate annorum nonaginta quinque, & in Processu Ordinario Somaschensi alium Testem de visu constitutum in ætate annorum octoginta quinque, & in eodem Processu alium Testem de visu constitutum in ætate annorum octoginta duorum, & in Processu Ordinario Somaschensi, sive Mediolanensi Testem de visu constitutum in ætate annorum octoginta, & in Processu Ordinario Comensi alium Testem constitutum in ætate annorum nonaginta.

Cumque præterea a Nobis animadversum sit, memoratos Ordinarios Processus fuisse in processum Apostolicum compulsatos, eorumque validitatem fuisse discussam, & approbatam in Congregatione die 17. Julii 1734., & primos quatuor Testes fuisse Congregationi exhibitos, cum de Virtutibus Servi Dei agebatur, & omnes demum Testes de gestis Servi Dei testari, cum, abjectis Seculi pompis, omnibus omnia factus est, & orphanos undique collectos in unum congregare incepit, ut eos Christo lucrifaceret, laboribusque, vigiliis, atque jejuniis, operibusque piis se Deo mancipavit.

Ex his omnibus in eam sententiam adducti sumus, ut, salvo semper Decreto a nobis edito anno 1741. fidenter edere possimus, prout in præsenti edimus, Decretum, per quod declaramus causam Servi Dei HIERONYMI ÆMILIANI, quæ processit per viam non cultus, non esse comprehensam sub lege, quæ quatuor exposcit Miracula, ut ad Beatificationem procedatur in Causis Servorum Dei, in quibus Virtutes fuerunt approbatæ *ex Testibus tantum de auditu quandoque a videntibus quandoque non, & quorum fides roborata est adminiculis ad faciendam viro prudenti, ac de re gravi judicaturo auctoritatem, & fidem idoneis*; sed in dicta causa pro obtinenda Beatificatione bina Miracula satis esse debere, & alia duo, quæ supervenerint, esse necessaria, ut ad Canonizationem procedatur.

Examinandum juxta morem supererat dubium, an, stante duorum Miraculorum approbatione, tuto procedi posset ad Beatificationem, Nobisque pariter exhibitæ fuerunt tum Fidei Promotoris Animadversiones, tum Responsiones Postulatorum super eodem dubio, sed cum ex hoc nostro Decreto quæcumque difficultas fuerit sublata, Postulatores absolvimus a prædicti dubii propositione, & Nos ipsi pronunciamus, tuto ad Beatificationem, stante probatione duorum Miraculorum, procedi posse.

Tenuem hanc indulgentiam, & alia porro majoris momenti a Nobis præstanda meretur Ordo Somaschorum de Nobis optime meritus, meretur justitia Causæ tanto temporis spatio plusquam sufficienter discussa, meretur denique insignis Postulatorum obedientia, qua Decretis Urbani VIII. debitum obsequium præstantes ab Altaribus amoverunt Servi Dei Imagines, & quemcumque publicum Cultum inhibuerunt, etsi scientibus, & tolerantibus Ordinariis præstitum spatio fere centum annorum ab iisdem Decretis præservato, & subinde denegatæ Cultus reintegrationi acquieverunt, postquam pro ea humillime institerant, Causamque prosecuti sunt per viam non Cultus: quæ omnia enarrantur in nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum*.

Hoc autem nostrum Decretum Secretario Congregationis Sacrorum Rituum consignamus, ut illud inter acta ejusdem Congregationis referat. Datum apud Sanctam Mariam Majorem die 5. Aug. 1747. Pontificatus nostri Anno Septimo.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus,

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymit.
S. R. C. Secret.

XI. DECRETUM

In Causa Beatificationis Venerabilis Servi Dei

PATRIS JOSEPH A MATRE DEI

Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Fundatoris,

IN Congregatione Generali Sacrorum Rituum habita coram Nobis die 23. Aprilis 1748., post felicem successum Congregationis Antepræparatoriæ, & Præparatoriæ, propositum fuit, in Causa Ven. Servi Dei P. Joseph a Matre Dei Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Fundatoris, dubium: an, & de quibus miraculis constaret in casu &c. & ad effectum &c. Nos, lectis

Con-

Consultorum suffragiis, auditisque verbalibus Postulatorum informationibus, & Cardinalium suffragiis, licet comperissemus unanimem esse eorum sensum in approbandis secundo, & tertio inter proposita miracula; distulimus tamen de more nostrum definitivum edere responsum. Tandem secundis adhibitis curis, Deique ope enixe implorata, die 10. Maii ejusdem anni, post Sacrum in domestico nostro Sacello celebratum, sequens edidimus decretum, quo memorata duo miracula in tertio genere approbavimus.

DECRETUM

SUMMI PONT. BENEDICTI PAPÆ XIV.

In Causa Romana Beatificationis, & Canonizationibus.

VEN. SERVI DEI PATRIS JOSEPHI A MATRE DEI

Cleric. Regul. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Fundatoris

Super Dubio, An, & de quibus Miraculis constet in casu &c.

CAUSA Beatificationis Venerabilis Servi Dei Patris JOSEPH A MATRE DEI Clericorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Fundatoris, pro qua, dum de ejus heroicis Virtutibus agebatur, in minoribus Advocati consistorialis munere fungentes, qualemcumque operam nostram præstitimus, in qua, translati ad officium Fidei Promotoris, non exiguos certe labores sustinuimus, ut prædictæ Virtutes accurate discuterentur, in qua demum, sublatis oppositis difficultatibus, favorebile nostrum tulimus pro Virtutum excellentia, seu heroicitate suffragium, postquam evecti ad Cardinalatus dignitatem interfuimus Congregationi Generali Sacrorum Rituum habitæ coram felicis recordationis Benedicto Papa VIII, nostro Benefactore die 7. Septembris 1728., qui Decretum edidit, in quo pronuntiavit, constare de Virtutibus heroicis Servi Dei, post lapsum tandem aliorum fere viginti annorum, in quorum decursu compilati, recogniti, & approbati fuerunt Processus auctoritate Apostolica confecti super Miraculis, quæ ejus intercessione a Deo patrata dicebantur, nostrum, qui immerentes ad Ecclesiæ Catholicæ regimen a Deo vocati sumus, tandem subiit judicium in Congregatione Generali Sacrorum Rituum coram Nobis habita die 23. præteriti mensis Aprilis, in qua, juxta morem, præmissis duabus Congregationibus Antepræparatoria, & præparatoria, disputationi propositum fuit Dubium sequens; *An, & de quibus miraculis constet in casu, & ad effectum, de quo agitur.* Antequam autem ad eam Congregationem accederemus, Postulatorum, Fideique Promotoris scripta, nec non suffragia perlegimus triginta Consultorum Congregationis, scriptis exarata; audivimus verbales informationes Postulatorum; & Congregationum ingressi, auribus excepimus luculenta suffragia sexdecim Cardinalium. Et licet tum Consultorum, tum Cardinalium suffragia in unam conspirassent senteotiam, approbationis videlicet secundi, & tertii Miraculi inter proposita a Postulatoribus, Nosque ipsi, nostro privato studio adducti, in eumdem sensum collimaremus; nullum tamen tunc definitivum responsum edidimus, tum ut divinam opem in re tanti momenti iteratis precibus imploraremus, tum ut secundis curis idem negotium novo examini supponeremus. Quibus tandem abundanter impletis, abruptaque quacumque alia mora, ut etiam Clerici Regulares Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, alumni venerabilis Servi Dei, qui expleto in Urbe Capitulo Generali, ad suas quamprimum reversuri regiones, certum favorabilis Decreti monumentum, spiritualem lætitiam tum ipsis, tum sociis absentibus allaturi, secum deferre possint, hac ipsa die, post celebratum in domestico nostro Sacello Sacrum, accitis Secretario Congregationis Sacrorum Rituum, & Fidei Promotore, Decretum hoc, inter Acta Congregationis asservandum, edimus, in quo inhærentes suffragiis tum Consultorum, tum Cardinalium, declaramus, constare de miraculosa sanatione in tertio genere, secundo loco proposita, sororis Christinæ Ceccherinæ, quæ, contracta ex complicatione quamplurium internorum morborum anno 1733. ægritudine, eademque protracta usque ad annum 1740. postquam immobilis spatio decem, & septem mensium permanserat, ejusque sanitas fuerat a Medicis proclamata, invocato Dei Servo, incontinenti nedum liberata fuit a doloribus, quibus angebatur, sed, stupentibus omnibus, libero gressu, viribusque recuperatis processit, & cetera peregit, perinde ac si nullo morbo vexata fuisset, & in eadem firma valetudine usque ad præsens permansit; necnon constare de miraculosa sanatione in tertio genere, tertio loco proposita, Margaritæ Tanteri, quæ, communi Medicorum, & Chirurgorum judicio, aneurysmate sensibus obvio, & ab ipsis reputato insanabili, laborans, postquam, ab anno 1729. usque ad annum 1739. gravissimis symptomatibus laboraverat, & ab anno 1734. usque ad annum 1739. in lecto decubuerat, nullis per totum dictum tempus adhibitis remediis, invocato Dei Servo, læta, & bene valens, recuperatis momento viribus, & cubili surrexit, & accedente perfecta aneurysmati sanatione, paucas post hos iterum a cubili surgens, ad quod, ut somnum caperet, reversa fuerat, se perfecte sanatam comprobavit, ea omnia faciendo, quæ fecisset, si nullo morbo affecta fuisset, in quo felici statu etiam ex post, & usque ad præsens perstitit. Datum hac die 10. Maii 1744.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius.

CAPUT VII.

Bullæ Canonizationis, & Brevia Beatificationis.

POSTQUAM *Divina largitate ad Apostolicam Sedem, licet immerentes, evecti sumus, plures Canonizationis Bullas, & plura Beatificationis Brevia edidimus, ut honoris, quo Sancta mater Ecclesia homines heroica morum sanctimonia præstantes, ac miro prodigiorum fulgore nitentes prosequitur, perennis, atque authenticis firmata documentis extet recordatio. Canonizationis quidem Bullæ sunt omnino sex. Earum prior edita a Nobis est die 5. Maii 1742. pro Canonizatione S. Elisabethæ Lusitanorum Reginæ, quam licet Urbanus VIII. solemni ritu Sanctorum fastis adscripsisset, decretalem tamen Epistolam, qua de hujusmodi Canonizatione posteris constare indubie, non evulgaverat. Nostram hanc Constitutionem inseremus tom. 7. pag. 95. (*). Aliæ quinque Literæ decretales editæ a Nobis sunt pro Canonizatione Beatorum Fidelis a Sigmaringa Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, Camilli de Lellis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatoris, Petri Regalati Min-* Ob-

(*) *Hæc Constitutio in nostra Editione reperietur ad calcem Libri I. de Canoniz. Sanctorum pag. 278.*

Observan. S. Francisci, Josephi a Leonissa Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, & Catharinæ de Riccis Sanctimonialis Professæ Ordinis S. Dominici, quos anno Reparatæ Salutis 1746. Pontificatus nostri anno sexto, die 29. Junii SS. Apostolis Petro, & Paulo hujus Almæ Urbis Principalibus Patronis dicata; in Basilica Vaticana maximo spectatorum concursu solemniter inter Sanctos adnumeravimus, & super hac nostra definitiva sententia Literas Apostolicas in forma Bullæ expediri decrevimus. Illarum exemplar extat tom. 5. a pag. 516. (a) in eo etiam pag. 4. 5. 6. 15. & 16. (b) habentur decreta, quæ pro eorumdem Beatorum Canonizatione antea edideramus. Cum itaque hæc, aliaque plura ad memoratam Canonizationem spectantia fuse ibidem scripta sint, in hac Collectione ab iis repetendis abstinemus. Quatuor tantum hactenus Beatificationis Servorum Dei Literæ in forma Brevium a Nobis emanorunt. Eos hic subnectimus una cum decretis antea editis, quibus declaratum a Nobis fuerunt ad earumdem Servorum Dei Beatificationem tuto deveniri posse, & quibus memoratas literas in forma Brevium expediri jusseramus. In his recensendis temporum ordinem servabimus,

---

Pro Beatificatione Ven. Servi Alexandri Saulii,

D E C R E T U M

Alerien., seu Papien. Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVI DEI ALEXANDRI SAULII

Ex Clerico Regulari Congregationis Sancti Pauli, Barnabitarum nuncupatæ, Episcopi Alerien., & deinde Papien.

CUM alias, habita solitis cum Præparatoriis triplici Congregatione Generali Sacrorum Rituum, prima sub die 9. Decembris 1732. super Dubio virtutum in Causa Venerab. Servi Dei Alexandri Saulii ex Clerico Regulari Congregatione S. Pauli, Barnabitarum nuncupatæ, Episcopi Alerien., ac deinde Papien., fel. rec. Clemens Papa XII. die Nativitatis Domini 25. ejusdem Mensis, & Anni declaravit: *Constare de Virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus, aliisque annexis in gradu heroico, in casu, & ad effectum &c.....* Secunda vero sub die 27. Sept. Anni proxime præteriti 1740. super Dubio Miraculorum ad ejus intercessionem a Deo patratorum, Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS Papa XIV. die Conversionis Sancti Pauli prædictæ Congregationis Patroni 25. Januarii currentis Anni 1741. duo ex illis in tertio genere approbaverit; videlicet Sextum: *Fr. Laurentii Mariæ Obez Laici Professi ejusdem Congregationis septuagenarii, qui cum ex febri maligna, & pustulis animam jam ageret, superposito Ven. Episcopi Rochetto, statim sanatus est die 31. Augusti 1674.* Et Decimum: *Caroli Bertol Militis sexagenarii, qui ut lethali pro febre Rocheti ejusdem impositione depulsa gratias ageret, ad Ven. Episcopi Sepulchrum in sella gestatoria delatus, ac super lapidem stratus a frxennoli etiam crurium debilitate liberatus, repente surgens, Domum suis pedibus rediit die 12. Decembris 1678.* Ac tertia demum sub die 21. Martii proxime præteriti proposito per Reverendissimum Dominum Cardinalem Sacripantem Dubio: *An stante approbatione Virtutum, & duorum Miraculorum tuto procedi possit ad Beatificationem in casu &c.* Omnes affirmative censuerint rescribendum, idem Sanctissimus Responso, ad implorandum interim suis, aliorumque precibus Cælesti Lumine, tunc dilato, post sacrosanctum Missæ Sacrificium, accitis coram se R. P. Promotore Fidei (si quid ulterius haberet opponendum) Meque infrascripto Sacræ Congregationis Secretario, ad Majorem Dei gloriam, ac Ecclesiæ quidem universæ, sed præsertim Ordinis tum Regularis, tum Episcopalis, quem tanta cum laude Servus Dei professus est, ornamentum, ac decus, præsens Decretum Beatificationis Ven. Episcopi Alexandri Saulii per Literas in forma Brevis, & consuetis cum Indultis in Basilica Vaticana præstituta in iisdem Literis die solemni Ritu celebrandæ expediri, ac publicari mandavit. Hac die Dominica in Albis 9. Aprilis 1741.

Fr. Jo. Ant. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius.

Beatificatio Servi Dei ALEXANDRI SAULII *Clericis Regularibus S. Pauli Barnabitis nuncupatis, primum Aleriæ, deinde Papiæ Episcopi.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

BENIGNITATEM Dei nostri, & divitias bonitatis ejus in Servi Dei Alexandri Saulii, primum Aleriæ, deinde Papiæ Antistitis virtutibus ac meritis extollere, & prædicare, non religiosum modo debitum esse ducimus officium; sed nihil etiam intelligimus in hac temporum conditione esse opportunius, quam ut universis Christifidelibus, & animarum maxime Pastoribus uberiora suppetant ad imitationem exempla; atque in ejusdem patrocinio, factisque admirandis præsidia, ac pacem, tranquillitatem, & salutem tam inter Christianos omnes, quam inter eos potissimum populos precandam, quos ab illo per viginti, & amplius annos non tamquam solius Aleriæ Episcopo, sed totius Corsicæ Apostolo, olim salutaribus monitis, ac legibus instructos, & moribus correctis, extinctis odiis, conciliatis animis, resurgentisque Clericis, viam mandatorum Dei currere edoctos ipsa rerum humanarum, divinarumque perturbatio jamdudum inibi exorta a tradita sanctissima disciplina alienos tenet. Ea propter inter præcipuas partes Apostolici muneris, quod altissimo Divinæ sapientiæ consilio infirmitati nostræ impositum est, illam ministerio nostro rite, sancteque obeundo magis congruentem reputamus, ut ad cælestem Nobis promerendam opem studeamus, quantum Nobis ex alto conceditur, ad omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Ecclesiæ decus, bonumque Christiani populi exemplum, promovere cultum, & venerationem ejusdem Servi Dei, qui pueritiæ curriculo summa cum pietatis, & doctrinarum laude confecto, severioris disciplinæ Institutum in Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum nuncupata amplexus, omnium Religiosarum virtutum splendore longe, lateque præfulsit, & ad Pastorales ovium sibi commendatarum curas evocatus, ita se gessit, ut optimi Pastoris officio perfunctum a Pastorum Principe Jesu Christo æterna mercede donatum fuisse non dubitemus. Cum igitur mature, diligenter discussis, atque perpensis per Congregationem Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus Præpositorum processibus de Apostolicæ Sedis licentia confectis super vitæ sanctitate, & virtutibus tam Theologicis, quam moralibus, in gradu heroico, quibus idem Servus Dei Alexander Saulius multipliciter claruisse, nec non miraculis, quæ ad ejus intercessionem, & ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem, a Deo patrata fuisse asserebatur; eadem Congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse, quandocumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei Beatum declarari cum consuetis Indultis; hinc est, quod Nos piis, atque enixis quamplurimorum Ven. Fratrum Archiepiscoporum, & Episcoporum, necnon dilectorum Filiorum Magistratuum, Procerum, & populorum, Italiæ præsertim, ac totius insuper antedictæ Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli supplicationibus (quas olim etiam humiliter datas fel. record. Prædecessoribus nostris Innocen-

---

(a) *Apud Nos pag. 227.* (b) *In nostra Editione habetur Tom. VIII. pag. 2. 3. 8.*

nocentio Papa X. clar. mem. Ferdinandus Romanorum Rex in Imperatorem electus, Clementi Papæ X. bon. mem. Emmanuel Sabaudiæ Dux, & Innocentio Papæ XI. Cosmus itidem bon. mem. Etruriæ sibi subjectæ Magnus Dux, piarum suarum precum accessione roboraverant, & fel. pariter record. Clementi Papæ XII. itidem prædecessori nostro carissima in Christo Filia nostra Maria Amalia utriusque Siciliæ, & Jerusalem Regina illustris, ac Nobis ipsis nupes dilecti Filii nobiles viri Dux, & Respublica Januensis renovarunt) Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati de supradictæ Congregationis consilio, & assensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus; ut idem Dei Servus Alexander Saulius in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferendæ) exponantur. Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die vigesima tertia mensis Apeilis recitetus Officinm, & Missa de Commnni Confessoris Pontificis cum Oratione a Nobis approbata juxta subricas Breviasii, & Missalis Romani; Porro secitationem Officii, & Missæ celebrarionem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universa Congregatione eorumdem Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, in civitate Mediolanensi, ubi oatus, & Regularem emisit Professionem, in diœcesibus tam Aleriensi, quam Ticinensi, quibus Episcopus præfuis, & in civitate Januensi, nnde originem duxit, & nbi adbuc ejus nobilis gens, & familia perstat, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus iam Secularibus, quam Regularibns, qui ad Horas Canonicas tenentur, & quantum ad Missas attioet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetus, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis bisce litteris, & quoad Indias a die, quo eædem litteræ illuc pervenerint, inchoando, in ecclesiis Congregationis civitatum, & diœcesum antedictarum solemnia Beatificationis ipsius Servi Dei cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori, die ab Ordinariis respective constisuta, postquam in basilica nostra S. Petri in Vaticano de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia ipsa die 23. currentis mensis Apeilis, pariter celebrandi facimus potestatem; non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum ssansumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique, tam in judicio, quam extsa illud babeatur, quæ ipsis præsentibus haberesur, si foreot exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 23. Apeilis 1741. Pontificatus nostsi anno psimu.

D. Cardinalis Passioneus.

Pro Beatificatione Ven. Servi Dei Camilli de Lellis

D E C R E T U M

Romana, seu Theatina Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVI DEI CAMILLI DE LELLIS

Fundatoris Clericor. Regular. Ministrantium Infirmis.

CUM, paulo post Servi Dei obitum die 14. Julii 1614., factis auctoritate Ordinariorum Processibus, & pes clar. mem. Card. Millinum in Congregatione Sacrorum Rituum relatis, fel. rec. Urbanus Papa VIII. anno 1625. signata Commissione introductionis, manum Causæ apposuerit: constructisque mox, & per cl. mem. Card. Sacchetium relatis Processibus auctoritate Apostolica in specie, san. mem. Alexander Papa VII. die 7. Septem. 1662. signaverit Commissinoem reassumptionis Causæ in statu, & tesminis, in quibus tunc reperiebatur: subindeque Sacra eadem Congregatio die 31. Julii 1665. referente clar. mem. Card. Aldobrandino, rescripserit: *Constare de sufficienti paritione Decretis san. mem. Urbani VIII. super non cultu, & procedi posse ad ulteriora in Causa*; & die 21. Apr. 1668., ad relationem clar. mem. Card. Rospigliosii: *Constare de Validitate Processuum Theatini, Neapolitani, Januensis, Florentini, Bononiensis, Mantuani, Perusini, & Romani auctoritate Apostolica super inquisitione speciali confectorum, & Testes fuisse rite, & recte examinatos &c.* ac die 16. Febr. 1669., audita relatione clar. mem. Card. Celsi: *Procedi posse ad ulteriora, stante revisione Scripturarum, & Opusculorum Ven. Servi Dei, in quibus nibil, quod retardare, & obstare possit, repertum fuit*; præmissisque deinceps pluribus, etiam quam fieri soleat, Congregationibus Antepræparatoriis, & Præparatoriis tum per Virtutibus, tum per Miraculis, tandem die 15. Junii 1728. in Congregatione Generali coram fel. sec. Benedicto Papa XIII., proposito pes clar. mem. Card. Origum Dubio Virtutum, auditoque in scriptis, & in voce super hoc, atque alias non semel supes Ordinatoriis judicii Sanctissimo Domino Nostro, tunc S. Fidei Promotore, die 24. ejusdem mensis prodierit Decretum: *Constare de Virtutibus iam Theologalibus, scilicet Fide, Spe, & Charitate, quam Cardinalibus, Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque respective annexis in gradu heroico, in casu, & ad effectum, de quo agitur*; atque in simili Congregatione coram SS. D. N. BENEDICTO PAPA XIV. die 26. Sept. 1741., proposito per Eminentissimum D. Card. Bellugam Dubio Miraculorum, Sanctitas Sua die 13. Novemb. proxime præterii declasaverit: *Ex novem propositis Miraculis constare de duobus in tertio genere, nimirum de* Sexto *Catharinæ Maciraniæ Puellæ undennis a septimestri polypo ulceroso, ac fœtido, simul ac subuculæ olim a Servo Dei gestatæ filo duo ægris naribus admota sunt, dolore omni protinus cessante, nulloque morbi relicto vestigio sanatæ, Viterbii in Monasterio S. Catharinæ Ord. Præd. ubi educabatur; exeunte Novemb.* 1728., ac Nono: *Catharinæ Dondolæ annorum circiter triginta, quæ sexto graviditatis mense maligna febri, non pleuram modo, sed & pulmones inflammante, totumque guttur ulcerante, in supremo vitæ, ac mortis agone constitutæ, ad simplicem haustum Aquæ commistæ pulvere Cubiculi Servi Dei, ac dum illi commendaretur omnia porrectæ, abjecto prorsus omni morbo, quin & viribus receptis surgere statim potuit, sanam se clamitans, ac probans, Romæ die 28. Januarii* 1736., ac postremo, die 13. Januasii nuper elapsi, delato per eumdem D. Cardinalem, coram eodem Sanctissimo in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum, sed cum interventu Consultorum quoad hoc, Dubio: *An stante approbatione Virtutum, & duorum post obitum Servi Dei Miraculorum, tuto posset procedi ad ejus Beatificationem in casu &c.* omnes affirmative censuerint respondendum: Sanctitas Sua, hujusmodi Responso, ad cæleste interim Lumen suis, aliorumque precibus implorandum, tunc post Sacrosanctum Missæ Sacrificium, accitis coram se R. P. Promotore Fidei (si quid ulterius haberes opponendum) meque infrascripto Secretario, Sacræ Congregationis Sententiam approbando, ad Majorem Dei Gloriam, atque Ordinis a Ven. CAMILLO DE LELLIS fundati, & Ecclesiæ Dei valde utilis, non ornamentum modo, sed & incitamentum, præsens Decretum Beatificationis ejus per Literas in forma Brevis, & consuetis cum Indultis in Basilica Vaticana præstituto in iisdem Litteris die solemni Ritu celebrandæ expediri, ac publicasi mandavit infrascripta die Purificatæ Virgini Sacra: qua nimirum ille anno 1575. Divinæ Gratiæ lumine ex improvisu illustratus, ab bonam vivendi frugem mirabiliter conversus perhibetur. Die 2. Februarii 1742.

Fr. J. Ant. Card. Guadagni Pro-Præfect.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolymitanus Secret.

BRE-

B R E V E

Beatificationis Beati CAMILLI De LELLIS Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium infirmis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam,

IN virtutibus, rebusque a Servo Dei CAMILLO DE LELLIS Congregatione Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatore ad Divini honoris cultum promovendum, augendumque, & ad opportuna procurandæ animarum Christifidelium saluti commoda, ac remedia comparanda præclare gestis, in quibus magnificata est dextera Excelsi, & amplissime triumphavit virtus Spiritus Sancti, Divina ipsius misericordiarum Patris, qui mirabilis est in Servis suis, opera revelare, & confiteri non solum honorificum, sed in hac potissimum aspra temporum conditione salutare etiam, ac necessarium esse ducimus, ut & universi Christifideles benignitatem Dei nostri, & divitias bonitatis ejus prædicantes, nova, atque uberrima habeant ad imitationem exempla, & ipse Servus Dei meritis honoribus decoratus in terris, certa e cælis patrocinio suo in diebus nostris impetret perpetuæ inter Christianos Principes pacis, communis populorum tranquillitatis, & æternæ salutis auspicia, atque præsidia. Erraverat ille quidem a semita, quam tenuerant Servi Dei, qua iter ad cælestem patriam intenditur, & ipsum fore persecuturum capta quædam in nativitate auguria addicebant; sed peculiari miserentis Dei providentia in viam rectam in solemni die Purificationis Beatæ Virginis Mariæ immaculatæ sacra revocatum eadem replevit spiritus timoris Domini, spiritus consilii, & fortitudinis, ut ejusdem amoris igne accensus, amare fleverit; atque arduum Christianæ pœnitentiæ, & perfectionis stadium ingressus, curriculum omnium virtutum, relicto aliis, atque sui præsertim instituti alumnis ad præeuntem impigre sectandum incitamento, confecerit, una a Bonorum omnium largitore Deo immortalis beatitudinis bravium accepisse, nullus ambigendi sit locus. Quamobrem nihil ad supremum, gravissimumque Apostolicæ servitutis in Catholicæ Ecclesiæ procuratione imbecillitati nostræ per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam demandatum ministerium rite, sancteque obeundum intelligimus esse aptius, aut magis idoneum, quam ut, quantum Nobis ex alto conceditur, ejusdem Servi Dei CAMILLI de Republica Christiana, atque hac alma Urbe nostra, in qua maxime luculentissima suarum virtutum præsetulit specimina, & morali vitæ finem imposuit, benemerentissimi cultum, & venerationem ad omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Ecclesiæ decus, & Christiani populi utilitatem promoveamus. Cumque itaque, mature, diligenterque discussis, atque perpensis per Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus Præpositorum processibus de Apostolicæ Sedis licentia confectis, super vitæ sanctitate, & virtutibus tam Theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus eumdem Servum Dei CAMILLUM DE LELLIS multipliciter claruisse, nec non miraculis, quæ ad ejus intercessionem, & ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebatur, eadem Congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam Consultorum suffragiis, uno spiritu, una voce censuerit, posse, quandocumque Nobis videretur, prædictum Servum Dei Beatum declarari cum consuetis Indultis: Hinc est, quod Nos piis, atque enixis antedictæ Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis jamdudum sæpe porrectis supplicationibus, quibus olim suas, & clar. mem. Hispaniarum Reges Catholici, tum Philippus III. tum Philippus IV. ad fel. rec. Paulum PP. V., Gregorium PP. XV., & Alexandrum PP. VII. prædecessores nostros, & utriusque sexus Principes, ac Duces, nec non nobiles viri electi civitatis Neapolitanæ, aliique ex Ordine Ecclesiastico preces, & vota conjunxerant, Nobis nuper iterum porrectis benigne inclinati de supra dictæ Congregationis consilio, & assensu, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus, ut idem Servus Dei CAMILLUS DE LELLIS in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, & Reliquiæ Venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferendæ) exponantur; Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die xv. mensis Julii recitetur Officium, & Missa de Communi Confessoris non Pontificis cum Oratione a Nobis approbata juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani. Porro recitationem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universa Congregatione eorumdem Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, & in civitate, ac diœcesis Theatina, ubi natus, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, & quantum ad Missas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, & quoad Indias a die, quo eædem literæ illuc pervenerint, inchoando; in ecclesiis Congregationis, civitatis, & diœcesis antedictæ solemnia Beatificationis ipsius Servi Dei cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori, die ab ordinariis respective constituta, postquam in basilica nostra S. Petri in Vaticano celebrata fuerint eadem solemnia Dominica secunda post Pascha Resurrectionis D. N. JESU CHRISTI currentis anni MDCCXLII., pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vii. Aprilis MDCCXLII. Pontificatus nostri anno secundo.

D. Card. Passioneus.

Pro Beatificatione Venerabilis Servi Dei HIERONYMI ÆMILIANI.

CUM in Causa Beatificationis Ven. Servi Dei Hieronymi Æmiliani duo ex propositis miraculis approbata a Nobis fuissent; dubium supererat de more examinandum, an tuto procedi posset ad ejus Beatificationem. Verum nos in decreto edito die 5. Augusti 1747. quod superius cap. 6. decr. 10. retulimus, a prædicti dubii propositione Postulatores absolvimus, & tuto ad Beatificationem, stante duorum miraculorum approbatione, procedi posse pronunciavimus. Plures ad id causæ nos impulerunt, sed potissimum insignis Postulatorum obedientia, qua Decretis Urbani VIII. debitum obsequium præstantes, ab altaribus amoverunt Servi Dei Imagines, & quemcumque publicum cultum inhibuerunt; etsi scientibus, & tolerantibus Ordinariis præstitum spatio fere 100. annorum ab iisdem decretis præservato, & subinde denegatæ Cultus reintegrationis acquieverunt, postquam pro ea humillime institerant, Causamque per viam non cultus prosecuti sunt. Sequentes proinde literæ in forma brevium pro ejus Beatificatione expeditæ sunt.

BEA-

BEATIFICATIO VEN. SERVI DEI HIERONYMI ÆMILIANI

Fundatoris Congregationis Somaschæ

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. IN Castris Militantis Ecclesiæ Illi tantum contra infensissimos hostes, elato crucis Vexillo triumphum agunt, & laurea donantur æterna, qui ad coercendos lapsæ naturæ impetus, arduum Christianæ perfectionis iter, Christi sanguine undequaque conspersum, alacriter arripientes, violentiam, ne concidant, sibi jugiter inferunt, atque inexpiabili, & pertinaci bello vitiis indicto; in obtinendis virtutibus fortissime decertant. Cum autem eorum cordibus penitus hæreant Apostoli monita, Christi oraculis comprobata, finem præcepti esse charitatem, adeo ut absque illa, corpore vel flammis tradito, haberentur dubio procul tanquam æs sonans, aut cymbalum tinniens, hoc maximum in lege mandatum, Spiritu Sancto Duce, quantum facere, enitique possunt, exequi, & exhaurire contendunt. *B. Hieronymi vita & virtutes summatim recensentur.* In gravissimo utriusque disciplinæ instituto plurimum laboravit, & mirifice excelluit Venerabilis Dei Servus Hieronymus Æmilianus, qui lubricam juventutis viam ingressus, animum prava licentia infecit, moresque liberiores Familiæ nobilitate auctos, confirmavit militia, cui nomen dederat, ut Venetæ Reipublicæ durissimo Cameracensis fœderis bello implicitæ, tamquam Matri in extrema fortuna laboranti, opem ferret, utque Civia Togatus ex gente Patricia ob rem bene gestam amplissimis honoribus cumularetur. Verum Arce Castri Novi in Marchia Tarvisina ab hostibus per vim expugnata, Hieronymus, qui ei tunc præerat, ferreis manicis, & compedibus devinctus, in fœdissimum carcerem conjectus est. Eo loci cum extrema quæque sibi impendere animadverteret, acriores de æterna animæ jactura, quam de intercepta libertate, injectu mortis terrore, stimulos sensit; atque ex peccatorum conscientia eos hostes potissimum pertimescere cœpit, qui se majori supplicio dignum, vinculis æternis constrictum præcipitem in inferos agere possent. Attamen Beatissimæ Virginis ope, cui se plurimum commendaverat, incolumis factus, cælesti ejus patrocinio, quam tunc repente assecutus est, sempiterna beneficii memoria, retulit libertatem. Deinde Venetias repetens, deposita toga, abdicatisque Dignitatibus, nuntium seculo remisit, christianæ pœnitentiæ operibus, officiisque pietatis usquequaque addictus. Hinc miris, & suavissimis modis intus agente Divina Gratia, illico intellexit, dilectionem proximi, quæ legis plenitudo est, non ignavo, & inerti amore compleri, sed in maximis rebus gerendis, & sustinendis totam versari. Quamobrem pueros, qui ingenti numero, Parentibus ferro, fame, lueque spoliatis, per compita, & fora miscere vagabantur, Divino afflante numine, tecto sua pecunia locato, idoneisque Magistris conductis, incolumes recepit, servavitque. Neque huic tam eximiæ sollicitudini finem fecit, sed ceteris exemplar factus, id primus aggressus est, ut mulieres malæ famæ a turpi quæstu ad pœnitentiam conversæ, intra septa Domus Fidelium eleemosynis comparatæ, ad eluendas profligatissimæ vitæ maculas continerentur. *Congregationis Somaschæ institutio.* Præterea Venerabilis Dei Servus, ne tot annorum labor pro animarum salute susceptus, humanarum rerum vitio, quæ fluxæ semper, & caducæ esse solent, obsolesceret, & interiret, novæ, Religiosæque Familiæ, in exiguo Bergomensis Agri Oppido Somascha, unde nomen sortita est, fundamenta jecit, ut quæ in publicam utilitatem ab ipso fuerant instituta, firmis deinde radicibus defixa, & quod caput est, hujus Apostolicæ Sanctæ Sedis beneficio confirmata, constanter perseverarent, & usquequaque, quod, Domino incrementum largiente, evenit, propagarentur. Demum cum annos quinquaginta sex inter vivos egisset, duobus ab hinc & amplius seculis, præclarissimam vitam; diuturnis semper, magnisque laboribus distentam, cum pretiosa morte in conspectu Domini commutavit. Tot itaque, tantisque Viri meritis, longe, lateque fama pervulgatis, Processus tum Ordinaria, tum Apostolica auctoritate pluribus in locis de Virtutibus, & Miraculis, ut instruerentur, curatum est. *Causæ series.* Quæ quidem virtutes, & Miracula apud tunc existentes Causarum Palatii Apostolicis Auditores primum, ut mos ea tunc temporis erat, excussa, ad tunc itidem existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationem Sacris ritibus præpositorum deinde pernoscendam fuerunt tradita. At interim felic. recor. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris Nostri decretis intercedentibus, Causæ Postulatores ab instituto cessarunt, hujusce S. Sedis auctoritatis usquequaque obsecuti. Triginta vero ab hinc circiter annis apud eamdem Cardinalium Congregationem (cum in minoribus constituti ejusdem Causæ patrocinium suscepimus) iterum de Virtutibus quæstio redintegrata est, quas in posterum pluries, diligenterque perpensas, recol. mem. Clemens Papa XII. Prædecessor quoque Noster octavo Kalendas Augusti 1737. suo Decreto approbavit, & in gradu heroico collocatas asseruit. Postmodum coram Nobis in hoc Supremæ dignitatis fastigio quamquam immerito collocatis, ad Miracula deventum est, quorum duo, communibus tum eorumdem Cardinalium, tum memoratæ Congregationis Consultorum curis, atque suffragiis perspecta, discussa, atque approbata, nono Kalend. Maji Decreto nostro firmavimus. Illud tandem investigandum maxime supererat: Num Virtutibus, ac duobus tantummodo Miraculis probatis, idem Servus Dei Beatorum fastis posset adscribi. Verum rebus a Nobis accuratissime pervolutis, ultro, lubenterque assensi sumus, nuperoque Decreto nostro amplissimo nonis Augusti Causam absolvimus. Quæ cum ita se habeant, precibus tum dilectorum Filiorum Nobilium Virorum, Ducis, & Dominii Venetorum, tum dilectorum etiam Filiorum Clericorum Regularium Congregationis de Somascha, paterna benignitate annuentes, de supradictæ Cardinalium Congregationis consilio, & assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut idem Dei Servus Hieronymus Æmilianus in posterum BEATI nomine nuncupetur, ejusque corpus, & reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in processionibus circumferendæ) exponantur; *Beatificatio.* Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur: ac de eo quotannis die octava Februarii, qua e vivis feliciter cessit, recitetur Officium, & Missa de communi Confessoris non Pontificis, cum Oratione a Nobis approbata, juxta rubricas Breviarii, & Missalis Romani. Porro recitationem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus tum in universa Clericorum Regularium hujusmodi Congregatione, tum in Urbe Venetiarum, ubi Vir ille magnus primam lucem aspexit, tum in memorato Oppido Sumaschæ, ubi supremum diem clausit, tum in toto Bergomensi territorio, ubi diu versatus est, ab universis Christifidelibus tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad horas canonicas tenentur: & quantum ad Missas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias, in quibus Festum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a data hisce literis inchoando, in Ecclesiis Congregationis de Somascha, Civitatis, Oppidi, & territorii antedicti, solemnia Beatificationis ipsius Servi Dei cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori, die ab Ordinariis respectiva constituta, postquam in Basilica nostra Sancti Petri in Vaticano celebrata fuerint eadem solemnia tertio Kalendas Octobris currentis anni, pariter celebrandi facimus potestatem. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium subscriptis, & Sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem

prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Adhortatio ad virtutem imitationem præsertim Charitatis & Pœnitentiæ.

Cum autem ad cultum Sanctorum quam maxime intersit, in præclaris eorum gestis cogitationes omnes, nedum oculos defigere, ut, excusso tempore, nostram improperantes desidiam, & ab eorum caritate, & pœnitentia quam longissime abesse recogitantes, ad Evangelicæ doctrinæ normam mores nostros componamus, plura in Hieronymo Æmiliano, eademque ad imitandum luculentissima suppetunt virtutum exempla, ut ejusdem vestigiis inhærentes, assequamur & præmia. Hic enim Dei Servus, quamvis clarissima Familia ortus, juvenili tamen licentia in vitia turpiter delapsus, ut Deo satisfaceret, arctamque salutis viam ingrederetur, non generis nobilitatem, non mollem, & delicatam juventutem, non commoda vitæ, non Magistratus jacturam, non affinium querelas, non hominum ludibria prætexit, sed illecebrarum corruptelis animum irretitum, & diris vulneribus confossum, congruis curavit remediis, idque potissimum præcavit, ne imbecillior medicina foret, quam morbus. Præ ceteris autem ejus virtutibus, caritatem præstat æmulari, quæ per dilectionem operata est, & qua ille totus in proximos deflagravit; ut in hoc primo, & maximo Evangelicæ legis mandato excolendo egregiam semper navemus operam, probe memores iis tantum, qui multum dilexerunt, multa quoque peccata fore remittenda. Lapsi porro, quibus sucumbit improbam vitæ consuetudinem, corruptosque mores emendare, non qualemcumque pœnitentiam in hoc indulgentissimo Seculo tot verborum lenociniis delinitam, sibi satis esse confidant, sed hujus Servi Dei moneantur exemplo, ad gravia expianda delicta, ad flectendam Omnipotentis iram, & ad instaurandam spiritus novitatem, quam Beatus Hieronymus Æmilianus assecutus est, & quæ ipsi tantam peperit gloriam, sine magnis nostris fletibus, & laboribus divina id exigente justitia, pervenire nequaquam posse.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. Septembris MDCCXLVII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

D. Card. Passioneus.

Pro Beatificatione Ven. Servi Dei

JOSEPHI A MATRE DEI

Ordinis Scholarum Piarum Fundatoris.

CUM in Causa Beatificationis V. S. D. Josephi a Matre Dei Scholarum Piarum Fundatoris duo Miracula consueto decreto approbata a Nobis fuissent; alterum discutiendum in Congregatione superer at de more dubium: an stante approbatione tum Virtutum, tum Miraculorum tuto procedi posset ad Beatificationem. Verum cum Generalis, & Religio universa Scholarum Piarum enixe a nobis petiissent dispensationem a dubii hujus examine, ut die 18. Augusti 1748. fieret ejusdem Servi Dei Beatificatio, ac solemne proinde triduum inchoari posset in eorum Ecclesia S. Pantaleonis die 25. Augusti ejusdem anni, quæ erat anniversaria centum annorum ab obitu Servi Dei; Nos jussimus ea super re a Fidei Promotore votum in scriptis exarari. Cum autem favorabile illud fuisset, per Nostrum Rescriptum annuimus, ut indicata die fierent in Vaticana Basilica solemnia Beatificationis, & a præfati dubii examine pro ea vice dispensavimus. Subdimus Promotoris Fidei votum cum nostro rescripto.

Votum Promotoris Fidei.

Beatissime Pater.

PA. Generalis, & Religio Scholarum Piarum humiles Sanctitati Vestræ preces porrexerunt, quoniam singularem eisdem fecerat gratiam sub die x. Maii currentis anni approbandi in Causa Romana Beatificationis Ven. Servi Dei Josephi a Matre Dei ipsorum Fundatoris, & Patris duo Miracula solito Decreto, clausula consueta in casu, & ad effectum de quo agitur, in præsenti dignaretur gratiæ factæ gratiam alteram cumulare, Oratores dispensando ab examine soliti dubii, quod debet prosequi approbationes Virtutum, atque Miraculorum: An scilicet stante approbatione tum Virtutum, tum Miraculorum tuto procedi possit ad Beatificationem: Ideo autem ad Pedes Sanctitatis Vestræ se supplices venisse significarunt hujusmodi gratiam postulaturos, ut Beatificatio ejusdem Ven. Servi Dei celebrari posset die 18. proxime futuri Augusti: & inde inchoari solemne Triduum in eorum Ecclesia S. Pantaleonis die 25. ejusdem Mensis, quæ est Anniversaria centum annorum, ex quo obiit idem eorum Fundator, & Pater.

Et cum Sanctitas Vestra ad preces eorumdem Oratorum dignata fuit rescribere, ut Promotor Fidei super hac re in scriptis votum suum exararet, in executionem muneris mihi benigniter demandati, præmisso, & Sanctitatis Vestræ considerationi proposito, quod in celeberrimis suis Operibus docuit, scilicet in Causis procedentibus per viam Ordinariam, in quibus non desunt probationes directæ approbato dubio Virtutum, duo tantum satis esse miracula, ut procedi possit ad ulteriora, super quo, in casu, de quo agitur, attenta supradicta praxi nihil haberem, quod opponere possem, quoties prædictum dubium in Generali Congregatione proponeretur, nullum aliud onus mihi modo putarem incumbere, quam orandi Sanctitatem Vestram, ut ea recolere dignaretur, quæ docuit, & retulit *lib.* 1. *cap.* 22. & præsertim a *num.* 21. *usque* ad 24., ubi, cum de more summa claritate, & magna eruditionis copia retulisset variam disciplinam, & praxim, quæ super hac re diversis temporibus viguit, demum *cap.* 25. *num.* 6. ita concludit:
„ Temporibus vero Summi Pontificis Clementis
„ XI. duæ semper Congregationes Generales coram
„ Sanctitate Sua habitæ sunt, ut quarum prima
„ disputato dubio de Miraculis, quæ supervene-
„ runt, fuit semper ab eodem Summo Pontifice
„ dilata resolutio, ut ante editionem Decreti su-
„ per miraculorum approbatione Divinam opem
„ imploraret. Porro in secunda, postquam, præ-
„ missis præmittendis, miracula ab eodem, acci-
„ tis tum Secretario, tum Fidei Promotore, fue-
„ runt approbata, propositum fuit subsequens du-
„ bium; An tuto &c.; & hic ordo mihi opti-
„ mus esse videtur, & retinendus ex rationibus su-
„ perius adductis, ubi consimilem Ordinem a tan-
„ to Pontifice servatum fuisse vidimus in Beatifi-
„ catione &c.

Et revera hujusmodi laudabilem praxim religiose servatam fuisse a Sanctitate Vestra in Canonizatione Sanctorum Fidelis a Sigmaringa Martyris, Camilli de Lellis, Petri Regalati, Josephi a Leonissa Confessorum, Catharinæ de Riccis Virginis, & in Beatificatione Alexandri Sauli Conf. Pontif. & prædicti Camilli de Lellis, nos ipsi vidimus, qui Congregationibus, quæ in eorum causis habitæ sunt, interfuimus.

Nihilominus liceat mihi, Beatissime pater, in præsenti peculiari casu, in quo Postulatores pro fundamento petitæ dispensationis exponunt motivum adeo forte, & validum, sicuti est illud, quod dies 25. mensis Augusti ea ipsa est, qua completur annus centesimus ab obitu eorum Fundatoris, & Patris, adeoque, quod tempus sufficiens non superest omnibus dictis functionibus peragendis, scilicet habendæ Generali Congregationi, Decreto differendo ad posteriores aliquot dies ad implorandam Divinam opem, ut moris est, usque ornatibus præparandis, qui juxta tantæ rei dignitatem sunt necessarii, tam in Basilica S. Petri, quam in Ecclesia S. Pantaleonis, liceat, inquam, mihi votum meum, sicuti est, aperire: posse scilicet Sanctitatem vestram hac etiam, præter jam concessam, specialissima gratia benigne satisfacere precibus Oratorum, quæ ceteroquin etiam post tempora Clementis XI. nova certe dici non potest, ut refert eadem Sanctitas Vestra in citato *cap.* 22. *num.* 3.

Pro-

Profecto hujusmodi circumstantia anni centesimi ab obitu Servi Dei maxima est meo judicio: & quantum Oratoribus favere debeat pro impetranda petita gratia, ex eo potissimum infero, quod annus secularis tum apud Ethnicos, tum apud Christianos semper fuerit in maxima celebritate, & de unoquoque anno centesimo peculiaris habita semper fuerit ratio, quod Summam Sanctitatis Vestræ eruditionem fugere minime potest: adeo ut non sine speciali Divini Numinis voluntate, & providentia factum fuisse videatur, ut causa virtutum, & miraculorum ejusdem Ven. Servi Dei hoc ipso anno ab ejus obitu seculari feliciter terminaretur, ut scilicet, qua die laborum suorum præmium ante centum annos a Deo acceperat in Cælis, eadem post integrum seculum recurrente, etiam ab Ecclesia, cui tantum utilitatis attulerat, mercedem reciperet hic in Terris. Etenim consuevisse olim centesimo quoque anno Natalis Christi celebritatem esse maximam exemplo secularium ludorum asserit *Julius Roseus in Bibliot. Patrum Tom. 25. pag. 936., & seqq. in scholiis ad librum Jacobi Cardinalis Cajetani de Centesimo*. Centesimum quemque annum a Nativitate Christi fuisse semper Christianis celeberrimum scribit *Jacobus Friburg*; confirmatque ex Sanctis Cypriano, & Augustino, sicuti etiam ex Eusebio Cæsariensi, *Joseph Baldassarri de anno Jubilæi cap. 3.* Singulis annis centesimis Romæ solemne aliquod fuisse ceteris præstantius ex multitudine accurrentium, & sanctitate cæremoniarum, & eum morem a profana ludorum secularium celebritate ad veri Numinis cultum esse traductum præter citatos visum est *Justo Ricq. de Jubil. cap. 9. & Phœbeo de eodem anno cap. 4.* De celebritate anni centesimi extat insigne testimonium *Joannis Monaci in Gloss. ad Extravag. antiquorum de Pœnit. & Remiss.* In numero centesimo multiplex mysterium inveniunt *Origenes hom. 2. in Gen. S. Hieron. in Isaiam cap. 65. & in Ezech. cap. 51. lib. 2. epist. adversus Jovianum, & in Apolog. ad Pammachium. Rupertus super lib. Judic. Cap. XI. Hilarius cap. 28. in Matth. Ambrosius super Luc. 15. ex Rutilio Benzonio de anno Jubilæi lib. 3. cap. 6.* idemque mysterium videntur nobis innuere Sacræ Literæ, cum Nobis exponunt Arcam Noe centesimo anno perfectam, centenario parenti natum Isaac, Abraham peregrinantem centum annos, centuplum in Evangelio promissum &c.

Huic non aspernendæ sæcularis anni circumstantiæ hoc etiam accedit, quod agitur de eo ordine gratificando, qui quamvis hora undecima collocatus in Vinea Domini, quantum tamen utilitatis attulerit, afferatque Ecclesiæ Dei, quantum fuerit, & sit de Religione Catholica, & de hac ipsa Sede Apostolica benemeritus, novit optime Sanctitas Vestra, a qua proinde multis sæpe laudibus merito commendatum audivimus. Itaque hisce de causis non abs re futurum censerem, si a Sanctitate Vestra petita gratia Oratoribus concederetur, bene tamen prius munienda omnibus iis clausulis, & conditionibus, quæ altæ Sanctitatis Vestræ menti magis opportunæ videbuntur, & necessariæ in casu, & attentis peculiaribus circumstantiis, ne ullo modo in aliarum causarum exemplum adduci possit. Quidquid a Sanctitate Vestra in hoc casu statutum fuerit, & ordinatum, considerabitur, & recipietur tamquam regula, & norma, imo lex imposterum observanda in hac materia peculiari, in qua varia semper fuit praxis, & Stylus diversus. Sanctitatem enim Vestram in rebus quidem omnibus, potissimum tamen, & multo magis in his Parentem, Custodem, & Vindicem debemus suspicere, & venerari.

Ludovicus de Valentibus S. Fidei Prom.

RESCRIPTUM SS. D. N. BENEDICTI XIV.

Copia Rescripti Sanctissimi.

CONSIDERATO Suffragio Promotoris Fidei Nobis exhibito, & a Nobis attente ponderato, ex specialibus circumstantiis in eo recensitis, aliisque animum nostrum moventibus, nec umquam in exemplum adducendis, annuimus, ut indicata die fiant Solemnia Beatificationis in Basilica Vaticana, dispensando pro hac vice a præcedenti propositione dubii, an stante approbatione duorum miraculorum tuto procedi possit &c. die 12. Julii 1748.

Acta & Decr. Canoniz.

Benedictus PP. XIV.

Beatificatio Ven. Servi Dei

JOSEPHI CALASANCTII A MATRE DEI,

Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

CÆLESTIS Paterfamilias, cujus judicium peccatorum reconis misericordia superexaltat, ut ostenderet se nihil eorum prætermisisse, quæ in excolenda Vinea optimum, & diligentissimum Agricolam decent, nullam unquam passus est elabi ætatem, qua contra impios conatus inimici hominis superseminantis zizania, admirabilis ejus dexteræ potentiam, & præsidium non experiretur. Per varias enim diei horas, a prima nempe ad nonam usque, in electam hanc Vineam suo Sanguine acquisitam operarios ire jussit, ne succrescentibus spinis, & sæviente Satana, portio Domini desiderabilis in dissipationem, & desertum converteretur; ita ut ex omnibus terræ plagis, non Regio fuerit, non Sinus, non Insula, nullus denique locus, ubi non hujusmodi cultores, quam maxima subeuntes pericula, aut ignorantiæ tenebras Evangelicæ Legis prædicatione discuterent, aut cælestis Doctrinæ veritatem datis cervicibus propugnarent, aut rejectis Mundi illecebris vias Domini in solitudine rectas facerent, aut lapsos a viis pessimis ad dignos Pœnitentiæ fructus exemplo suo provocarent. Undecima tandem, & novissima hora, ut Vineam perficeret, quam plantavit dextera ejus, novos conduxit Operarios, qui ne Aper de silva Christo renata germina in ipso flore depasceret; Domini timorem, Legem Vitæ, & Disciplinæ Parvulos adocerent. Luculentum sane, ac memorandum hujusce Providentiæ specimen superiori Sæculo in hac ipsa Urbium Principe misericordiarum Pater per Servum suum Josephum Calasanctium a Matre Dei ostendere dignatus est. Hic inter Aragonios Nobili genere ortus, florentibus annis per exercitia Pietatis, & Literarum studia peractis, variisque porro muneribus integre administratis, de improviso in sortem Domini vocatus, divinoque afflatu Numinis Romam accersitus, ad novi operis ministerium, Christiano Populo quam maxime profuturum, sedulo animum adjecit. Cum enim ubique gentium miserrimi æque, ac frequentissimi pueri jacerent in triviis, & per compita divagarentur, quos non divina Religio, non famæ pudor, non amor virtutis, non Parentum disciplina, non lata jura coercebant, quippe per turpem desidiam in vitiis enutriti, ad Christiani nominis probrum, & perniciem Reipublicæ adolescere videbantur, teterrimo huic incommodo Venerabilis Dei Servus, utpote novus Vineæ Operarius, fortiter se se opponens, nihil reliqui fecit, quominus hujuscemodi pueri a Diaboli contagione abducti, ad Religionem, & Caritatem informarentur. Primum consilio, precibus, & qua re cumque potuit. Vir plane humilitatis studiosissimus, hujusmodi oneris suscipiendi pluribus Auctor fuit. Verum aliis alia causantibus, tantumque pietatis opus detrectantibus universis, sibi demum præter ceteros intellexit ab eo, qui Angelorum ministeria, hominumque dispensat, pauperem derelinqui, & orphani adjutorium commendari. Ceteris igitur quibuscumque curis adjectis, per se ipse opus aggressus est, & pauperum potissimum adolescentum commodo & incolu-

Peccatorum.

Summarium Virtutum, & miraculorum Beato Viro.

De institutione Congreg. Scholarum Piarum.

columnitati, novæ Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum fundamenta jecit. Invalescere jam cœperat saluberrimum hoc Institutum, aliasque radices figere; cum hostis antiqui insidiis & fraudibus, tot tantasque turbas in Institutorem æque, ac familiam ejus homines concitarunt, ut res plane profligata, dejectaque videretur.

Ordo in ejus Causa servatur.

Nihilominus Venerabilis Dei Servus ambulans in innocentia cordis sui, potestatum tenebrarum conatibus minime fractus, fideique scuto inexpugnabili firmissime protectus, a suscepto condendæ Congregationis consilio ullo modo nec divelli, nec distrahi potuit. Quinimo vel amplissimis, ultroque oblatis dignitatibus constantissime repudiatis, nihil umquam antiquius habuit, quam incepti operis curam & amplificationem. Quod quidem Institutum, sublatis dissidiis, Deo auspice, & incrementum dante, ad quamplurimas Christiani Orbis Provincias cum uberrimo animarum fructu propagatum esse conspicimus. Denique Vir Dei meritis cumulatus, ærumnisque confectus, nonagenario major mortalitatem explevit in terris, & immortalitatem inter cælites inchoavit. Verum ejusdem fama longe, lateque percrebrescente, ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Causa deducta est; ubi cum de virtutibus æstimandis juxta Canonicas Sanctiones quæstio de more haberentur, Nos, qui per id temporis Aulæ Consistorialis Advocati munere fungebamur, earum primo patrocinium suscepimus, deinde Promotoris Fidei officio insigniti, earum causam acriter egimus. Quare fel. record. Benedictus Papa XIII. Prædecessor Noster vi. Idus Septembris MDCCXXVIII. in gradu heroico constitutas esse pronunciavit. Porro coram Nobis ad supremum Ecclesiæ regimen, quamquam immerito, admotis, cum de Miraculis disceptaretur, duo potissimum unanimi tum Cardinalium, tum Consultorum secundodictæ Congregationis suffragio approbata, Nos itidem Decreto Nostro vi. Idus Maii hujuscemet Anni duximus approbanda.

Præter Sanctam Sedem porrectæ pro ipsius Beatificatione.

Quapropter precibus tandem complurium Regum, Episcoporum, aliorumque Principum, nec non dilectorum filiorum Clericorum Regularium ipsimet Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, paterna benignitate annuentes, de ejusdem Cardinalium Congregationis consilio, & assensu, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, ut itidem Dei Servus Josephus a Matre Dei imposterum Beati nomine nuncupetur.

Eidem Beati nomen & honores decernuntur.

ejusdem Corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferendæ) exponantur. Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis vi. Kalendas Septembris, quo demortui Corpus humatum est, recitetur Officium, & Missa de communi Confessoris non Pontificis, cum Oratione a Nobis approbata, juxta Rubricas Breviarii, & Missalis Romani. Recitationem autem Officii, & Missæ celebrationem hujusmodi fieri concedimus, tum in universa Clericorum Regularium hujusmodi Familia, tum in Oppido Petraltæ in Aragonia, ubi Vir Dei in lucem editus est; tum in Ortoneda, in Vicariatu Trempensi, & in Civitate Urgellensi, ad quas Christi Vineas excolendas Operarius primo vocatus est, tum apud Sodalitates Sanctorum duodecim Apostolorum, Doctrinæ Christianæ, Sacrorum Stigmatum Sancti Francisci, Sanctissimæ Trinitatis Peregrinorum, & Suffragii de Urbe, in quas cooptatus fuit, ab universis Christifidelibus tam secularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur; Et quoad Missas attinet, etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias, in quibus Festum peragetur, confluentibus. Præterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis in Ecclesiis Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, Oppidi, Vicariatus, Civitatis, & Sodalitatum hujusmodi solemnia Beatificationis ipsius Servi Dei cum Officio, & Missa sub ritu duplici majori die ab Ordinariis respective constituta, postquam in Basilica Nostra Sancti Petri in Vaticano celebrata fuerint solemnia, nempe xv. Kalend. Septemb. currentis anni, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, & forent exhibitæ, & ostensæ.

Dat. Pont. A. VIII. die 7 Aug. 1748.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vii. Aug. MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno octavo.

D. Card. Passioneus.

C A P U T VIII.

De Sanctorum Electione in Patronos & de Patroni titulo.

COMMUNI æque, ac pio Ecclesiarum more institutum est, ut aliquos e Sanctorum numero sibi singulæ Patronos eligant, eosque adjecto illustri Patronorum titulo suis unaquæque Calendariis inscribant. Cum autem Nos aliquos Sanctos pro aliquibus Provinciis, ac Regnis peculiaribus Decretis Patronorum titulo ornaverimus; ea subnectemus. Et primum quidem decretum edidimus die 16. Octobris 1743.; quo SS. Apostolorum Principes Petrum, & Paulum Urbis Romæ Patronos Principales nuncupandos esse statuimus. Illud subjungimus.

DECRETUM

Quod SS. Apostolorum Principes PETRUS, & PAULUS

Urbis Romæ Patroni Principales nuncupentur.

CUM omnium communi æquæ, ac pio Ecclesiarum more institutum sit, ut quos e Sanctorum numero sibi singulæ Patronos elegerint, eos etiam, adjecto illustri Patronorum titulo, suis unaquæque Calendariis inscribant: Minime dubitandum est, quin Romana potissimum Ecclesia, Principum Apostolorum Petri, & Pauli Martyrio consecrata, ac supra alias in summum honoris, & gloriæ culmen evecta, a Fidei primordiis eosdem Apostolos uti Patronos habuerit apud Deum, sequi in illorum tutela positam jure putaverit. Clarum antiquæ huic traditioni perhibent testimonium tum Sanctus Leo Papa *serm. 1. de SS. Petr., & Paul.* ubi eos Romæ Patronos nominans speciales: *Sicut autem*, inquit, *& Nos experti sumus, & Nostri probare Majores, credimus, atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, semper Nos specialium Patronorum Orationibus adjuvandos*; tum quoque Sanctus Maximus Episcopus Taurinensis *Homil. 3. de iisdem*, ubi eos Romæ Patronos appellat peculiares: *Horum hodie concursu lætissimo recolis Roma Martyrium; & quorum dudum impia persecuta es sanguinem, eorum nunc peculiari devota Patrocinio gloriatur*. Eisdem celebri Disticho concinit Sanctus Venantius Fortunatus. *A facie hostili duo propugnacula præsunt: Quæ Fidei Turres Urbs caput Orbis habet.*

At quia compertum est, in Ordine Divini Officii debita hac nota, ac insigni titulo Patronorum principalium Almæ Urbis Sanctos eosdem Apostolos nuncupari non consuevisse, eam fortasse ob causam, quod SS. Petrus, & Paulus Catholicæ Ecclesiæ Patroni ceteroquin Generales habeantur, eaque pro-

pter

pter in communibus suffragiis ubique per Ecclesiam ipsam iovocentur; Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XIV. solerter advertens, per hujusmodi Ecclesiæ universæ generale Patrocinium non effici, quominus iidem sint quamplurium per Orbem Ecclesiarum Patroni simul etiam peculiares, sive, ut ajunt, Principales, & hoc nomine io earum Calendariis inscribantur; eatus est, noo decere, ut quæ ipsorum Patrocioio Roma præ ceteris lætatur, eos, ubi maxime oportet, Sacris videlicet io Fastis, Patronos non appellet.

Qua de re Sanctitas Sua, ut imposterum debita honoris & obsequii ratio servetur in recolenda memoria Principum Apostolorum, quorum præsenti ope, ac tutela Christiana Respublica, undique procellis acta, ac gravioribus in diem ærumnis confecta, tandem erigatur: Mandat, ac præcipit, memoratos Apostolorum |Priocipes SS. Petrum, & Paulum posthac Romano quoque Calendario, sive Ordini Divini Officii pro degentis io Urbe Cleri directione quotaoois imprimendo, similiter iofcribi, titulo scilicet priocipalium Urbis Patronorum non amisso.

Præterea eadem Sanctitas Sua inhærens Decretis alias editis a Sacra Rituum Congregatione, & a Prædecessoribus suis Romanis Pontificibus approbatis, declarat, quod Commemorationi, quæ in unaquaque Civitate, & Diœcesi, ex laudabili consuetudine, & Rubricarum dispositione, fit Sanctorum suorum Patronorum Principalium inter Suffragia Sanctorum, post Laudes, & Vesperas io Divinis Officiis, quando Commemorationes, sive suffragia Sanctorum recitantur, tum Romæ, tum alibi, ubicumque Sancti Apostoli Petrus, & Paulus uti Patroni principales coluntur, satisfactum censeatur per eam Commemorationem ordinariam, seu commonem, quæ fit eorumdem Beatissimæ Virginis Mariæ, atque ita Sanctitas Sua mandat, decernit, & declarat. Hac die 16. Octobris 1743.

Fr. J. A. Card. Guadagni Pro-Præfectus.

Loco † Sigilli.

Th. Patriarcha Hierosolimitanus
Secretarius.

NATALEM SS. Apostolorum Petri, & Pauli diem per totum oppidum Romæ quotannis celebrari jussimus Constitutione edita 1. Aprilis 1743. Sed hæc cum edicto Cardinalis Urbis Vicarii legitur Tom. VII. pag. 205. & seqq. Vaticanam quoque eorumdem SS. Apostolorum Basilicam pluribus auximus privilegiis. Nam Constitutione edita 13. Dec. 1741. sancitum a Nobis est, ut in præfata Basilica Beatificationes, & Canonizationes deinceps celebrentur; Sed hanc habes Tom. VII. pag. 9. & seqq. Aliam edidimus Constitutionem die 16. Februarii 1744., qua præcepimus, ut Processio Corporis Christi, etiam Sede vacante, ad eamdem Vaticanam Basilicam peragatur. Sed hæc quoque reperitur Tom. VII. pag. 94. & seqq. Propterea ab his Constitutionibus repetendis abstinemus.

Subdimus nunc alia duo indulta, quorum priore S. Franciscum Xaverium Patronum Principaliorem, & Protectorem Indiarum Orientalium declaravimus; posteriore vero S. Joachim Deiparæ Virginis Mariæ Patrem Patronum Principalem, ac Protectorem Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ habendum, & colendum esse statuimus.

INDULTUM SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Quo Sanctum Franciscum Xaverium Patronum Principaliorem, & Protectorem Indiarum, quæ a Capite Bonæ Spei dicto usque ad Regna Sinarum, & Japoniæ, eisque adjunctarum Provinciarum, & Adjacentium Insularum, cum omnibus, & singulis prærogativis, quæ juxta Rubricas SS. Protectoribus principalioribus competunt, habendum, invocandum, & colendum decernitur, & in posterum annua ejusdem Sancti Indiarum Apostoli dies sub ritu duplici primæ classis cum Octava ab iis, qui horas Canonicas recitare tenentur, solemniter peragatur.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

INDIARUM Gentibus Beati Francisci Xaverii Societatis Jesu, qui Apostolicis Charismatibus affluenter decoratus, novarum Gentium Apostolus unanimi totius Christiani Orbis consensu meruit appellari, prædicatione, & miraculis ex tot, tamque dissitis regionibus Catholicæ Ecclesiæ aggregatis, ut gloriosa ejusdem merita alacrius venerantes, & relicta sibi quoque præclara virtutum exempla ardentius imitantes, præsentissimum illius in Cælis apud mirabilem in Sanctis suis Deum sibi patrocinium certo polliceri valeant, ipsum Sanctum Franciscum novis honorum incrementis colendum, novoque titulo in terris decorandum, invocandumque proponimus, atque mandamus. Etsi autem pro singulari pietate, & incredibili ergs res sacras, sacrosanctæ Religionis rationes, & Sanctorum reverentiam zelo suo carissimus in Christo filius noster Joannes Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Illustris per dilectum filium Emmanuelem Pereira de Sampajo Militiæ Jesu Christi Commendatorem ejusdem Joannis Regis negotiis apud Nos, & Apostolicam hanc Sanctam Sedem expediendis Præpositum Nobis supplicavit, ut tanti Indiarum Apostoli cultum, & venerationem in terris, quantum Nobis ex alto conceditur, adaugere satagamus, ipsa tamen in Sinarum maxime Regno in Christifideles ibi degentes mota, atque in Evangelicæ præsertim prædicationis Operarios sæviens persecutio, ut piis laudati Joannis Regis votis, ac precibus paterna benignitate obsecundantes, id præstemus alacrius, vehementer urget, & extimulat. Itaque ad majorem Dei laudem, divinique cultus augumentum, auctoritate Apostolica tenore præsentium Sanctum Franciscum Xaverium Patronum Principaliorem, ac Protectorem Indiarum, quæ numerantur a Capite Bonæ Spei dicto usque ad Regna Sinarum, & Japoniæ, eisque adjunctarum Provinciarum, & adjacentium Insularum cum omnibus, & singulis prærogativis, quæ juxta Breviarii, & Missalis Romani Rubricas Sanctis Patronis Principalibus, & Protectoribus competunt, habendum, invocandum, & colendum esse statuimus, declaramus, atque jubemus. Præterea ut imposterum solemnis tanti Patroni memoria majori, quam antea celebrabatur, pietate, ac debitis laudum præconiis quotannis recolatur, volumus, & omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, auctoritate, & tenore paribus indulgemus, atque mandamus, ut annua ipsius Sancti Francisci Xaverii dies sub ritu duplici Primæ Classis cum Octava peragatur. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis, ad quos spectat, & pro tempore, quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a

quo-

quoquam quamvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur iisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXIV. Februarii MDCCXLVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Cajetanus Amatus.

Loco † Sigilli.

INDULTUM SS. DOM. NOSTRI BENEDICTI PAPÆ XIV.

Quo S. Joachimum Genitricis Jesu Christi Patrem Patronum Principalem, ac Protectorem Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ cum omnibus, & singulis prærogativis, quæ juxta Breviarii, & Missalis Romani Rubricas Sanctis Principalibus, & Protectoribus competunt, habendum, invocandum, colendum esse decernitur.

BENEDICTUS PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

QUEM Deus Omnipotens præ ceteris Sanctis suis Sanctissimæ Virginis Mariæ Genetricis Unigeniti Filii sui Jesu Christi in terris Patrem esse voluit, Beatum Joachim Catholica Ecclesia, quæ potentissimum illius patrocinium Christi fidelibus maximopere in Cælis profuturum credidit, quotannis recolere, & solemni ritu ipsius festum diem Officio, & Missa celebrare studuit, ut omnes ad tantum Immaculatæ Virginis Parentem meritis laudibus venerandum excitarentur, ejusque præsentissimam opem implorantes exoptatum piæ petitionis suæ effectum consequerentur. Inter ceteras sane Catholici Orbis Nationes inclyta Polonorum natio ita venerationi erga Sanctum Joachim addicta est, ut, quo magis apud Misericordiarum Patrem, & Deum totius consolationis eumdem Sanctum Joachim sibi conciliaret benevolum patronum, eo magis solemni ritu per singulos annos ipsius festum diem venerari exoptet. Epropter Nobis tam Carissimus in Christo filius noster Augustus Poloniæ Rex Illustris publicum Procerum Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, Populique desiderium commendavit, quam Venerabilis Frater Adam Archiepiscopus Gnesnensis nomine totius Collegit Venerabilium Fratrum Poloniæ, & Lithuaniæ Antistitum preces suas communibus Procerum, & populi votis eo adnitentibus, quorum apud Nos ipsum Adam Archiepiscopum, quemadmodum significat, interpretem esse voluerunt, conjunctas eo pariter nomine supplicavit, ut Nos de benignitate, & auctoritate Apostolica hac in parte, prout infra, indulgere dignaremur. Nos autem cultum, & venerationem Sancti Joachim, quantum Nobis ex alto conceditur, in terris adaugere cupientes, & ipsius Augusti Regis, & Antistitum, Populique Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ votis alacres, hilaresque obsecundantes supplicationibus hujusmodi inclinati, ad majorem Dei laudem, divinique cultus augmentum auctoritate Apostolica tenore præsentium S. Joachimum Genetricis Jesu Christi Patrem Patronum principalem, ac Protectorem Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ cum omnibus, & singulis prærogativis, quæ juxta Breviarii, & Missalis Romani Rubricas Sanctis Patronis Principalibus, & Protectoribus competunt, habendum, invocandum, & colendum esse statuimus, declaramus, atque jubemus. Præterea, ut imposterum solemnis tanti Patroni, ac Protectoris memoria majori, quam antea celebrabatur, pietate, ac debitis laudum præconiis quotannis recolatur, volumus, & omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, auctoritate, & tenore paribus indulgemus, atque mandamus, ut annua ipsius S. Joachimi dies Dominica secunda post octavam Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ Immaculatæ in Cælum in perpetuum sub ritu duplici primæ Classis cum octava peragatur. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, &, quatenus opus sit, consensu, & acclamatione totius Cleri, & Populi in Diæta veluti de more non præstita, nec facta, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus, autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur iisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum &c. die 29. Januarii 1751.

CAPUT IX.

De Festis De Præcepto.

CUM Nobis ad Summum Pontificatum vix evectis, quam plurimorum Episcoporum querelæ de nimia festorum dierum multitudine delatæ fuissent, nihil in re tanti momenti statuere voluimus, antequam eorum consilium, quos eramus requisituri, audivissemus. Quapropter Dissertationem eo super argumento exaravimus, eamque non modo ad nonnullos S. R. E. Cardinales, eosque præcipue, qui Archiepiscopi erant, & Episcopi, aliosque viros doctos in Urbe degentes, verum etiam ad Archiepiscopos, & Episcopos ultra montes transmisimus, Dissertationem hanc IV. Tomo nostrorum Operum inseruimus in hac postrema editione pag. 350. adeoque illam hic non damus. Cum interea aliqui Episcopi pro Festorum imminutione instare validius pergerent, eam iisdem per Apostolicas Literas, quas hic subdimus concedendam esse existimavimus.

Venerabili Fratri Episcopo Calaguritano.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quasdam Disciplinas agendo temperari expedit.

CUM, sicut quædam sunt, ut inquit S. Leo Magnus Prædecessor Noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari; illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum: Eapropter Apostolica hæc Sancta Sedes, pro Paterna erga Universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, con-

fuevit

suevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ ceteroquin ad majus Divini Cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus caritatem, ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariam inopiam, non sine conscientiæ angore contemnuntur.

Causa allata pro obtinenda reductione dierum festorum de præcepto.

§. 1. Quoniam autem, sicut pro parte Carissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici nuper expositum fuit, ipsi Philippo Regi innotuit, in Provincia Ipuscoana, cujus pars in Fraternitatis Tuæ Diœcesi Calaguritana continetur, præter festos dies in Universali Ecclesia servari solitos, alios quamplurimos sive pietatis studio, sive quacumque alia de causa præceptos agitari, ita ut quamplurimis ejusdem Provinciæ, & Diœcesis Tuæ hominibus, (qui manu, & labore in sudore vultus vescentur pane suo, ob ingentem festorum dierum numerum, obtenta alendæ vitæ necessitatæ, vetitis laboribus aditum jam late aperuerunt), si per omnes dies festos hujusmodi a servilibus operibus abstineant, ad vitam lucro sustinendam haudquaquam tempus sufficiat; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Apostolici Indulti tenor.

§. 2. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus; salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, & humanam vitam honeste sustenrandam adhibere, quam per severiorem Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos homines specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus etiam ejusdem Philippi Regis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati Tuæ per præsentes committimus, & mandamus; ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus ejusdem Provinciæ in Diœcesi tua existentibus, ut deinceps, exceptis

Dies excepti.

omnibus diebus Dominicis, Natalis Domini Nostri Jesu Christi, & sequenti Sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & sequenti, Ascensionis Domini, Pentecostes, & sequenti, iisdem diebus Corporis Christi, Sancti Joannis Baptistæ, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Sancti Jacobi, & Commemorationis omnium Sanctorum, præterea quinque dicatis Beatæ Virginis Mariæ Immaculatæ, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, & Conceptionis, necnon Sancti Patroni, aut Tutelaris cujuslibet loci pro omnibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus integra maneat præcepti obligatio; in

In reliquis conceditur, ut audita Missa, operibus servilibus vacare possit.

reliquis diebus Festis, sive per hanc Sanctam Sedem præceptis, sive per Synodales ejusdem Diœcesis Constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa Voti per Majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate nostra Apostolica per Te commutari volumus, præceptis, audita Missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo vacare possint, auctoritate nostra Apostolica concedas, indulgeas, & permittas, ac statuas, præcipias, & mandes.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus Apostolicis, ac Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Provinciæ, & Diœcesis præfatarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Septemb. MDCCXLII. Pontificatus Nostri Anno Tertio. *Dat. die 3. Septemb. 1742.*

D. Card. Passioneus.

Eodem mense Septembri 1742.

Simile Indultum concessum fuit pro nonnullis Universitatibus Diœcesis Pampilonensis.

Item pro Universitatibus, & hominibus Diœcesis Pacensis.

Mense Septembri 1743.

Simile pro hominibus Civitatis & Diœcesis Septensis.

Mense Septembri 1744.

Simili pro Diœcesi Hispalensi.

Pro Diœcesi Mindoniensi.

Pro Diœcesi Malacitana.

Mense Majo 1745.

Simile pro oppido de Olivares nullius Diœcesis Provinciæ Gispaniensis.

Et pro Civitate, & Diœcesi Vallisoletana.

Venerabili Fratri Carolo Francisco
Episcopo Niciensi

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

INTER sollicitas omnium Christi Ovium curas gratissima Nobis obveniunt solatii argumenta, quæ ex Episcopali vigilantia, in qua Canonicæ Disciplinæ opportuna sunt locata præsidia, Domino miserante, suscipimus; non sine enim ingenti gaudio ex altissima hac Apostolatus specula Pastores perspicimus vigiles stare super custodiam suam, & crediti sibi gregis servandi zelo ferventes, ad Divini honoris cultum, animarumque salutem cogitationes omnes, & vires adeo sollicite, studioseque intendere, ut Pastorum Principi, qui constituit eos super familiam suam, fideles se, ac prudenter probare satagant. *Exordium.*

§. 1. Intelligit propterea Fraternitas Tua, quam libenti animo literas tuas, eximiis in hanc Sanctam Sedem observantiæ, ac reverentiæ sensibus refertas, & pastoralis vigilantiæ, & caritatis notis insignes, excepetimus, quibus, cum in lustranda ista Diœcesi cuncta ad Sanctorum Canonum normam, & decorem Domus Dei pro injuncto Tibi ministerio exigere, & componere nitereris, delatas Tibi, & in dies adhuc deferri narras a Parochis, & Confessariis, undique querimonias, per quas istius Diœcesis Fideles ingentem admodum Festorum dierum numerum causantes, & alendæ vitæ necessitatum obtendentes, ac finitimorum populorum, apud quos Festorum dierum numerus non est adeo auctus, exempla objicientes, a vetitis laboribus minime abstinere posse queruntur. Quoniam autem, præsentissima licet, per saluberrimas Edictorum Constitutiones, & salutaria monita a sapientia tua adhibita remedia frustra esse animadvertis, & Episcoporum Conventu, quem, utpote veteris disciplinæ egregius æmulator, summopere optare ostendis, a perturbata nimis temporum conditione interpellati prospicis, ut conscientiarum securitati, & Ecclesiasticæ observantiæ salubriter consulas, ab hac Petri Cathedra, quæ Sacerdotalis omnis dignitatis, & auctoritatis fons est, & origo, Apostolicæ potestatis, & benignitatis opem, ac subsidium requiris, & poscis, quo fan. mem. Benedicti PP. XIII. Prædecessoris Nostri vestigiis inhærentes, isti etiam Diœcesi, perinde atque cum aliis actum est, Apostolica auctoritate permittere, & indulgere dignemur, ut in aliquibus Festis Fideles, audita Missa, laborare valeant, manentibus cum obligatione integra præcepti omnibus diebus Dominicis per annum, diebus Natalis Domini, Sancti Stephani, S. Joannis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & sequentis diei, Ascensionis Domini, Pentecostes, & sequentis diei, Festo Corporis *Episcopi postulata.*

potis

poris Christi, S. Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Omnium Sanctorum, ac etiam quinque Festivitatibus B. M. V., scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, Purissimæ Conceptionis, necnon Patroni Regni, & Titularis cujuslibet Loci, dummodo tamen reliquis diebus de præcepto, sive ex voto Communitatum, audita Missa, Fideles in ista Tua Diœcesi commorentes, tuta conscientia valeant publice laborare.

Tenor Indulti.

§. 2. Nos quidem sapientissimum consilium, Sacerdotalis vigilantiæ, & caritatis tuæ dignissimum, collaudantes, ac precibus optatisque tuis annuentes, Tibi per præsentes committimus, & mandamus, ut omnibus utriusque sexus Fidelibus in tua Diœcesi existentibus, exceptis omnibus Diebus Dominicis, Natalis Domini, S. Stephani, S. Joannis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & sequentis diei, Ascensionis Domini, Pentecostes, & sequentis diei, Corporis Christi, S. Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & Commemorationis Omnium Sanctorum: præterea quinque dicatis B. M. V. Immaculatæ Festis diebus, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, & Conceptionis, necnon Sancti Patroni, aut Titularis cujuslibet Loci pro hominibus ejusdem Loci dumtaxat, in quibus integra maneat præcepti obligatio; in reliquis diebus Festis, sive per hanc Sanctam Sedem præceptis, sive per Synodales istius Diœcesis Constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa Voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam Auctoritate nostra Apostolica per Te commutari volumus, præceptis, audita Missa, labori manuum suarum incumbere, servilibusque operibus sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo vacare possint, Auctoritate Nostra Apostolica concedas, indulgeas, & permittas.

Pontificia benevolentiæ significationes cum adhortatione &c.

§. 3. Ex hac autem prolixa, planeque Paterna voluntate, qua votis tuis, quantum cum Domino possumus, obsecundare cupimus, curamur, probe intelligis, quam præclare de Sacerdotali virtute, & insignibus animi tui dotibus sentiamus. Perge igitur, Vener. Frater, ministerium tuum implere, & Pastoralem sollicitudinem, ac vigilantiam Ovibus fidei tuæ commissis ita impendere, ut eas ad æternæ salutis pascua feliciter perducas. Pastorem interea, & Episcopum Animarum nostrarum Christum Jesum suppliciter rogamus, ut labores tuos, ad uberiorem animarum fructum, gratiæ suæ munere præveniat, & sequatur; ac Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Dat. die 11 April. 1745.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xi. Aprilis MDCCXLV. Pont. Nostri Anno Quinto.

Cajetanus Amatus.

Venerabili Fratri Episcopo Posnanien.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Agrorum cultura Mensibus Æstivis aspiciorum operum exigit.

NUPER pro parte tua Nobis expositum fuit, quod dilecti Filii Universitates, & homines, necnon Incolæ agrorum præsertim culturæ addicti, istius tuæ Diœcesis Posnanien., propter Cæli rigorem in istis partibus gravissimum, in mensibus potissimum Julii, Augusto, & Septembri ad faciendas messes, aliosque Terræ fructus colligendos, & agros in spem futuræ messis præparandos aptioribus, Festos dies de Ecclesiæ præcepto, quamvis inviti, servare minime valeant, ac propterea operum hujusmodi causa, non sine conscientiæ angoribus, debitum Deo in iis diebus cultum negligere coacti,

Dispensatio ab observantia dierum Festorum ab Ordinario. Qui ad S. Sedem recurrit.

ad Fraternitatem tuam sæpissime confugiunt, ut licentiam ipsis impertiaris, qua sibi liceat per eosdem Festos dies, exceptis Dominicis, agros colere, & servilibus, mechanicisque laboribus impune vacare, ne ipsis eapropter non leve damnum, quemadmodum sæpe accidit, proveniat; Fraternitas vero tua, ut incommodis hujusmodi tibi bene cognitis aliquo pacto consulatur, Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur, qui divinum cultum, quantum cum Domino possumus, promovere, & adaugere debemus, considerantes præmissa omnia, & opportunum, quoad Nobis integrum est, ac salutare remedium hac in parte adhibere cupientes, dictosque Incolas, homines, aliosque culturæ addictos, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, contingat aliquod Festum de præcepto Ecclesiæ, seu per Synodales ejusdem Diœcesis Constitutiones, per hebdomadas prædictorum Julii, Augusti, & Septembris Mensium extra Dominicas occurrente, eo casu festum hujusmodi, præterquam illud Assumptionis B. M. Virginis Immaculatæ, quod in suo proprio, quo occurrit, die solemni cultu celebrari volumus, & mandamus in Dominicam immediate sequentem, seu aliam a Te præscribendam auctoritate nostra Apostolica transferas, illudque in eadem Dominica celebrari facias, & cures; præscriptis tamen iis cautelis, quas juxta datam Tibi a Domino prudentiam duxeris esse præscribendas, tam quoad onus audiendi Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quam quoad cetera opera servilia exercenda.

Conceditur Festivitates infra Hebdomadas eorum Mensium occurrentes, ad diem Dominicam transferri. Excepto Festo Assumptionis B. M. V.

Derogationes.

§. 2. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon dictæ Diœcesis, locorum, Terrarum, Oppidorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quamvis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quandolibet concessis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

In Choro, & in officio nihil innovetur.

§. 3. Ceterum per translationem Festorum hujusmodi non intendimus aliquid innovare tam quoad servitium Chori, quam quoad celebrationem Divinorum Officiorum.

Dat. die 1. Sept. 1745.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die Prima Septembris MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

D. Card. Passioneus.

Simile Indultum jampridem concessum fuerat pro Diœcesi Vilnen., tali forma conceptum.

UT per tres antedictos menses liceat ipsis ad sua exercenda rusticana opera incumbere, translato in primam Julii Dominicam Festo Visitationis Sanctissimæ Dei Genetricis, & in secundam ejusdem Mensis Dominicam Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ, in tertiam Festo Sancti Jacobi, in quartam Festo Sanctæ Annæ; In Augusto, & Septembri, quæ occurrunt Sanctorum Festivitates, una quælibet in proxima sibi Dominica celebretur; una excepta Deiparæ in Cælum Assumptæ, quæ in suo proprio recurrente die solemni cultu agi debeat. Volumus autem, ut in Choro, Divinisque Officiis, nihil innovetur, nec a pristino ritu discedatur, sed ea peragantur in assignatis jampridem diebus. Ii vero, quibus hoc paternæ facilitatis nostræ beneficio utendum est, studeant interno ardentiori animorum obsequio compensare quidquid externæ celebritatis ipsius imminuere necesse fuit

Quod

Quod Fraternitatem tuam strenue curaturam confidimus &c. Dat. &c. die xvii. Maji 1743. Pont. A. III.

D. Cardinalis Passioneus.

Venerabilibus Fatribus Archiepiscopis, & Episcopis Regni Siciliæ citra Pharum; necnon Messanensi, & Panormitano Archiepiscopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Proœmium.

CUM, sicut quædam sunt, ut inquit S. Leo Magnus Prædecessor Noster, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quæ dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum: Eapropter hæc Sancta Sedes, pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ ceteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus caritatem, ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiæ angore contemnuntur. Cum itaque Charissimus in Christo Filius Noster Carolus utriusque Siciliæ, & Hierusalem Rex Illustris tum coram per se ipse, quum quatuor ab hinc annis Romam profectus est, tum sæpe alias per suos in Urbe Ministros id a Nobis studiosissime efflagitaverit, ut pauperum calamitatibus sublevandis, qui opere faciundo victum lucrantur, sanctorumque dierum cultui, & Religioni amplificandæ, eorumdem Festorum dierum numerum imminuere dignaremur: Nos in tanto negotio, nisi re tota sedulo perspecta, haud quidquam decernendum esse rati, id usque responsum dedimus: Nihil Nos de hujusmodi Ecclesiasticæ disciplinæ institutis prorsus immutaturos, nisi per Archiepiscopos, & Episcopos rogaremur, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quique Domus Israel facti speculatores, quid ferant hominum, temporumque vicissitudines, cominus introspiciunt: Immo id in animum induxisse Nostrum (si quid in hac re foret innovandum) affirmavimus, ut salva, & incolumi, solemnioribus diebus Festis, veteri disciplina de audiendo Sacro & a servilibus operibus vacatione, iisdem tantum servilibus curis per aliquot Festos dies, humanæ necessitatis ratione habita, vacare indulgeremus, lege tamen astandi Sanctissimo Altaris Sacrificio neutiquam abrogata. Ab universis porro Fraternitatibus Vestris supplices, gravissimasque in idem argumentum literas accepimus, quibus plurima incommoda ex dierum Festorum frequentia in vestras respective Diœceses, & Provincias invehi lamentabamini; ac de iis imminuendis accurate differentes, eamdem, ac Nos ipsi, rationem arbitramini esse ineundam: id propterea ejusdem Caroli Regis æquissimæ voluntati, nec non piis Fraternitatum Vestrarum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, obsecuti, Festorum dierum grandiorem numerum ad modum revocandum existimavimus. Fraternitatibus itaque Vestris, Fratres Archiepiscopi, & Episcopi totius Regni Siciliæ citra Pharum, ac Fratres Archiepiscopi Messanen., & Panormitan. per præsentes committimus, & mandamus, ut unusquisque Vestrum in suis respective Provinciis, ac Civitatibus, & Diœcesibus hanc de Festis diebus legem Auctoritate Nostra Apostolica edicat, nempe, ut diebus Dominicis Paschatis Resurrectionis, & Pentecostes, aliisque per annum Dominicis diebus; nec non diebus Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Christi, & Nativitatis Domini; diebus Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ; natali die Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli; die Festo omnium Sanctorum; ac die cujusvis præcipui quarumcumque Civitatum, vel locorum Diœcesum prædictarum Patroni, pro veteri Ecclesiæ Catholicæ instituto, Sacris non tantum astare Christifideles vestrarum respective Civitatum, & Diœcesum teneantur; sed etiam a servilibus operibus feriati sunto: In reliquis vero Festis sive per Apostolicam hanc Sanctam Sedem, sive per Synodales quarumcumque Diœcesum hujusmodi Constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per Christifideles Civitatum, Diœcesum, & Provinciarum hujusmodi, eorumque Majores facti, quod quoad hanc partem Auctoritate Nostra Apostolica per Vos commutari volumus, præceptis, præscriptisque, sacrosancto Missæ Sacrificio intersint; ceterum negotiis familiaribus, servilibusque suis operibus, sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo, incumbere integrum cuique esto. Ubi vero obtingit, unum, eumdemque Episcopum duabus præesse Ecclesiis invicem canonice unitis (quod potissimum in Regno Siciliæ citra Pharum evenit) quarum unaquæque suum habet præcipuum Patronum, homines tantum illius Diœcesis, cujus Patroni Festivus dies recurrit, non vero alterius, volumus, & præcipimus eodem die tum Missæ Sacrificio adesse, tum a servilibus operibus sibi temperare. Quæ cum ita se habeant, Fraternitates Vestras, in Domino plurimum hortamur, ut Vos populos vestræ curæ commissos quam sæpissime edoceatis, quæ ad justam, legitimamque dierum Festorum celebrationem pro temporum varietate pertinere videbuntur, qua spiritus alacritate, qua mentis contentione, qua cordis humilitate astare oporteat Sanctissimo Altaris Sacrificio, in quo Christus Dominus tradit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis, quam frequentes divinis Officiis, sacrisque Concionibus, Christianæ Doctrinæ explicationibus, & explanationibus esse debeant, & quanti piaculi sit eos temerare dies, quos ad sui nominis gloriam amplificandam sibi Dominus consecravit. Ne autem per eos dies potissimum Christifidelium corda graventur crapula, & ebrietate, ac cogitationibus secularibus, quam diligentissime curare debetis, ut profana quæque, ludrica, & minus religiosa a publicis locis quam longissime amoveantur, etiam invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; quod sane non defuturum neutiquam dubitamus; Memores semper Prophetici illius oraculi, quo solemnitates, quas vitiosa consuetudine homines deturbant, tanquam stercus a Deo projiciendas, & disperdendas esse declaratur. Volumus autem, quod præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non provinciarum, Civitatum, Diœcesum, & locorum præfatorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Rex utriusque Siciliæ petiit a Pontif. Festorum dierum reductionem.

Responsum Pont. qui vota Episcoporum exquirere voluit.

Episcopi omnes pro reductione supplicarunt.

Hinc Pont. primo excipit dies Festos, qui ab omni opere feriati esse debeant.

Secundo quoad reliquos dies Festos illos esse servari jubet, ut audito Sacro quis operibus servilibus vacare possit.

Consulit in casu quo duæ Ecclesiæ unitæ, singulæ proprium Patronum habeant.

Hortatur Episcopos, ut Populus moneant circa dierum Festorum observantiam.

Transumptis fidem præstari præcipit.

Et derogat contrariis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xii. Decembris MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Nono.

D. Card. Passioneus.

Venerabili Fratri Episcopo Lamacensi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem & Apostolicam Benedictionem.

1. CUM, sicut quædam sunt, ut inquit S. Leo Magnus Prædecessor Noster, quæ nulla possunt

ratione convelli, ita multa sint, quæ, aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum;

2. Eapropter Apostolica hæc S. Sedes pro Paterna erga universos Christifideles benignitate, quod integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ ceteroquin ad majus Divini Cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum Cordibus caritatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine Conscientiæ angore contemnuntur.

3. Quoniam autem, sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem Fraternitati tuæ innotuit, quod in tuis Civitate, & Diœcesi Lamacensi adeo excreverunt calamitates, & angustiæ propter præsentium temporum infortunia, ut miseri illius habitatores, incolæque, & præsertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persæpissime cogantur (quamvis animo invito) Dies festos negligere, operibusque mechanicis sese addicere pro pane lucrando, & id eo facilius contingit ob excretum dierum festorum numerum; ac propterea a Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

4. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, & humanam vitam honeste sustinendam adhibere, quam per severiorem Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, d. Incolas specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendi harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati.

5. Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus in tuis Civitate & Diœcesi prædictis Lamacen. existentibus, ut deinceps

Exceptis omnibus diebus Dominicis,
Nec non Natalis Domini Nostri Jesu Christi,
Et sequenti S. Stephani,
Circumcisionis,
Epiphaniæ,
Paschatis Resurrectionis,
Et sequenti,
Pentecostes,
Et sequenti,
SS. Corporis Christi,
Ac Ascensionis,
S. Joannis Baptistæ,
Ac SS. Petri & Pauli Apost.
Et Commemorationis omnium Sanctorum,
Præterea quinque dicatis B. Mariæ Virgini Immaculatæ, scilicet Purificationis,
Annunciationis,
Assumptionis,
Nativitatis,
Et Conceptionis,
Nec non S. Patroni, aut Tutelaris dictæ Civitatis, aut cujuslibet loci Diœcesis hujusmodi,

Pro hominibus Civitatis, & cujuslibet loci hujusmodi dumtaxat festivis diebus, in quibus integra maneat præcepti obligatio, in reliquis vero Festis, sive per hanc Sanctam Sedem præceptis, sive per Synodales earumdem Civitatis, & Diœcesis Constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa Voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra Apostolica per te commutari volumus, præceptis, præscriptisque audita Missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus sine ullo conscientiæ scrupulo vacare possint, Auctoritate Nostra Apostolica concedas, & indulgeas, permittas, ac statuas, præcipias, & mandes.

6. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Civitatis, & Diœcesis hujusmodi, illiusque locorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

7. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XII. Decembris MDCCLI. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

D. Cardin. Passioneus.

Loco † Sigilli,

CUM plurimum Nobis cordi esset debita Festorum dierum observantia, aliquos, qui irrepserant, abusus, nundinarum, ac mercatuum obtentu, de medio tollere curavimus. Duplicem proinde hac super re Constitutionem edidimus. Utramque subnectimus.

Constitutio, qua statuitur, ut in Civitate Senogalliensi tempore Nundinarum diebus Festis de Præcepto a servilibus Operibus abstineatur: Prorogatur tempus ad dictas Nundinas per alios quinque dies peragendas; Privilegia confirmantur, & ampliantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

PATERNÆ caritatis officium, quo Christifideles omnes in Domino complectimur, eorumque felicitati procurandæ spirituali in primis, ac deinde temporali etiam, quantum in Nobis est, studemus, Nos admonet, ac stimulat, ut diligentiori studio, ac cura ad ea intendamus animum, quæ ad subditarum in temporalibus Nobis, ac Sedi Apostolicæ Civitatum publicum, & privatum commodum, communemque utilitatem pertinent. Æquitatis enim ratio, & justitiæ rectitudo postulat, ut qui sub temporalis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dominio positi, ac degentes, superna dispensatione parvitatis Nostræ regimini, & gubernio temporali concrediti sunt, & a Nostra Pastorali sollicitudine bona non solum, quæ ad salutem animarum, sed etiam, quæ ad subsidium, & opem hujus mortalis vitæ sustentandæ inserviunt, certa, ac firma fiducia sibi pollicentur, justa expectatione sua, ac spe in Nobis reposita minime defraudentur; sed abundantius etiam, quam sperant, optata sua, sine ullo tamen spirituali animarum suarum detrimento, consequantur, ut votorum suorum compotes facti, in uberi rerum necessariarum copia, omnium bonorum Largitori humiles gratiarum actiones lætanter persolvant. *Proœmium.*

§. 1. Jamdudum, & ab immemorabili tempore in Civitate nostra Senogalliensi celebres Nundinæ per octo dies ante Festum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & quatuor subsequentes, magno hominum concursu ex remotis, & longinquis Europæ, atque Asiæ partibus ad eas confluentium peragi consueverunt. Cum autem intra illorum dierum spatium dies festi unius, aut alterius Dominicæ mensis Julii, & Sancti Jacobi Apostoli, & Sanctæ Annæ incidere soleant, non sine animi nostri dolore accepimus, quod his diebus, in quibus Christifideles in ope-

operibus pietatis, ac religiosis se exercere debent, aliqui pravi homines, Dei, & Catholicæ Ecclesiæ præceptorum immemores, & turpi lucro, animarum suarum salute posthabita, inhiantes, per integrum Festorum dierum tempus in operibus servilibus, commerciis obeundis, negotiisque temporalibus tractandis, non sine bonorum scandalo, imo Gentium, & Judæorum admiratione, occupati sunt.

§. 2. Nos igitur ex commisso Nobis Pastoralis sollicitudinis munere, tam pernicioso abusui, & gravi malo opportunum remedium afferre, & detestandam hanc abominationem e medio dilectæ Nobis Civitatis Nostræ auferre cupientes; Volentesque etiam indemnitati, & perpetuitati jurium, & privilegiorum ejusdem Civitatis, ejusque, ac totius temporalis Status nostri commodo, atque utilitati, quantum in Domino possumus, consulere, ac providere: Motu proprio, ex certa scientia, & plenitudine potestatis, ac Nostra in perpetuum valitura sanctione decernimus, ac constituimus, & Apostolica nostra auctoritate mandamus, ac jubemus, ut tempore Nundinarum, quas in posterum in præfata nostra Civitate de more haberi volumus, festi dies pie, sancteque, perinde ac reliquo totius anni cursu, a Christifidelibus colantur, Officinæ, ac Tabernæ claudantur, nullaque publice exerceantur commercia, stipulenturque contractus, neque alia omnia fiant, quæ in ceteris anni festis diebus a Christifidelibus peragi prohibentur, eo potissimum tempore, quo in majori Ecclesia Sacra Missarum solemnia fieri, & Vesperarum Divina Officia celebrari, & prædicatio verbi Dei haberi consuevit: mane scilicet ab hora decimatertia usque ad meridiem, post meridiem vero ab hora vigesima prima diei usque ad occasum Solis; & per totum dictum temporis spatium omnes Christifideles ab operibus servilibus, ad quæ peragenda nulla necessitas cogit, omnino abstineant, sed ab omni terrena cura, & temporali sollicitudine liberi, & vacui, ad Ecclesiam pergant; ibi Sacrosanctæ Missæ Sacrificio pia animi attentione ingentia Dei beneficia recolentes intersint; quin etiam exhortamur in Domino, ut in precibus quoque, Divinisque laudibus persolvendis, audiendoque verbo Dei frequentes sint, & per totum festum diem, quoad fieri potest, se exerceant in iis officiis, quæ Christianam pietatem continent, & comitantur. Si qui autem temerario ausu, Dei, & Ecclesiæ præcepta contemnentes, hanc nostram Constitutionem transgredi tentaverint; Volumus, ut omnibus, & singulis subjiciantur pœnis, ac censuris alias a Nobis, nostrisque Prædecessoribus contra inobservantes, temerantesque dies festos statutis, ac determinatis, quas, quatenus opus sit, contra eosdem delinquentes rursus sancimus, constituimus, ac determinamus.

Dies festos tempore Nundinarum servari præcipit.

Necdum abstinendo a servilibus operibus.

Sed Christianæ pietatis exercitiis vacando.

Pœna contra inobedientes.

§. 3. Deinde vero ne ex hac Constitutione, & provisione nostra aliquid temporale damnum Civitati prædictæ, aliisque ditionis nostræ, & Status Ecclesiastici populis præjudicium, vel detrimentum publico commercio, ejusque libertati oriatur; præfatarum Nundinarum tempus ad alios quinque dies, præter solitos, & consuetos, producimus, ac prolungamus, in hunc modum videlicet: Ut Nundinæ prædictæ in Civitate nostra Senogalliensi de more celebrentur per octo dies ante festum Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & insuper per novem dies subsequentes, usque ad initium sequentis mensis Augusti: & ulterius ad pleniorem præmissorum effectum, & hujus voluntatis, provisionis, ac determinationis nostræ executionem, omnia, & singula jura, privilegia, indulta, statuta, consuetudines, sententias, ac rescripta quomodocumque a Nobis, nostrisque Prædecessoribus, præsertim Urbano VIII., & Innocentio X., quorum tenores hisce nostris præsentibus Literis de verbo ad verbum pro insertis, & expressis haberi volumus, contra quoscumque emanata, & a præfata Civitate nostra Senogalliensi obtenta, atque impetrata, super jure privative celebrandi præfato tempore Nundinas prædictas, tenore præsentium, non ad ullius petitionis instantiam, sed motu proprio, scientia, & potestate pari, confirmamus, ac roboramus, eisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur, & Apostolicæ confirmationis munimen adjicimus.

Ne detrimentum ex hoc irrogetur, tempus Nundinarum ad alios quinque dies prorogatur.

Confirmantur privilegia Nundinarum.

§. 4. Denique, ut commerciorum per dictum Nundinarum tempus celebritas inter nostros Subditos, & exteros Mercatores, qui ex diversis, & dissitis regionibus terra, marique cum variis mercibus, victum, & communionem vitæ usum utilibus, & necessariis adveniunt, navium numero, jumentorumque multitudine, Mercatorum frequentia, hominumque concursu, copia, & ubertate mercium in dies magis, magisque augeatur, omnes gratias, immunitates, ac privilegia, liberum, ac tutum commeatum, accessum, ac recessum, & promissam sub fide publica securitatem omnibus, & singulis ad dictas Nundinas in Civitate nostra Senogalliensi peragendas accedentibus, ibique commorantibus, eo modo, ac forma, qua durante dictarum Nundinarum tempore gaudere, ac perfrui consueverunt, de Apostolica benignitate per supradictum a Nobis constitutum temporis spatium confirmamus, ac de novo indulgemus, atque impertimur.

Commercia ... ad dies adjectos.

§. 5. Decernentes sic, & non aliter in præfatis omnibus, & singulis censeri, ac per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac nostram Cameram Apostolicam, ejusque Officiales quomodocumque nuncupatos, & ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, præsertim Status Nostri Urbini, & quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; & irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Legibus Imperialibus, & Municipalibus, & quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, ac recolendæ memoriæ Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris Nostri Constitutione de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicæ concernentibus in eadem Camera præsentandis, & registrandis, ita ut præsentes Literæ, etiamsi in eadem Camera nullo unquam tempore præsententur, & registrentur, nihilominus valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant: necnon quibuscumque, & quavis firmitate alias roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, & Literis Apostolicis quibusvis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie; ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausula derogatoria.

§. 7. Ceterum, quia nimis difficile foret præsentes Nostras originales Literas ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum transumptis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Fides præstanda transumptis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, provisionis, concessionis, confirmationis, statuti, necnon prohibitionis, decreti, ac voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Sanctio pœnalis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, nono Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Dat. die 24. Augusti.

D. Card. Passioneus.

Constitutio, qua diebus Festis prohibentur haberi *Mercatus* rerum venalium. Tolerantur vero *Nundinæ* sub certis conditionibus.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis Ditionis Ecclesiasticæ

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

De reductione dierum Festorum alias deliberatum.

AB eo tempore, quo copiosus in misericordia Dominus, Nos, licet immeritos, ad summum Catholicæ Ecclesiæ Pontificatum evexit, complures diversi ordinis illustres Viri, itemque Episcopi, & Archiepiscopi in Italia, & extra commorantes, iteratis precibus institerunt, ut Dies Festos, ubique fere nimis auctos, quibus Christianus Populus feriatur, Apostolica auctoritate imminueremus. Hoc enim prudenti temperamento, Pauperibus, qui quotidiano labore sibi victum quærunt, facile consuleretur, ac simul gravia adimerentur absurda, quæ ex Festorum dierum multitudine, ac frequenti violatione oriri solent, non sine aperto Religionis dispendio. Re expensa, negocii difficultatem probe intelleximus: quare peculiari Scripto, publicis etiam typis vulgato, rationes varias indicavimus, quibus ea immutatio fieri poterat: consilium pariter exquirentes nonnullorum S. R. E. Cardinalium, Episcoporum Italiæ, aliarumque Regionum, Ecclesiasticorum Præsulum, Theologorum, Jurisconsultorum, aliorumque Virorum Doctorum, humanas, civilesque res callentium, an hujusmodi petitio esset exaudienda: Si vero illam exaudiri æquum esset, & congruens, ipsi quoque rationes significarent, quibus utiliter, ac prudenter imminutio præscriberetur.

Ut exquisivit Antistitum, aliorumque consilia.

Quibus inter se non convenientibus res dilata fuit.

§. 1. Petita responsa tam varia, ut solet contingere, suo tempore accepimus, ut fere sua cuique fuerit sententia. In aliud proinde tempus negocium rejecimus, eam in spem adducti, ut Episcopi cujusque Provinciæ, vel Ditionis, unanimi voto in sententiam imminuendi Dies Festos primum convenirent, deinde vero, quo commodius id fieri posset, concordi pariter suffragio medium aliquod suggererent ex tot memoratis in Scripto Nostro, ac pro illius executione Pontificium assensum exposcerent. Hoc sane pacto inita ab Ordinariis consilia in re tanti momenti non illorum voluntati referri potuissent, sed tantum Supremæ Apostolicæ Sedis Auctoritati, quam fel. record. Urbanus Papa VIII. Prædecessor Noster integram esse voluit in decernenda imminutione dierum Festorum, qui in sua Constitutione recensentur. Demum una, eademque Episcoporum deliberatio, Apostolicæ Auctoritatis tecta munimine, nedum plurimum valuisset ad compescenda Censorum ingenia; sed etiam sublata fuisset disparitas illa ritus, quæ hodie viget, Disciplinæ Ecclesiasticæ injuriosa, ut intra paucorum milliarium ambitum, & inter finitimos Populos, unus, idemque dies ab aliquibus Festus de Præcepto, ab aliquibus vero ferialis haberetur.

Hispaniæ Populis interim provisum.

§. 2. Hæc methodus feliciori sorte in universa fere Hispania excepta est: Cum enim postremi Tarraconensis Concilii Patres regulam quamdam constituerint Dierum Festorum, quibus, pro illorum conditione, atque discrimine, Populi Divino interesse Sacrificio, & servilibus operibus abstinere debent; & aliorum, quibus Missæ tantum interesse debent, tributa postmodum libertate vacandi operibus servilibus: fel. record. Benedictus XIII. Decessor, & Benefactor Noster disposita in eadem Provinciali Synodo ad preces Episcoporum approbavit. Quo exemplo alii subinde Hispaniarum Antistites excitati, Nobis humiliter supplicarunt, ut ad minuendum nimis auctum Festorum numerum, liceret ipsis etiam servare regulam in præfato Tarraconensi Concilio provide constitutam. Annuimus instantiæ, exindeque omnium fere Hispaniarum Diœceseon uniformitas in dierum Festorum celebratione, & ritu exorta est.

Item aliquot Poloniæ Diœcesibus.

§. 3. Aliis quoque Catholici Orbis Regionibus servata a Nobis in hoc negocio conficiendo matura dilatio profuit. Interea siquidem aliquot Regni Poloniæ Episcopi, mentis aciem ad substantiam, & modum imminuendi dies Festos dirigentes, per Literas Nobis significarunt, in illis Diœcesibus, suos late fines protendentibus, æstivo tempore Incolas, Agrorum culturæ, & aliis servilibus operibus, quibus vivunt, & sustentantur, dantes operam, difficillime ab illis abstinere posse diebus festis inter hebdomadam occurrentibus: Enixe propterea Nos rogarunt, ut quæ per hebdomadam æstivo tempore occurrunt Festa, in Dies Dominicos transferremus, excepto Festo Assumptionis B. Mariæ Dei Genitricis, quæ quovis die accideret, religiose ab universis celebraretur. Quorum petitio per Nos, maturo præmisso examine, exaudita, in Regionibus illis optatam ab Episcopis, & Populis tranquillitatem peperit.

Pontifex optat Episcopos utriusque Siciliæ in unam sententiam convenire.

§. 4. Quod vero ad Italiam pertinet, credi vix potest, quam pendens, ac religiosus de re ipsa fuerit sermo, quem Nobiscum instituit Charissimus in Christo Filius Noster Carolus utriusque Siciliæ Rex Illustris. Non sine intimo, ac plane acerbo animi sui mœrore Nobis exposuit, Dies Festos, quibus Christiani Populi feriari debent, in subjectis sibi regionibus passim violari, ob nimis auctum illorum numerum; huic porro malo non aliam adhiberi posse medelam, præter diminutionem Suprema Auctoritate Nostra opportune faciendam. Significare illi non omisimus, gravem, ac molestam utrique sollicitudinem oborituram, si rem tanti ponderis inconsultis Episcopis conficere vellemus. Idcirco ut omnia feliciter procederent, non solum exquirendas esse illorum sententias; sed oportere, ut Antistites finitimi, vel Metropolitæ cum suis Provincialibus, studia, & voluntates in eumdem scopum dirigentes, quid tandem facto opus esset, ad Nostri deferrent Apostolatus auditum: Par omnium suffragium communem tranquillitatem subjectis Populis allaturum, & quod potissime in rebus sacris quærendum est, ritus uniformitatem, & disciplinæ concordiam.

Idipsum suadet Episcopis Status Ecclesiastici.

§. 5. Id ipsum significavimus Episcopis temporalis nostræ Ditionis, quorum nonnulli privato sermone Nobiscum habito, nonnulli vero suis ad Nos datis Literis, Apostolicam auctoritatem ad Festos dies imminuendos enixe implorarunt. At cum ipsi nihil hactenus præstiterint, nihil & Nos egimus; liberam, prudentemque Episcoporum concordiam in hoc negocio præstolantes, non imperantes, & exigentes. Etenim moderatio numeri Dierum Festorum non a voluntate, sed a sola pendet necessitate, quam nemo melius, quam Episcopi norunt; ideoque ad eos potissimum pertinet, mali conditionem, & apta eidem remedia proferre: Nec facile adduci possumus, ut in hoc adeo gravi, & implexo negotio quidquam decernamus, nisi audita prius concordi quoad *substantiam*, & quoad *modum*, Episcoporum sententia.

Nihil sine eorum consilio acturus.

§. 6. Hæc Vobis, Venerabiles Fratres, eum in finem scribimus, ut non solum cuique Vestrum plane cognita, ac perspecta sit agendi ratio a Nobis inita in hac gravi causa imminutionis Dierum Festorum; verum etiam ut opportune nunciaremus, si vestra consilia ex voto nostro Nobiscum communicavissetis, vel sublata prorsus, vel saltem magna ex parte submota fuissent mala, quibus curandis congruum, ac salutare remedium non semel a Nobis expostulastis.

Abusus in celebratione Nundinarum diebus Festis.

Complures etenim vestrum voce, aut scripto improbarunt abusum Mercatuum, & Nundinarum, quæ fieri solent Diebus Festis, quibus feriari oportet, ut Populus unice in res sacras incumbat; rationem a Nobis poscentes, qua grassanti in diem malo occurri possit.

Dierum Festorum non par solemnitas.

§. 7. Inter modos propositos, atque servandos in imminutione, ac celebratione Festorum, præcipuus ille est, quo inter ipsos Festos dies discrimen constituitur. Etenim in diebus Dominicis, itemque in Celebritatibus Domini, Beatæ Mariæ semper Virginis Dei Genetricis, ac in aliis solemnioribus in memorato Scripto Nostro indicatis, debet Christianus Populus nedum interesse Divino Sacrificio,

cio, sed etiam abstinere ab operibus vetitis. In ceteris vero minus solemnibus, qui tamen ex præcepto celebrari consueverunt, imposita est Christifidelibus obligatio interessendi Missæ Sacrificio, tradita in reliquis cuique illorum potestate ea faciendi, quæ fieri solent diebus ferialibus.

Nundinæ in dies minus solemnes plerumque incidunt.

§. 8. Quo cautius, ac tutius incederemus, consulere voluimus Chirographa Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum, quibus peculiaribus Urbibus, & Oppidis temporalis suæ Ditionis habendarum Nundinarum facultatem tribuerunt. Multi iis diebus Nundinas fieri permiserunt, quibus Christifideles (juxta propositum Thema) servilibus operibus abstinere debebant, divinoque adesse Sacrificio. Sed numerum longe majorem illarum comperimus, quæ incidunt in eos Dies Festos ex Præcepto, quibus, si expedita fieret illorum imminutio, satis fuisset Missam audire, excluso debito abstinendi ab operibus servilibus, sublatoque onere peragendi, quæ in aliis superioris ordinis Festis Christianus Populus debet implere.

Quibus Divini simul cultus, & commerciorum ratio haberi possit.

§. 9. Hac via si non omni, magna certe ex parte sublata essent mala, quibus, memorata de causa, congruens, & opportunum a Nobis remedium postulastis. Enimvero bifariam divisis, ut præmonuimus, diebus Festis, affixoque inferiori ipsorum ordini debito interessendi dumtaxat Divino Sacrificio; celebratæ in illis Nundinæ nullum deinceps peperissent absurdum, nec libertas operum servilium cum interessentia Missæ compatibilis, refragari potuisset præcepto ab Ecclesia Fidelibus injuncto. Præterea nullus Urbibus, & Oppidis relictus fuisset timor, ne cum Incolarum, & Concurrentium detrimento, Nundinarum frequentia imminueretur. Quippe juxta hypothesim præmissam, recolente adhuc Clero solemni ritu diem Festum intra Ecclesiam, sumptuoso ornatu, omnique nitore instructam; in ipsa Sacri concentus Musices haberi de more potuissent; permitti quoque potuissent citatorum Equorum cursus, aliaque id genus, quæ Populi augere solent numerum, Mercatorum frequentiam, & Nundinarum celebrationem. Sed de re hujusmodi, veluti extranea, sermone relicto, ad propositæ quæstionis examen progredimur, dierum Festorum imminutione seclusa.

De Festorum dierum observatione, Theologorum sententia.

§. 10. Eruditioni vestræ, Venerabiles Fratres, ignotum non erit, quod hac de re Theologi tradunt. S. Thomas *in* 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. *ad quartum* docet, ardentiorem in antiqua lege fuisse observantiam Sabbati, quam sit in nova observantia diei Dominici; dieque Sabbato vetita fuisse opera, quæ non vetantur die Dominico. Cardinalis vero Cajetanus in Commentario ad hunc locum asserit, licere Villicis diebus Festis Urbem petere, ut calceos emant, & his similia. De Alma vero Urbe sermonem instituens, morem profert hac tempestate jam obsoletum; inquit enim: *Licitum est diebus Festivis emere, ac vendere Asinos, Equos, quia sic est consuetudo in publico foro in diebus Festis, spectante Mundo: hæc enim omnia ubi antiquata consuetudo, ac per hoc a Prælatis scita, cum sint omnibus notoria, licita fiunt ex ipsa consuetudine, fundata super liberalitate Evangelica, qua non tenemur stricto jure Veteris Legis de observatione Festorum.* Cajetano subscribunt *Silvest. in Summ. Verb. Negotium* §. 2., *Sylvius ad S. Thom.* 2. 2. *tom.* 3. *quæst.* 122. *art.* 4. §. *Ad prius*, *Suarez de Relig. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 3. *ad plur. sequen.*, *Giballin. de Negociation. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 3. *art.* 2. *num.* 9. *in fin.*

Item Canonistarum.

§. 11. Ejusdem sententiæ sunt etiam Ecclesiastici Juris Interpretes, ut videre licet apud *Fagnan. in Cap. Multa num.* 54., *& seqq. de Cleric. vel Monach.* idemque sentiunt *Gonzal. in cap. Omnes num.* 8. *de Fer.*, *Pirhing. ad Tit. Decretal. de Feriis n.* 18., *Anacl. eod. tit. num.* 22., *Engel. ibid.* §. 2. *n.* 13., *Pikler. num.* 9., *Schmalzgrueber num.* 23., aliique multi, qui facile citatis addi possent. Nonnulli vero ex Doctoribus Sacrorum Canonum inter *Mercatus*, *& Nundinas* discrimen constituunt; ac primos quidem Diebus Festis ex præcepto observandis permitti non posse censent, secus tamen alias; quoniam nonnisi diebus festis Populi habetur frequentia, celebrationi Nundinarum congrua, & necessaria, teste *Cappon. discept.* 91. *art. ult. n.* 14. Alii tandem docent, quavis consuetudine minime obstante, posse Episcopum in sua Diœcesi vetare, ne Mercatus, aut Nundinæ Festis Diebus habeantur, idque præter alios asserunt *Cappon. loc. cit. num.* 6. *Gratian. decis. Marchiæ* 21., *Ventrigl. in Prax. Rer. Eccles. tom.* 1. *Annot.* 16. §. 1. *nu.* 29., *Zaul. ad Statut. Favent. tom.* 1. *lib.* 7. *observ. ad rubr.* 2. *n.* 24., *Nicol. in Prax. Canonic. tom.* 1. *litt. C.* §. 1. *n.* 44.

Quid Synodalibus Constitutionibus decretum?

§. 12. Ne quid prætermittamus, consuluimus etiam illustriores Synodos Diœcesanas, habitas ab Episcopis Ditionis nostræ temporalis. In celeberrima Farfensi Synodo Cardinalis Caroli Barberini anni 1684.; & in Cesenatensi Cardinalis Denhoff anni 1693. interdicitur quidem Mercatus diebus Festis, nihil tamen de Nundinis constituitur. In aliis nullo discrimine Mercatus prohibentur, & Nundinæ, ut constat ex Synodo Lauretana Cardinalis Romæ anni 1626.; maxime vero deficiente Indulto, ut expresse decernitur in Senogalliensi Cardinalis Antonii Barberini anni 1627., innovata anno 1737. ab Episcopo Isolann. Senogalliensi præterea Synodo Cardinalis Barberini consonat etiam Synodus Ariminensis Cardinalis de Via, edita anno hujus sæculi vicesimo quarto.

Responsa Congr. Concilii.

§. 13. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Responsa ad Episcopos, qui de suis Diœcesibus retulerunt, pari cura a Nobis perlecta sunt. De re ipsa consulta, rescripsit Episcopo Placentino, ut juxta antiquam consuetudinem sineret haberi Nundinas rerum parvi pretii de Festo Sancti Bartholomæi Apostoli, dummodo id non fieret in Atrio Ecclesiæ, ut ex *lib. Decret. anni* 1629., *lib.* 14. *pag.* 207. Episcopo Casalensi anno 1665. responsum fuit: curaret sedulo, ne Mercatus haberentur Festis diebus, sed transferrentur in diem sequentem; omnemque pro viribus impenderet sollicitudinem, ut id ipsum impollerum fieret, *si privilegium, vel immemorabilis consuetudo non adsit.* Anno 1697. Episcopo Theanensi respondit: *Tolerari posse Mercatus Diebus Festis, dummodo ad alium diem transferri nequeant; & ex eorum omissione jurgia, & scandala exoriri possint.*

Nundinæ celebrari olim diebus Festis solebant.

§. 14. Probe insuper scientes, fieri non posse Nundinas sine expresso Supremi Principis permissu, cum id juris pertineat *ad Regalia, & quidem majora*, ad tradita per *Sixtin. de Regal. lib.* 1. *c.* 6. *num.* 30. hac etiam in parte opportunæ doctrinæ lumina quæsituri, non omisimus (ut paulo ante monuimus) inspicere Chirographa Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum, qui veluti Supremi Provinciarum suarum Domini, eam facultatem multis Urbibus, & Oppidis concedere, haberique Nundinas indulserunt etiam diebus Festis institutis in honorem Domini Nostri Jesu Christi, Beatæ Mariæ Genetricis ejus, frequentissime vero Sanctorum Patronorum Principalium, vel Titularium locorum, & Ecclesiarum, ad majorem Populi frequentiam, atque celebritatem conciliandam.

Pontifices rei nostram sententiam servarunt.

§. 15. Quæ omnia vel secum pugnantia, vel implexa, viam propositæ dissolvendæ quæstioni non comparaverunt, immo potius difficiliorem, & abstrusiorem reddiderunt. Ne igitur ullæ diligentiæ Nostræ partes deessent pietati, & zelo vigilium Antistitum Responsa Nostra cupientium; his omnibus seorsim positis, manus admovimus Ecclesiasticis Historiis, & Conciliis, & privatæ Bibliothecæ Nostræ penu depromptis. Quibus pressius insistentes, semper tamen præ oculis habito præsenti rerum statu, longo usu, & antiquitate fulto, significandum Vobis esse censemus.

Nund. in diebus Festis celebrari non debent.

§. 16. Primo, Mercatus, & Nundinas Festis diebus non licere. Nundinas autem intelligimus, *quæ fiunt de rebus majoribus, & semel in anno fiunt, vel raro in eodem loco, & de longinquo ibidem conveniunt homines: Mercatus vero, qui fiunt in rebus minoribus, ad quotidianas necessitates pertinentibus, & fiunt singulis septimanis, & ab Hominibus in vicino ibidem convenientibus*; verba sunt Venerab. Servi Dei Umberti de Romanis, Quinti Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum, in egregio opere *de eruditione Religiosorum Prædicatorum*

lib.

lib. 2. *Tract.* 2. *num.* 92. *pag.* 351. *editionis Romanæ*. Id autem pronunciamus, non quia vendere ac emere sit opus servile, ideoque vetitum diebus Festis; sed quia actiones hujusmodi impediunt, & distrahunt Christifideles a cultu divino, ad quem dies Festi sunt instituti.

Sed abusus conditione firmatus.

Secundo: Antiquum profecto esse abusum Mercatuum, itemque Nundinarum iisdem diebus.

Tertio: Ecclesiasticis legibus quovis tempore illas fuisse vetitas.

Quarto: Hujusmodi justas, sanctasque leges caruisse effectu.

Non nisi prudentia, & maturitate corrigi potest.

Quinto tandem: quia malum universale est, ac alte radices egit; opus est prudentia, & maturitate, ne fructu careat medela, ac vulnus exasperet: Quod possumus exigendum est, non quod optamus. Admonitionibus proinde uti satius videtur, quam minis; & si minæ quandoque interjicientur, servandum est exacte monitum sapientissimum S. Augustini in Epistola 22. ad Aurelium Carthaginensem Episcopum, qui agens de auferenda Conviviorum licentia totam passim Africam fœde occupante sub inani obtentu honorandi Festa Sanctorum Martyrum scripsit: *Non aspere quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo, quam jubendo; magis monendo, quam minando; sic enim agendum est cum multitudine. Severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futurorum: ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita prius movebuntur spirituales, vel spiritualibus proximiores; quorum auctoritate, & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus, cetera multitudo frangatur.*

Festi dies in pietatis operibus, non in negociis secul. transigendi.

§. 17. Ad propositam a Nobis rationem firmandam, sufficit legere Catechismum Tridentini Concilii *part.* 3. *præcept.* 3. *num.* 3., ut simul addiscatur, in quæ opera Christifideles festis diebus debent incumbere. Ea nimirum sunt, Divino Sacrificio reverenter adesse; Dei verbum attente, pioque corde audire; Ecclesias frequentare; mundare conscientiam; Deo laudes persolvere, aliasque salutares exercitationes obire. Diu ante Romanum Catechismum idipsum feliciter enunciatum fuit a Sancto Nicolao Papa hujus nominis I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum *Tom.* 22. *Collect. Concilior. editionis Regiæ num.* 10. *pag.* 441.: *Sane*, inquit, *sciendum est, quoniam idcirco non diebus Festis ab opere humano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes afferre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus*: Inde etiam coacti in Conciliis Patres rationem potissimam hausere denunciandi, illicitam esse diebus Festis celebrationem Mercatus, & Nundinarum. Qua de re videnda Concilia Rhemense, ac Turonense habita anno Domini 1583. In eamdem sententiam Narbonense anni 1609. decrevit: *Mercatus, Emporia, & Nundinæ nuspiam fiant diebus Festis, sed in antecedentem, vel subsequentem Festivitatis diem transferantur*; Eorum porro Conciliorum verba fideli calamo recensentur a *Pouget in Constitutione Catholic. Tom.* 1. *pag.* 724., *& sequentibus*.

De abusu Nundinarum diebus Festis pridem inducto, Testimonium S. Basilii.

§. 18. Ceterum habendarum Nundinarum & Mercatuum diebus festis corruptelam antiquo jam tempore invaluisse, plurima evincunt monumenta. S. Basilius Cæsareensis Archiepiscopus, qui quarto Christianæ Ecclesiæ seculo vixit, in Regula Monachorum *interrogatione* 38. post stabilitum ipsorum laborem, propriis manibus diecim absolvendum, indicavit in *sequenti interrogatione*, quomodo peracta opera vendi deberent, ut eorum pretio sustentarentur. Mox *in interrogatione* 40. scripsit: *Neque vero quoniam alii jam eam, quæ apud Sanctos obtinebat, consuetudinem violavere, qui pro se invicem orare debuissent, & una cum pluribus Deum adorare, & cum lacrymis implorare, ipsumque pro peccatis propitium reddere, gratias pro beneficiis rependere, ac verbis hortativis sese ædificare (quod adhuc nostra etiam memoria usitatum, & observatum fuisse novimus); pro his omnibus forum, Nundinasque, ac commune emporium, & tempus illud, & locum efficiunt, continuo nos etiam hoc imitari par est ejusque rei participatione absurda, & inepta confirmare*: ut videre licet *in Tom.* 2. *Operum* ejusdem S. Basilii *editionis Parisien. pag.* 346.

Cassiodori.

Aurelius Cassiodorus Senator, & ab Epistolis Theodorici Regis Gothorum, qui vivebat sæculo sexto, *in Epistola* 33. *lib.* 8. *tom.* 1. Festum celeberrimum describens, quod in Lucania agebatur in honorem S. Cypriani Martyris, itemque Miraculum a Deo hac occasione edi solitum ad Fontem Marcilianum; mentionem pariter ingerit de Nundinis longe frequentissimis ad augendam Festi celebritatem ibidem institutis. *Quidquid enim* (inquit) *præcipuum aut industriosa mittit Campania, aut opulenti Brutii, aut Calabri pecuniosi, aut Apuli idonei, vel ipsa potest habere provincia, in ornamentum pulcherrimæ illius venalitatis exponitur, ut merito tam ingentem copiam judices de multis Regionibus congregatam*. Jubet deinde Severo Provinciæ Præsidi, ut vim tumultuariam Villicorum quorundam comprimat, qui commeantes Mercatores spoliabant.

S. Gregorii Turonensis.

Ad finem ejusdem sæculi vixit Sanctus Gregorius Turonensis Episcopus. Is autem in *lib.* 1. *de gloria Martyrum cap.* 32. *editionis Parisien. pag.* 578. describit nobile Festum, quod in honorem Sancti Thomæ Apostoli fiebat Edessæ, ubi sacræ illius exuviæ ex India translatæ quiescebant. Fontem mirifice scatoritatem memorat, potum confluentibus ad Festum, quod triduo agebatur, tribuentem; nec sciticet liberas a vectigalibus Nundinas, quæ sacram celebritatem illustriorem reddebant: *In supradicta igitur Urbe, in qua beatos artus diximus tumulatos, adveniente Festivitate, magnus aggregatur Populorum Cœtus; ac de diversis Regionibus cum votis, negotiisque venientibus, vendendi, comparandique per triginta dies sine ulla telonii exactione licentia datur*. Theodoricus Ruinartius in notis ad huc locum animadvertit, in quibusdam exemplaribus legi: *Negotiatoribusque venientibus*; in aliis vero: *Negotiisque venientes*: negotiique nomine res venales indicari.

Landulphi Junioris.

Tandem undecimo ineunte seculo, cum Mediolani in Templo Sanctæ Mariæ ad Portam septimo Idus Maji aliquot insignes Sanctorum Reliquiæ fuissent inventæ, constitutum est a Clero, ut ad perennem rei memoriam Dies ipse quotannis Festus haberetur, Populusque universus feriaretur, *tanquam in die Resurrectionis, & Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi. Quo etiam die, ad frequentationem solemnitatis, statutum est, annuale esse Mercatum*, teste Landulpho Juniore *cap.* 2. suæ Historiæ apud Muratorium *tom.* 5. *Collect. Script. rer. Italicar.*

Ecclesiasticæ Leges adversus pravam consuetudinem latæ.

§. 19. Quod autem vigiles Ecclesiarum Præsides nunquam omiserint, in hujusmodi abusum celebrandarum Nundinarum, atque Mercatuum diebus Festis, invehere, agnoscere potestis ex *tom.* 4. *Anecdotorum Parisiis editorum* a Martene, & Durand *pag.* 335. & 1133. Ex amplissima collectione Scriptorum, & monumentorum ab iisdem publicata, præsertim *to.* 7. *pag.* 1401., & *tom.* 8. *pag.* 1006., 1560., & *sequent.*; Itemque ex Labbeana Collectione Conciliorum editionis Parisiensis *tom.* 7. *pag.* 1177. *tom.* 8. *pag.* 111., & 127. *tom.* 9. *pag.* 422., & 584. *tom.* 13. *pag.* 1380., & *tom.* 14. *pag.* 702. Inter Acta Mediolanensis Ecclesiæ idipsum liquet ex Tertio Provinciali Concilio, & Undecima Synodo Diœcesana Sancti Caroli. Quod si id genus testimonia ex Canonico quoque Jure petenda sint; in prima Decretali sub *Titulo de Feriis* vobis occurreit præceptum, quo jubentur Christifideles *diebus Dominicis ab omni illicito opere abstinere, ut in eis Mercatum minime fiat*. Quo nomine comprehenduntur etiam Nundinæ, ut in Commentariis ad allegatum Textum docent plerique Canonici Juris Interpretes. Præterea in Bullario Romano extat Constitutio quinta S. Pii V., in cujus §. 8. Pontifex vigilantissimus cavit: *Ut omnes Dies Dominici, & præcipue in honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum feriati, cum omni veneratione observentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias frequentent, Divinis officiis devote intendant, ab omni illicito, & servili opere obstineant, Mercatus non fiant, profana negotia.*

gotiationes, & judiciorum strepitus conquiescant.

Qua tamen effectu caruerunt.

§. 20. Adversus tot saluberrimas Ecclesiæ Sanctiones provide editas, suborta jam diu corruptela adhuc perseverat, & a Populis pertinaciter retinetur non in nostra solum temporali Ditione, verum etiam in tota Italia, ut testatur Muratorius *tom.* 2. *Antiquitatum Italicarum dissertat.* 32. ubi postquam asseruit magnis Mercatibus tributum fuisse nomen *Feriæ*, vulgo *di Feria*: *Hisce vero hoc nomen inditum, quod plerumque diebus feriatis haberentur, hoc est, in Natali alicujus Sancti, aut Dominicis Festivitatibus*, opportune ad rem prosequitur: *Quem morem parum alioqui laudabilem adhuc Italia servat.* In Transalpinis quoque Provinciis idem abusus, antiquo tempore invectus, hodie viget; quemadmodum videre licet apud Theologos, & Sacri Juris interpretes a Nobis paulo ante memoratos, qui tamen patrium morem, etsi minus probum, excusant obtentu Indulti, vel consuetudinis antiquæ constanter toleratæ. Quapropter suspicari merito possumus, toti fere Orbi Christiano accidisse, quod in Anglia contigit duodecimo Christi Sæculo. Abbas Flajensis, ut refert Matthæus Parisius, subjectæ sibi regionis Populis vetaverat Mercatus, & Nundinas diebus Dominicis, quamvis illæ in tota Anglia fierent, sed vix aliquandiu relicto abusu, in vetitum morem Gentes illæ rediere: *Verumtamen tempore procedente plerique, ut canes, ad vomitum sunt reversi.*

Etiam extra Italiam.

Pontificis consilium.

§. 21. Reliquum modo est, ut dispiciamus, quod ultimo tandem loco expendendum proposuimus, quo scilicet remedio prudentes, ac salubriter uti debemus, ut grassans ætate nostra tollamus absurdum.

Mercatus omnino prohibet diebus Festis.

§. 22. Debito procedentes ordine, *Mercatus a Nundinis* distinguimus. Textus Juris Canonici paulo ante allegatus in *cap. 1. de Feriis* loquitur de *Mercatu*. Idem quoque Verbum in Constitutione sua usurpat S. Pius V. Communis præterea sententia est, (quidquid sit de Nundinis) Mercatum haberi non posse Diebus Festis, sed esse transferendum in antecedentem, vel in subsequentem diem, si in Festum inciderit. Huic regulæ Nos inhæsimus, facultatem tribuentes die 9. Maii 1742. Viro Nobili Ferrariensi habendi Mercatum in suo Rure qualibet feria quinta, dummodo in illam non incideret Festum servandum ex præcepto: quo casu Mercatus transferretur in feriam quartam. Qua de re omnem dubitandi ansam præcidentes, Vobis per hæc Apostolica scripta mandamus, ne in Diœcesium Vestrarum Urbibus, & Locis *Mercatus* fieri Festis Diebus patiamini.

Eaque de re confirmat Decretum Congr. Concilii in Ripana Mercatus.

§. 23. Libentius præterea id Vobis præcipimus, quia post sedulum, ac maturum examen consentanee idipsum decrevit die 2. Maii 1711. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpres in Causa *Ripana Mercatus* ut ex *lib. 61. Decret. pag.* 203. *a terg.* Quod Decretum Apostolica auctoritate Nostra comprobantes, instar regulæ esse volumus, ac in omnibus Temporalis Ditionis Nostræ Provinciis, Urbibus, ac Locis S. Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjectis, inviolabiliter observari præcipimus, Decreti hujusmodi sequens est exemplum: *Cum moderaas Episcopus Ripanus de mense Septembris 1709. Edictum typis mandaverit super observantia dierum Festorum; in quo signanter illud præscripsit §. 2.: Le fiere, che sogliono farsi in alcune Feste determinate dell'anno, si rolleranno dopo celebrata le Messa Maggiore: Ma i Mercati, che si fanno in giorno fisso della settimana, cadendo in questo qualche Festa, si trasferiscano nel giorno antecedente, o susseguente non festivo, secondo la disposizione di tutti i Sinodi Diocesani da' nostri Antecessori stampati sotto le infrascritte pene &c.: Nihilominus Civitas, & Homines Ripani ad impediendam ejusdem Edicti promulgationem, ex asserta immemorabili consuetudine habendi Mercatum in die Sabbati, etiamsi in eum incidat dies Festus, obtinuerunt ab A. C. Monitorium super manutentione cum inhibitione. Sed R. P. Auditoris Sanctissimi Decreto Causa remissa fuit ad hanc Sacram Congregationem, in qua concordato infrascripto Dubio, contingit hodie ex deducendis hinc inde a Patribus monumentis disputari: An liceat Communitati, & hominibus Ripæ habere Mercatum die Sabbathi, intus, vel extra Civitatem, quando occurrit, quod sit dies festivus in casu &c.: Die 2. Maii 1711. Sacra Congregatio Concilii respondit negative, & hujusmodi causam amplius non proponi mandavit.*

Tenor Decreti.

Consuetudinem immemorabilem non suffragari decernit.

§. 24. Et sane nullum hic locum habet quævis consuetudo, etiam immemorabilis, ut omissis generalibus jurisprudentiæ regulis, perspicue liquet ex aliis momentis mox adducendis. Ante memoratam Causam Ripanam, propositam in Congregatione Concilii fuit alia, inscripta *Barchinonen. Observationis Festorum*: Contendebat Marcatores Barchinonenses vendere posse Merces suas diebus Festis, consuetudine fulti immemorabili, rite probata, ac etiam speciem, & imaginem necessitatis præferente. Finitimorum siquidem Locorum Incolæ reliquis hebdomadæ diebus victui quærendo, ac laboribus intenti, nonnisi die Festo ad Urbem accedebant. Adversante nihilominus Episcopo, Causa proposita fuit in Congregatione, quæ die 12. Maii 1669. respondit: Id Mercatoribus non licere, quacumque consuetudine immemorabili nequaquam obstante. Putarunt tamen Mercatores succumbentes, hujusmodi rescripto fundamentum præbuisse opinionem ingestam forte Partibus: *Se distrahere velle Merces apertis Apothecarum foribus.* Instaurato proinde judicio, ac mente patefacta, validiore conatu objectæ consuetudini immemorabili institerunt. Congregatio tamen die 27. Martii 1683. in priori sententia, & decreto perstitit, silentiumque Mercatoribus imposuit.

Ejusdem Congreg. judicium in Causa Barchinonen.

De Nundinis.

§. 25. Mercatibus succedunt *Nundinæ*, quarum respectu propositum nostrum esset ea decernere, quæ de Mercatoribus statuimus, pleno corde illis inhærentes, qui festos Dies, qua decet cura, ac sedula religione sanctificari a Christifidelibus cupiunt, & pro viribus enituntur. Sed ne pejora contingant absurda, præcipimus, quod possumus, non quod optamus.

Observantia dierum Festorum remittitur, necessitate id exigente, ab Alex. III.

§. 26. Neminem certe latet, quo flagraverit zelo, quantumque divini honoris fuerit studiosus, celebratissimus Pontifex Alexander III. Noster Prædecessor; Ratione tamen pari, ac necessitate compulsus, indulsit quibusdam Populis, ac diebus Dominicis, aliisque Festis, piscarentur, majoribus dumtaxat Solemnitatibus exceptis; dummodo piscatione peracta, congruentem eleemosynam impertirent vicinis Ecclesiis, & pauperibus Jesu Christi, ut habetur *in Cap. licet, de Feriis*.

Similiter a Sixto V.

§. 27. Dum in minoribus constituti a Secretis eramus memoratæ Congregationi Concilii Tridentini Interpretis, præ manibus habuimus Indultum fel. record. Sixti Papæ V. Prædecessoris Nostri, qui ad preces cujusdam Abbatis Ordinis S. Benedicti Diœcesis Gerunden. facultatem impertitus est piscandi Diebus Festis Habitatoribus Castri, mari adjacentis, post auditam Missam, & post meridiem, adjecto onere tribuendi Abbati, ejusque Monasterio tertiam lucri partem, in Ecclesiæ instaurationem pie erogandam. Quæ conditio progressu temporum cum nimis onerosa visa sit Piscatoribus, paupertate pressis, & exhaustis dispendio, quod Naves Piscatoriæ exigebant; re ad Sac. Congregationem delata, imminutum fuit primævum onus ad septimam partem, ut ex *Decreto edito die 24. Augusti 1720.*

Rationes indulgendi celebrationem Nundinarum diebus Festis.

§. 28. Fatemur sane, necessitatem, quæ sese Alexandro III. objecerat, cum illa, in qua versamur, non esse conferendam. Nostra tamen gravis est, si illa fuit gravissima. Durum enim est, atque asperum id Populis adimere, quod Decessores Nostri peculiaribus Litteris indulserunt. Res præterea hujusmodi conditionis est, quæ plures vetita, atque sublata, denuo in pristinum morem emersit: De ipsa non una est Theologorum, & Canonistarum sententia: Quinimo aliquot doctrina, & pietate illustres illam illicitam non habent. De re tandem agitur, qua sublata, minuerentur Populorum commoda, atque commercia, humanæ vitæ longe opportuna. E contra vero retineri alio modo non potest, quam quo viget; Etenim difficillimum, ne dicamus impossibile, deprehenditur, frequentes haberi posse Nundinas extra dies Festos, quibus confestim Populi confluunt, quovis alio soluti labore, ac negotio.

Conditiones adjectæ pro Nundinis Senogall.

§. 29. Inter Nundinas quæ in Provinciis Nostris aguntur, illustriores, ut bene nostis, sunt Senogallienses protractæ multis diebus. Cum Anconitanam Ecclesiam Senogalliensi finitimam regeremus, non sine mœrore intelleximus, tempore Nundinarum ea omnia fieri Festo etiam die, quæ aliis hebdomadæ diebus Divino cultui non consecratis, peragebantur. Huic malo occurrere satagentes, die 24. Augusti superioris anni Constitutionem Nostram de Nundinis Senogalliensibus publicavimus, qua præter cetera jussimus, ut Diebus Festis Apothecæ clauderentur; Neque matutinis horis, aut vespertino tempore, quibus Divina Officia in Ecclesiis celebrantur, vel Dei verbum Populo nuntiatur, contractus fierent. Imminutum vero hac de causa secularibus negotiis tempus compensaturi, Nundinarum dies, cum iisdem Privilegiis, & immunitatibus, opportune multiplicavimus. Exequutioni debitæ jussa nostra hoc anno mandata, meliorem atque utiliorem rerum ordinem pepererunt, magno omnium Civium, & bene moratorum hominum solatio.

Compensatio.

Ne certis per diem Festum horis commercia agantur.

§. 30. Id ipsum, Ven. Fratres, & vos agite. Constituite, Auctoritate Nostra, matutinas, & vespertinas horas, quibus Festo Die, quo Nundinæ habentur, claudi debeant Apothecæ, nec publica possint exerceri commercia, ut qui ad Nundinas confluxerunt, Missæ Sacrificio, & Divinis Officiis intersint, aliisque Christianis operibus Festum sanctificent. Vigilate, ut omnia plene, & exacte impleantur. Nos autem per publicum Edictum non prætermittemus extendere Nundinarum privilegia ad diem sequentem, qui Festus non erit; ut temporalia negocia paucarum horarum spatio, propter Dei cultum, & animarum salutem intermissa, integri diei accessione commode peragantur.

Dies Nundinarum prorogantur.

§. 31. Hæc sunt, Ven. Fratres, quæ post maturum examen, auditamque gravium, atque doctorum Virorum sententiam, de proposita quæstione Vobis significanda censuimus, quibus omnibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Dat. die 5. Nov. 1745.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die quinta Novembris MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

CUM inter Viros doctos disputari cœpisset, recte ne, an secus Episcopi facerent, qui ab Apostolica Sede Festorum immutationem postulabant, & adeo inter eos concertationis æstus incaluisset, ut publicis Libris, & Scripturis, graviores accusationes, & censuræ in contrariæ sententiæ defensores utrinque conjicerentur; Nos huic malo occurrere volentes, sequentem edidimus Constitutionem.

DECRETUM

Quo prohibetur cuilibet in posterum Libros, Scripturas, aliaque Opera quæcumque Typis imprimere, seu aliter in lucem edere, in quibus de imminutione dierum Festorum de præcepto, sive pro, sive contra eam agitur.

BENEDICTUS PP. XIV.

Instantiæ factæ Pont. super imminutione dierum Festorum.

NON multi menses effluxerant, ex quo placuit Omnipotenti Deo humilitatem Nostram nullis suffultam meritis ad universalis Ecclesiæ regimen assumere, quum plurimorum, & pietate, & doctrina insignium Virorum, necnon Episcoporum per Ecclesias tam citra, quam ultra Montes constitutorum, instantiæ ad Nos deferri cœperunt, ut numerus dierum Festorum de præcepto in satis nota Constitutione rec. mem. Prædecessoris Nostri Urbani Papæ VIII. præfinitus, auctoritate Nostra minueretur. Quam quidem ob rem, Nobis exponebant, & nimis grave detrimentum humilioris sortis hominibus, qui manuum suarum laboribus se ipsos, suasque familias sustentare coguntur, ex hujusmodi Festorum dierum numero, quibus operari prohibentur, inferri; Et simul arduum, vel potius impossibile esse, debitam, exactamque eorum observantiam, & sanctificationem a populis obtinere; siquidem post innumeras, districtasque leges ea de re latas, & curas adhibitas, numquam sæpius cauponæ, atque popinæ frequentari dignoscuntur, quam ipsis diebus Festis, pomeridianis potissimum horis, non sine scandalo, & rixarum, aliorumque criminum sequela. Cumque Carissimus in Christo Filius Noster Carolus utriusque Siciliæ Rex Illustris post aliquot annos Urbem ingressus ad Nos comiter accessisset, non omisit summo zeli studio pro hujusmodi Festorum dierum in suis Regnis imminutione Nobiscum agere.

Summo rationum pondere adducebantur.

Pont. de hac re dissertationem confecit ut aliorum sententias audiret.

Nos autem cum primum illæ, quas supra diximus, instantiæ ad Nos pervenerunt, minime labori pepercimus, ut rem ipsam in suis fontibus inspiceremus; quin etiam satis amplam Dissertationem ea de re exaravimus, & publicari curavimus, in qua pleraque a Nobis demonstrata sunt, ad hanc minuendorum Festorum materiam pertinentia, pluresque hujusmodi imminutionis viæ indicatæ fuerunt; sed nihil definitum, aut pro auctoritate statutum fuit, quum id Nobis unice propositum tunc fuisset, ut aliorum sententias intelligeremus, non solum circa rationem peragendæ Festorum dierum reductionis, sed etiam super ipsius imminutionis substantia, an eam fieri, vel potius rem in priori statu relinqui præstaret; itaut, qui reductionem nequaquam faciendam existimaret, minime necesse haberet de illius executionis modo inquirere, aut Nobis consilium præstare.

Ex 40 Personarum consilium exquiritur.

Quadraginta porro fuerunt, quorum consilium requisivimus; inter quos nonnulli hujus S. R. E. Cardinales, Episcopi plures tam Itali, quam ultramontani, reliqui Theologiæ, aut Sacrorum Canonum Professores, vel Ecclesiasticæ Disciplinæ rationibus tam Romæ, tum alibi, agendo potissimum, experiendoque versati. Horum omnium responsa, juxta mandatum Nostrum, scripto concepta, quæ adhuc apud Nos asservantur, cum accepissemus; ex prædicto numero, tres supra triginta invenimus, qui Festorum dierum imminutionem vel necessariam, vel utilem omnino fore affirmabant; ex his vero, quindecim Nobis suadebant, ut edita generali Apostolica Constitutione, hujusmodi imminutionem in universa Ecclesia statueremus; alii autem numero octodecim, audiendas esse censebant instantias Ecclesiarum, atque Diœcesum, earumque peculiaribus necessitatibus diversa, atque opportuna ratione consulendum. Quod vero pertinet ad ipsius reductionis modum; quum in Concilio Provinciali Tarraconensi, habito sub san. mem. Prædecessore Nostro Benedicto XIII. Pontifice de Nobis optime merito, conditum fuerit Decretum, ut, accedente Apostolicæ Sedis approbatione, & auctoritate, ac salva sub obligatione sanctificandi, ut prius, omnes dies Dominicos, & solemniores quasdam Festivitates, quibus nimirum & assistendum foret Sacrificio Missæ, & abstinendum ab operibus servilibus; in aliis quibusdam Festis minus principalibus tenerentur quidem Fideles ex præcepto Missam audire, sed reliquum diei tempus operibus, & laboribus quibusque exercendis, etiam servilibus nuncupatis, licite impendere possent; cumque ipsius Concilii Patres Anno Domini MDCCXXVIII. hujusmodi Decreti approbationem, & confirmationem a præfato Benedicto Prædecessore petiissent, idemque Prædecessor Anno sequenti 1728. Decretum ipsum per suas Apostolicas Literas in forma Brevis approbasset, & confirmasset; ex præfatis XXXIII. consulentibus, viginti tres in eo concordes fuerunt, ut Festorum dierum reductio juxta formam, & methodum Decreti Conciliaris Tarraconensis fieri deberet, reliquis decem in diversas sententias abeuntibus; aliis nempe tollendas omnino censentibus Festivitates aliquot ex his, quas Urbanus VIII. servari mandaverat; aliis proponentibus plurium festivitatum conjunctionem in unam diem de præcepto sanctificandam; aliis vero complura Sanctorum Festa in dies Dominicos transferentibus.

Major numerus reductionem faciendam censuit.

Aliqui etiam per generalem Constitutionem, alii non.

Et quid circa modum.

Pontifex nil generaliter præcipere, sed perulsantes

Nos autem horum omnium consiliis perlectis, matureque perpensis expedire judicavimus generalem hac de re Constitutionem edere, quum Nobis ani-

mo

Episcoporum instantias expediisse statuit.

mo observarentur multimodæ difficultates olim adversus prædictam Urbani Prædecessoris Constitutionem excitatæ ab iis ipsis, qui pro illius promulgatione consilium dederant, & preces obtulerant. Quapropter, ut & Apostolicæ Sedis auctoritati, ac dignitati prospiceremus, & simul ostenderemus, quanto in honore apud Nos habeantur Venerabiles Fratres Nostri Ecclesiarum Antistites quos quidem suarum Diœcesum necessitates optime intelligere, maximeque zelo pro Dei cultu, & gloria flagrare non dubitamus, id Nobis servandum proposuimus, & reipsa servavimus, ut nihil hac in re decerneremus, nisi postquam Episcopi pro suis quique Diœcesibus, aut Metropolitani, de Suffraganeorum consilio, & assensu pro suis Provincialibus, peculiares Ecclesiarum, & Populorum necessitates Nobis demonstrantes, Festorum dierum imminutionem postulassent. In quo tamen non cuilibet angustæ Diœcesis Episcopo id optanti annuendum censuimus, nisi simul finitimi alii Præsules id ipsum expeterent: quo scilicet ritus, & disciplinæ uniformitas, quantum fas esset, in vicinis, atque conterminis Diœcesibus conservaretur. Præterea nihil innovare voluimus, non solum in hac Nostra Romana Urbe, pro qua peculiares quædam circumstantiæ ponderandæ sunt, quæ aliis Civitatibus, ac Diœcesibus aptari nequeunt: sed nec in Nostra Bononiensi Civitate, ac Diœcesi, cujus Pastorale regimen una cum Supremo Pontificatu retinemus: ne scilicet aliis exemplo, & judicio Nostro præire voluisse videremur, ut pro suis Diœcesibus, licet inviti, id facerent, quod nos ipsi Bononiæ fecissemus: aut hominum censuram adversus illos excitaremus, qui non idem egissent, quod Nos statuisse viderent in Diœcesi regimini Nostro immediate subjecta.

Ideoque, instantibus Episcopis, in illorum Diœcesibus observantiam nonnullorum Festorum relaxavit.

Hanc igitur agendi normam constanter sequentes, oblatis Nobis multorum Episcoporum petitionibus, præceptum observandi dies Festos in pluribus Diœcesibus, atque Regionibus, juxta modum inferius dicendum, benigne relaxavimus: Nec aliquid invenire est hac in re ullibi a Nobis fuisse statutum, sine præcedentibus instantiis, & causarum expositionibus, pro singulis Civitatibus, & Diœcesibus, ex parte earumdem Antistitum ad Nos, & Apostolicam Sedem delatis. Quod vero spectat ad modum relaxandi hujusmodi præceptum:

Modus, quo indultum fuit concessum, refertur.

quum adverterimus, legem audiendi Missam, ab aliis feriandi ab operibus servilibus, distinctam plane, & separabilem esse: ipsosque etiam Episcopos non solum frequenter agrorum cultoribus, sed & urbanis quandoque Operariis, haud difficulter concedere, ut dies Festus, officio Missæ dumtaxat assistendo, sanctificent, de cetero autem laboriosis operibus incumbere valeant: quin etiam a quibusdam Moralis Theologiæ Scriptoribus, licet audacter, assertum fuisse viderimus, immunes esse a peccato pauperes, & inopes, qui Festis diebus etiam solemnioribus, quo valeant egenas familias suas sustentare, audito Sacro, laboribus manuum suarum, quantumvis servilibus, per plures horas occulte, & sine scandalo occupantur: cumque potissimum Tarraconensis Decreti ab Apostolica Sede, ut supra dictum est, approbati illustre exemplum præ oculis haberemus: In admittendis Episcoporum Instantiis, hanc observavimus methodum, ut, firmam, & ratam relinquentes utramque legem de audienda Missa, & de abstinendo ab operibus servilibus in omnibus diebus Dominicis, & in præcipuis quibusdam anni Festivitatibus, aliarum minus solemnium sanctificationem ita deinceps fieri permitteremus, ut, audita Missa, reliquum diei tempus Pauperibus liberum esset ad laboriosa quæque opera exercenda. Neque vero facilem auditum apud Nos invenerunt aliquorum Antistitum preces, qui Festorum dierum imminutionem alia via, & ratione in suis Diœcesibus fieri optabant translatis nimirum in dies Dominicos Sanctorum Festivitatibus per hebdomadas occurrentibus.

Hæc Indulta non immutant Catalogum Urbani VIII.

Per hæc autem minime detractum censeri debet providæ Constitutioni Prædecessoris Nostri Urbani Papæ VIII., quam & Apostolico illius zelo dignam, & eorum temporum rationibus maxime a-

Acta & Decr. Canoniz.

ptam fuisse agnoscimus, & profitemur. Nec aliter profecto de illa nos judicare dicendum esset, etiamsi (prout fert earum legum natura, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam, mutationibus merito subjectam, unice pertinent), ex novis non levibus, neque pro ingenio excogitatis causis, sed tot insignium Ecclesiæ Præsulum judicio comprobatis, plures dies Festi de præcepto in Urbani Catalogo descripti, ex observandorum dierum numero exempti omnino fuissent. Ideoque multo minus hoc dici potest, ubi nulla ex Festivitatibus in ea Constitutione designatis peculiari cultu, & sanctificatione privata est; sed in aliquibus dumtaxat permissum fuit, ut Divinis Mysteriis religiosa saltem præsentia celebratis, cuilibet licitum esset, operibus, & laboribus humanæ vitæ utilibus, & necessariis intendere.

Recte tamen scripserunt an recte Episcopi id petant.

Quod enim Ecclesiastica disciplina, salvo honore præcedentibus Constitutionibus, earumque auctoribus debito, & sine eorum reprehensione, atque injuria, immutari valeat, innumeris possemus exemplis apertissime comprobare, a quibus, cum in re minime dubia versemur, recensendis supersedemus, illudque solum monuisse sufficiat, tunc demum innocuam esse antiquæ disciplinæ mutationem, dum non temere, atque inconsulto, sed a legitimis Superioribus, & justis de causis fiat, quas Innocentius III. Prædecessor Noster in Concilio Lateranensi IV. *Can.* 50. commemorat.

Quorum dissidiis pax Ecclesiastica turbari posset.

Et Nos quidem jure nobis polliceri posse videbamur, dum circa propositam dierum Festorum imminutionem adeo caute, adeo ex aliorum potius sententia, quam ex auctoritate, qua fungimur, omnia ad hunc diem agere studuimus, nec nostram agendi rationem in aliorum censuram, & offensionem incidere debere, nec Ecclesiæ pacem, quæ Nobis summopere cordi est, ullo modo turbandam fore. Verum nonnulla intervenerunt, quorum causa cam Nobis spem in irritum recidisse dubitamus. Quum enim inter doctos disputari cœperit, recte ne, an secus, Episcopi faciant, qui ab Apostolica Sede postulant, ut liceat in suis Diœcesibus aliquos dies Festos de præcepto minus principales sola Missarum auditione sanctificare, non interdicto in reliquis horis negociorum, & operum etiam servilium exercitio; quamvis facile intelligamus hujusmodi dissidia ex diversa hominum judicandi, & opinandi ratione ortum habere, humanasque res omnes similibus dissensionibus plerumque subjectas esse; nihilominus ab aliquibus doctis, probisque Viris demonstratum Nobis est, in hac controversia, scribentium stilum intra innocuæ disceptationis terminos non constitisse; dubitarique posse, ne ab improbandis postulationum studiis, ad ipsius concessionis reprehensionem sensim disputatio transierit, adeoque incaluisse concertationis æstum, ut in publicis Libris, & Scripturis, graviores accusationes, & censuræ in contrariæ sententiæ defensores utrimque conjectæ fuerint; ex quo sane novarum turbarum occasio, cum Ecclesiasticæ pacis detrimento, existere posset.

Pontifex de hac unice sollicitus.

In hoc statu rerum, Nos unam ab altera consultationis causa sejunximus. Quæcumque circa Nostram agendi rationem dicta, & conscripta palam, Nobis observanda offerebantur, ea nec audire voluimus; sed, testimonio conscientiæ Nostræ contenti, illa omnia vel neglexIMus, vel nimio contendentium ardori condonavimus. Quod vero spectat ad ipsam ferventis disputationis naturam, illius examen primum demandavimus nonnullis in Theologica facultate præstantibus Viris; qui sane omnibus visis, atque perpensis, retulerunt, neutra ex parte ullum Catholici dogmatis caput in controversiam adductum fuisse, nihil adversus Urbani VIII. Constitutionem contumeliose, aut irreverenter esse dictum, nullum esse locum in contendentium scriptis, quantumvis adversariorum censura notatis, cui genuinus Catholicus sensus revera non subsit. Approbato Theologorum judicio, quod luculentissimis scriptis ediderunt, quid facto opus esset, ut ulterioribus perturbationibus occurreremus, exquisivimus; & aliquot Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, aliorumque Ecclesiasticæ Disciplinæ peritorum consilium fuit, ut uni-

Eorum scripta examini subjecit.

Censura Examinatorum.

Et aliorum consilia ulteriori providentia.

H ver-

versæ quæstioni, auctoritate nostra Apostolica, silentium imponeretur, publicandisque in posterum super ea libris, & scriptis aditus intercluderetur; id quod a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, ad alias extinguendas controversias similites exardescentes, non semel factum fuisse constaret. Horum Consilium Nos, matura deliberatione præhabita, & probavimus, & exequendum statuimus; eo maxime, quod, si scribentibus pro una, aut altera sententia, hic finis propositum est, ut Ecclesiarum Antistites vel a petendo minuendorum Festorum Indulto retrahantur, vel ad illud postulandum incitentur, tot sunt, quæ ad hunc diem in utramque partem scripta, & dicta fuerunt, ut quilibet Episcopus satis in illis habeat, quo suum denique consilium capere possit, prout ad optimum Diœcesis suæ statum, & ad Dei gloriam magis expedire judicaverit.

Decernitur proposita.

Quapropter Nos hujusmodi consilio adhærentes, de Apostolicæ Potestatis plenitudine, præsentis nostri Decreti vigore, omnibus, & singulis infrascriptis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis infra statuendis, prohibemus primo, ne ullam hujus Decreti explicationem, interpretationem, aut commentarium, nec multo minus ullum Librum, Dissertationem, Epistolam, seu alterius generis opus, quo decretum ipsum sive directe, sive indirecte oppugnetur, edere, aut publicare audeant.

I. *Ne super Decreto hujusmodi quidquam scribatur.*

II. *Neque super Indultis concedendis, vel denegandis pro imminutione Dierum Festorum.*

Secundo vetamus, & interdicimus, ne ullos in posterum Libros, Libellos, relationes, Theses, Folia, Epistolas, vel alterius cujuscumque generis Opera, & Scripta, in quibus de immutatione dierum festorum de præcepto, aut de facultate concedenda, vel deneganda, ut audita Missa in nonnullis minus principalibus anni festis fas sit operibus servilibus vacare, sive ex professo, sive incidenter agatur, sive cum vero, sive cum ficto Auctoris nomine, sive sub alieno, vel etiam sine alicujus nomine Typis imprimere, vulgare, seu alia quacumque ratione in lucem edere præsumant.

III. *Quæcumque scripta, ante jam facta, denuo non imprimantur.*

Tertio quæcumque ad hunc diem hac super re edita fuerunt Opera, & scripta, iterum prælo subjici, & recudi, multoque magis nova folia, Opera, Epistolas, Dissertationes, aliaque præmissa, post hæc, sub anteriori data, fraudulenter imprimi, aut publicari, similiter prohibemus; Decernentes, quæcumque hujusmodi Opera, & Scripta, in spretum, & fraudem præsentis Decreti, imprimi de cetero forsan, vel alias ut supra dictum est, in lucem prodire contingat, ea omnia, & singula, absque alio examine, & in pœnam inobedientiæ, & contumaciæ, in Indicem Librorum prohibitorum quamprimum referri.

Omnes ad hujus Decreti observantiam teneantur.

Hujus autem Decreti lege omnes, & singulos cujuscumque status, gradus, conditionis, & dignitatis Personas Ecclesiasticas, & seculares, & cujuscumque Ordinis, seu Congregationis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, & Militiæ Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, aliorumque etiam specialem, & individuam mentionem requirentium Ordinum, Regulares, aliosque Ecclesiasticos quoscumque, etiam Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali dignitate fulgentes, & S. R. E. Cardinales æqualiter teneri, & expresse comprehendi decernimus, & declaramus.

Pœna contra Inobedientes.

Contravenientes vero, præter Librorum, & Operum prohibitionem, ut præfertur, si quidem Laici fuerint, in excommunicationem majorem latæ sententiæ, a qua nemo, præter Nos, & Successores Nostros Romanos Pontifices, nisi in mortis articulo, ipsos absolvere valeat; Ecclesiasticos autem usque ad Sacerdotalem gradum inclusive, pœnam suspensionis a divinis; in Superioribus vero gradibus constitutos, suspensionis ab exercitio Pontificalium, & a perceptione fructuum suorum Beneficiorum, Pensionum Ecclesiasticarum, Monasteriorum, Episcopatuum, & Archiepiscopatuum, aliorumque Ecclesiasticorum redituum quorumcumque, quarum pœnarum relaxationem, & respectivam rehabilitationem, Nobis, & Successoribus Nostris Romanis Pontificibus privative reservamus, ipso facto, absque alia declaratione incurrere decernimus, & sancimus. Præterea Typographos, & Bibliopolas, qui Libros, Scripta, aut Folia hujusmodi, contra Decreti Nostri legem, Typis imprimere, aut recudere, seu vulgare, & venumdare ausi fuerint, omnibus, & singulis pœnis tam pecuniariis, quam corporis afflictivis, quæcumque statutæ sunt adversus eos, qui libros prohibitos imprimunt, aut evulgant, sive venales proponunt subjacere, & re ipsa mulctari, & plecti volumus, & mandamus.

Publicationes in Urbe peractæ tribuunt vim specialis intimationis omnibus factæ.

Ut autem nemo de præmissis ignorantiam allegare, aut prætendere possint, volumus, & mandamus, hoc ipsum decretum, seu illius exempla, ad valvas Basilicarum Urbis, & Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ, & in aliis solitis locis ipsius Urbis, per Cursores Nostros publicari & affigi; atque ita publicatum, & affixum, omnes, & singulos perinde afficere, & arctare, ac si unicuique personaliter intimatum, & notificatum fuisset;

Exemplis fides tribuitur.

Ac præterea ipsius transumptis, seu exemplis, etiam impressis, cujuscumque Notarii publici manu subscriptis, ac sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, parem omnino fidem ubique locorum ab omnibus haberi, ac si decretum ipsum Manu nostra subscriptum ipsis foret exhibitum, vel ostensum.

Dat. Pont. ann. 9. die 14. Novembris 1748.

Datum Romæ in Palatio Apostolico Quirinali die xiv. Novembris MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Publicat. per Magistrum Cursorum more solito in Urbe die 16. Novembris 1748.

C A P U T X.

De Martyrologio Romano.

CUm Joannis V. Portugaliæ, & Algarbiorum Regis Fidelissimi jussu nova Martyrologii Romani adornaretur editio, ceteris, quæ præcesserant, nobilior, atque accuratior, e re nostra futurum putavimus, si & Nos ad egregium opus perficiendum, aliquid Apostolico muneri non incongruum conferremus. Novam itaque editionem quamplurimis Sanctorum nominibus locupletari jussimus, ac præsertim S. Siricii Pontificis, cujus cultum ut latius promoveremus, Decretum mox edidimus pro ejus officio, & Missa celebrandis. Laborum nostrorum hac super re rationem omnem in nostra Epistola memorato Joanni V. conscripta satis declaravimus, quam proinde subjicimus, & cui decretum pro Officio, & Missa S. Siricii adjungimus.

SS. D. NOSTRI BENEDICTI XIV.

P. O. M.

Literæ Apostolicæ de Nova Martyrologii Romani Editione.

Ad Joannem V. Portugalliæ, & Algarbiorum Regem Illustrem.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Charissime in Christo Fili Noster Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Novæ Editionis Martyrologii Romani, causa, & occasio.

POSTQUAM intelleximus, Majestatem Vestram mandata dedisse dilecto Filio Emmanueli Pereira de Sampajo Commendatori Militiæ Domini Nostri Jesu Christi, & negotiis Majestatis Ve-

Vestræ apud Nos, & Sedem Apostolicam præposito, ut Romanum Martyrologium, quo & Regnorum Vestrorum, & totius Orbis Catbolici commodo, atque utilitati consuleretur, splendore, ac diligentia quadam præcipua, in hac alma Urbe imprimendum curaret; ab eo autem, provido consilio selectum fuisse navum, atqoe industrium Typographum, qui pridem nitidissimos Evangeliorum, atqoe Epistolarum Codices seorsim editos, eadem Majestate Vestra id mandante, sumptusque ministrante, prælo subjecerat; Virum item Ecclesiasticum, probitate, atque ejusmodi Rerum peritia instructum, fuisse designatum, ut nova Martyrologii Editio, ceteris quæ præcesserunt, nobilior, atque accuratior in lucem prodiret: Postquam bæc intelleximus, vehementer in Domino gravisi sumus; atque Majestatem Vestram, de cujus in rem Divinam, & sacros Ecclesiæ Ritus insigni pietate ac munificentia, præclara suppetunt argumenta, meritis efferre laudibus non cessavimus. Hac vero opportunitate Nobis oblata, quamvis assiduis Apostolici Ministerii curis ita distineamur, ut nonnisi subsecivæ quædam, quibus privatis studiis vacare liceat, aliquando supersint boræ, e re Nostra futurum putavimus, si & nos ad egregium Opus perficiendum, aliquid Apostolico muneri non incogruum conferemus.

Ejus finis, eomque utilitas.

II. Minime Nos fugiunt multæ, gravesque controversiæ, quæ circa Romanum Martyrologium agitantur; ab aliis quidem, quos scientia inflat, inexplebili quadam dubitandi prurigine; ab aliis vero, qui ad sobrietatem sapiunt, eo consilio, ut quæ subobscura sunt, vel incerta, nova quadam veritatis luce donentur. Ab bisce tamen quæstionibus duximus omnino abstinendum; quandoquidem hac in re illud Nobis proposuimus, ut ab accuratis Martyrologii correctionibus, quarum prima Gregorio XIII. Prædecessore nostro Ecclesiam gubeenante, altera vero sub Urbano VIII. Nostro item Prædecessore peracta est, de quibus verba fecimus in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 17. Editionis Patavinæ, qua una in locorum allegationibus hic utimur, nullo pacto recedamus. Quocirca, si quæ infra dicturi sumus, eite expendantue, Majestati Vestræ perspectum erit, Nostras hasce in Martyrologio curas eo tandem contendere, ut quæ post evulgatas correctiones supervacanea occurrunt, resecentur; quæ vero deficiunt, superaddantur. Hoc autem semel posito, & anteactis emendationibus nihil detrimenti, & novæ huic Editioni utilitatis multum accedit.

Prolixiora quædam Sanctorum Elogia contrahuntur.

III. Nedum Sanctorum nomina, sed & illorum Elogia, hoc est brevioe quædam, & compendiaria de eorum virtutibus, vel morte, quam pro Christi fide fortiter obiverunt, oratio, Romano Martyrologio apponitur. Porro ejusmodi Elogia non jam cujusque aebitrio concinnanda sunt, sed, post editum Decretum de Sancti alicujus nomine Romano Martyrologio inscribendo, ejus Elogium ex usu recepto, a Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum Congregatione examinandum est, atque probandum; sandemque Romani Pontificis confirmatio accedat necesse est; at in memorato Opere *de Canonizatione lib.* 4. *par.* 2. *cap.* 18. *num.* 4. multis disseruimus. Hac in re, nonnulla in Martyrologio offendimus, quæ nimia laborant prolixitate. Enimvero aliquor occurrunt Elogia Sanctorum, eorum præsertim, qui recenti ævo in Canonem relati sunt, in quibus multa inutiliter abundant verba; ideoque facili ratione in breviorem sermonem contrabi possunt. Hisce in casibus verbosam orationem duximus amputandam; ea lege tamen, ut integra servetur sententia; atque hac in parte brevitati consulatur, quam in veterum Sanctorum Elogiis in Martyrologium illatis deprebendimus.

Cur veteres Editiones in multis deficiant.

IV. Etsi vero absoluta jam fuerit gemina illa Martyrologii correctio, cujus supra meminimus; non ideo samen vetitum, nova Sanctorum nomina in Martyrologium inferre, modo id rite, atque ex ordine fiat, boc est ee omnes, quas Apostolica Sedes præscripsit, serventur Regulæ, de quibus multa a Nobis fuso calamo prolata sunt in citato *cap.* 28. *præfati Operis de Canonizatione Sanctorum*.

Acta & Decr. Canoniz.

Hinc annis insequentibus, plura Sanctorum nomina Elogiis decorata, in Martyrologium, prævio Sacræ Congregationis Decreto, ac Summi Pontificis approbatione, translata sunt. Dolendum vero, quod e Sanctorum nominibus bene multa, in variis, quæ procusæ sunt Martyrologii editionibus, fuerint prætermissa, ex oscitantia, atque incuria eorum, quorum interetat Acta Congregationis adire, Decreta colligere, iisque ad novam nominum accessionem prudenter uti. Quidnam circa nomina Sanctorum Martyrum Stephani Abbatis, & ducentorum Monachorum, & sancti Petri de Cardegna olim contigerit, satis notum, neque injucundum erit paucis repetere. Decreverat Clemens VIII. Romanus Pontifex, instante Cardiuali Baronio, ut horum Martyrum nomina una eum Elogiis Romani Martyrologii tabulis inscriberentur. In iis tamen, quæ subsequutæ sunt, Martyrologii Editionibus res secus accidit, quandoquidem ob Typograpborum indiligentiam Martyrum illorum memoria Romanum Martyrologium diu earuit. Hioc nos adhuc in minoribus positi, quo sempore Promotoris Fidei munere fungebamur, illud curavimus, tandemque obtinuimus, ut Sacræ Congregationis jussu communis error castigaretue, & Martyrum illorum nomina sequuturis Editionibus omnino assuerentue. Qua de re in citato *cap.* 18. *num.* 6. Operis Nostri pridem egimus.

Pari laborant vitio supera Martyrologia.

V. Ne autem in id, quod in aliis olim reprehendimus, improvidi dilaberemur, mandavimus ut ex actis Sac. Rituum Congregationis Decreta omnia de Sanctorum nominibus Martyrologio inscribendis hue usque edita colligerentue, atque ut Romani Martyrologii Editiones quamplueimæ, eæ potissimum, quæ omnium novissimæ Typis excusæ sunt, consulerentue, ut si qui occurrunt defectus, facilius innotescerent. Has intee una Nobis oblata est Editio omnium postrema, quæ Venetiis anno 1745. prælo subjecta est. Verum ne istud quidem Exemplar integrum plane, & numeris omnibus absolutum occurrit, tum quia nonnulla Sanctorum nomina, quæ ex anterioribus Decretis describenda erant, deficiunt: tum quia insequentibus annis nova facta est Sanctorum accessio, quæ idcirco in nupero illo Martyrologio desideeatur.

Sanctorum, quorum nomina hic adduntur, series attexitur.

VI. Hioc ne Romanum Martyrologium sua fraudetur integeitate, oportuit novam hanc Editionem quamplurimis Sanctorum nominibus locupletare; quorum series in statos anni Ecclesiastici dies distributa, ea est, quæ sequitur.

Beatus Gregorius X.

Sextadecima die Februarii additur a Nobis *Beatus Gregorius X.* cujus in prælaudato *de Canonizatione Sanctorum Opere* non semel meminimus, nimirum *lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 17. *lib.* 2. *cap.* 24. §. 37., & *cap.* 42. *num.* 3. *atque in VIII. Appendice ad calcem lib.* 2. ubi integram atteximus Relationem, quæ hac in causa ab Auditoribus Causarum Nostri Palatii Apostolici elucubrata est.

Beata Zita.

Die vigesimaseptima Aprilis *Beata Zita*, de qua in nuper memorato Opere *lib.* 2. *cap.* 24. §. 27.

Beatus Nicolaus Albergatus.

Decima Maji *Beatus Nicolaus Albergatus*, de quo item in eodem Opere *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 16., & *lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 7., ac rursus in *Bullarii Nostri tom.* 1. *Constitut. CVIII.* Consulendum item Nostrum Opusculum de *Sanctis Bononiensibus*, cujus altera Editio, dum hæc scribimus, Typis subjicitur Patavinis.

B. Joanes de Prado.

Die vigesimaquarta Maji *Beatus Joannes de Prado*. Ejus acta, & monumenta prostant *in lib.* 1. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 27. *num.* 8.

S. Eneco Abbas.

Prima die Junii *Sanctus Eneco Abbas*, cujus meminimus *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 10., & *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 18. *num.* 8. Operis, de quo supra.

B. Benedictus XI.

Septima Julii *Beatus Benedictus XI.* de quo *in altero* Operis Nostri *libro cap.* 28. §. 46., & *cap.* 42. *num.* 8.

S. Dominicus de Sylos.

Vigesima Decembris die *Sanctus Dominicus de Sylos* Abbas Ordinis sancti Benedicti, de quo in memorati Operis *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 16.

Alia Beatorum Martyrum adduntur nomina.

VII. Etsi vero in Romano Martyrologio, juxta Regulas a Sac. Rituum Congregatiooe statutas, atqoe a Summis Pontificibus pluries confirmatas, enumeranda non sioe nomina Servorum Dei, qui in Beatorum dumtaxat numerum, non etiam

in Sanctorum Canonem relati sunt; qua de re multis egimus *lib. 4. part. 2. cap. 18. n. 2. ac 9. præallati Operis de Canonizatione Sanctorum*, ubi etiam nonnulla Sac. Congregationis Decreta protulimus; nihilominus aliquando contigit, ut Romani Pontifices, gravibus, justisque causis ita suadentibus, vel ipsa Beatorum nomina in Romanum Martyrologium intulerint; resque patet exemplis bene multis, quæ a Nobis allata sunt *in præcitato Opere, & loco sub num. 9.* Pari œconomia & Nos aliquot nomina Beatorum Martyrum, de quorum martyrio, miraculis, ac cultu aliquibus Ecclesiis, & Diœcesibus permisso, diligenti habita discussione plane constat, novæ huic Martyrologii Editioni diximus adjicienda. Id autem benigniori quadam dispensatione a Nobis gestum est; tum quia Martyrum cultus in Ecclesia Dei antiquior est cultu Confessoribus exhibito, ut in *lib. 1. Operis de Canonizatione cap. 2. n. 9. & seqq., & cap. 5. num. 3. & seqq.* pluribus demonstravimus; tum etiam, quia Martyrologia ideo fuerunt instituta, ut præsens, ac perpetua illustrium Heroum, qui pro Christi nomine vitam, ac sanguinem profuderunt, memoria ceteris Fidelibus exemplo esset, atque animos adderet. Insequentibus vero temporibus Sanctorum Confessorum, ac Virginum nominibus Martyrologia aucta sunt. *Nomen quoque Martyrologii, quod olim sonabat dumtaxat Indiculum Sanctorum Martyrum, nunc extensum est ad Syllabum plurimorum aliorum sanctorum Confessorum, ac sanctarum Virginum;* verba sunt *Theophili Raynaudi tom. 18. suorum Operum pag.* 500.

Enumerantur.

VIII. Eos igitur Beatos Martyres, quorum nomina novæ huic Martyrologii Editioni inserimus, enumeremus.

Viginti sex Martyres Japonici.

Die quinta Februarii addita a Nobis est *Commemoratio viginti sex Martyrum Japonensium*; e quorum numero tres ad Societatem Jesu pertinent; sex, nimirum tres Sacerdotes, totidemque Laici, ad Ordinem sancti Francisci; qui vero supersunt reliqui, secularibus accensendi. Relationem de illorum martyrio ab Auditoribus Causarum Palatii nostri Apostolici habitam, exhibet *Appendix II. ad lib. 3. Operis de Canonizatione Sanctorum*, in qua Martyris cujusque nomen singillatim exprimitur. De eorum cultu consulantur Literæ Apostolicæ in forma Brevis *apud Bollandianos tom. 1. mensis Februarii pag.* 740. Consulenda item, quæ a Nobis dicta sunt *lib. 1.* præfati Operis *cap. 30. num. 1.*

Novemdecim Martyres Gorcomienses.

Nona Julii accedit *Commemoratio Novemdecim Martyrum Gorcomiensium*, de quibus egimus in mox allato *cap. 30. num. 10., & in Appendice VI. ejusdem lib. 1. pag.* 403. (nunc 310.) Ex Literis Apostolicis in forma Brevis a Clemente X. Prædecessore Nostri datis, & cultus hisce Martiribus exhibendus probatur, & eorumdem Martyrum nomina expressa leguntur. Ex his, undecim enumerandi ex ordine Fratrum Minorum sancti Francisci de observantia; duo ex Fratrum Prædicatorum Ordine; duo item ex Ordine Præmonstratensium; unus ex Ordine Regulari sancti Augustini. Ceteri omnes Sacerdotes, & Parochi seculares habendi sunt.

B. Petrus de Arbues.

Decimaseptima Septembris Commemoratio *Beati Petri de Arbues*, de cujus martyrio a Nobis actum *in citata lib. 1. de Canonizatione Sanctorum cap. 30. num. 4.* Literæ Apostolicæ Alexandri VII. super illius Cultu extant in Bullario Rom. *tom. VI. Constit. CXXXIX.* ejusdem Pontificis.

B. Josaphat Polocensis.

Postremo in duodecimam Novembris diem rejecimus Commemorationem *Beati Josaphat Archiepiscopi Polocensis*. Seriem Actorum, quæ ad illius Causam pertinent, in superius citato *cap. 30. lib. 1. num. 2.* commemoravimus. Relationem, quæ pro more illius ætatis ab Auditoribus Causarum Palatii Nostri Apostolici confecta est, exhibet *Appendix III. ad lib. 3. de Canonizatione Sanctorum pag.* 520. (nunc 398.) *& seqq.* Literas Apostolicas in forma Brevis super ejusdem Martyris Cultu, suppeditat Bullarium Romanum *tom. V. Constitut. CCCIV.* inter eas, quæ Urbano VIII. Prædecessori Nostro adscribuntur.

Alii posteriorum Editionum defectus aperiuntur.

IX. Eos inter, quorum nomina Romano Martyrologio sunt consignanda, præcipuo quodam jure locum sibi vindicant Sancti, de quorum Canonizatione extant Apostolicæ Literæ plumbeo signo munitæ. Hac in re non semel deficiunt Martyrologii Editiones, quæ novam hanc præcesserunt. Si causam inquiramus, gemina occurrit: una quidem a monumentorum obscuritate; altera vero ab iis, quæ posteriori ævo peractæ sunt, Canonizationibus repetenda. Quo tempore utraque correctio sub Gregorio, atque Urbano absoluta est, nonnullæ Constitutiones, sive Apostolicæ Literæ de peculiari quapiam Canonizatione erant imperviæ; quæ tamen insequentibus annis ex ignorantiæ tenebris erutæ sunt. Hinc nil mirum, si Martyrologia, vel post sedulam correctionem, omnimoda careant integritate. Rursus, absolutis emendationibus, atque novis Martyrologii Editionibus prælo subjectis, nova in dies Beatorum nomina in Sanctorum Canonem relata sunt. Hinc quotquot ante Canonizationes prodierunt Martyrologia, hac in parte deficiant necesse est. Ex quo capite vel ipsa omnium recentissima Editio Venetiis procusa anno 1745. suos hac in re patitur nævos. *In lib. 4. de Canonizatione Sanctorum part. 2. cap. 18. num. 6. & 7.* aliquot afferuntur exempla Apostolicarum Literarum, quæ post memoratas correctiones inventæ sunt; aliquot etiam recitantur Decreta, quæ nomina Sanctorum, de quibus Apostolicæ Literæ loquuntur, Martyrologio inscribenda jubent. Utrique incommodo hac nova Editione occurrimus; siquidem Sanctorum nomina, sive ex Literis Apostolicis, quæ pridem latebant, eruta; sive recentiori ævo in Canonem Sanctorum relata, describi curavimus.

Nova nominum fit accessio.

S. Wilhelmus Archiepiscopus Bituricensis.

Quocirca decima mensis Januarii jure merito additur nomen *Sancti Willhelmi Archiepiscopi Bituricensis*, quem Honorius III. an. 1218. Sanctorum Catalogo adnumeravit. Literas Apostolicas, quæ Canonizationem testatam faciunt, exhibet *Codex Constitutionum Summorum Pontificum de solemni Canonizatione Sanctorum*, a Justo Fontanino Archiepiscopo Ancyrano collectus, ac Romæ editus an. 1729., in quo Honorii Constitutio refertur ordine XXXIII.

S. Wulstanus Episcopus Vigorniensis.

Die decimanona ejusdem mensis nomen *Sancti Wulstani Episcopi Vigorniensis*, quem Innocentius III. an. 1203. Sanctorum fastis adscripsit; resque indubia est *ex Constitutione num.* XXX. in memorato Fontanini Codice typis impressa.

S. Joseph a Leonissa.

Quarta Februarii nomen *Sancti Josephi a Leonissa*, qui solemni ritu in Sanctorum numerum a Nobis relatus est. De illo egimus in Opere *de Canonizatione Sanctorum l. 1. c. 24. n. 13., & in Apendice VI. ejusdem lib. pag.* 405. (nunc 311.) Nostras item de Canonizatione Literas dedimus die 26. Junii 1746.; quarum Exemplar *in Bullarii Nostri tom. II.*, qui sub Typis desudat adhuc, patet legentibus.

S. Catharina de Ricciis.

Decimatertia die ejusdem mensis nomen *Sanctæ Catharinæ de Ricciis*, cujus item solemnis Canonizatio a Nobis peracta est, atque in citato *Bullarii Nostri tom. II.* Canonizationis Bulla producitur. Huc revocanda, quæ scriptis consignavimus in Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 1. cap. 24. num. 13., in Appendice V. lib. 1. pag.* 39. (nunc 306.), *& in lib. 4. part. 1. cap. 19. num. 23. & 24.*

S. Robertus Abbas Casæ Dei.

Die decimaseptima Aprilis accedit nomen *Sancti Roberti Abbatis Casæ Dei*, quem Clemens VI. Sanctorum censui adscripsit. Hujusce Canonizationis Bulla est ordine LXIV. in citato Codice.

S. Godehardus Episcopus Hildesheimensis.

Quarta die Maji nomen *Sancti Godehardi Episcopi Hildesheimensis*, quem Innocentius II. Sanctis adnumeravit. Bulla Canonizationis prostat in relato Codice sub *num. VII.* Nosque de eodem argumento egimus in Opere *de Canonizatione lib. 1. cap. 8. num.* 15.

S. Petrus Regalatus.

Die tertiadecima ejusdem mensis nomen *Sancti Petri Regalati*, cujus solemnem Canonizationem peregimus, Bullamque conscripsimus, quæ in secundo *Bullarii Nostri tomo* allegatur. Semel & iterum in Opere Nostro de hac ipsa re sermonem instituimus, nimirum *lib. 2. cap. 24. §. 16., & in Appendice VII. ejusdem libri pag.* 429. (nunc 330.)

S. Nicolaus Peregrinus.

Secunda Junii nomen *Sancti Nicolai Peregrini Tranensis*, de quo in nostro *lib. 1. de Canonizatione cap. 44. num. 13. & 14.* Diploma super illius Cultu ab Urbano II. editum, jacet Ordine V. in

eodem

eodem Canonizationum Codice, de quo supra,

S. Willhelmus Archiep. Eboracensis.

Octava Junii nomen *Sancti Willhelmi Archiepiscopi Eboracensis*. De eo loquitur in Opere Nostro *l. 2. cap. 45. n. 13.* De ejus Canonizatione Bullam dedit Honorius III. quæ in relato Codice occurrit ordine XXXVIII.

S. Franciscus Regis.

Sextadecima Junii Nomen *Sancti Joannis Francisci Regis*, qui a Clemente XII. Prædecessore Nostro solemni ritu inter Sanctos adscriptus est. Non infrequens de eo in Nostro Opere incidit mentio. Consulatur *l. 1. cap. 24. n. 12.* & quæ in finem hujusce libri rejiciuntur *Appendix III.*, in qua Canonizationis Bulla integra exscribitur. Consulatur item *l. 3. cap. 6. n. 16.*

S. Theobaldus Eremita.

Die prima Julii nomen *Sancti Theobaldi Eremitæ*, quem Alexander Papa III. Sanctorum catalogo accensuit, Bullamque edidit, quæ in citato Canonizationum Codice refertur *sub num. XIX.* Licet & hinc Nostrum Opus indigitare, hoc est *lib. 1. cap. 18. n. 10. & cap. 9. num. 2.*

S. Camillus de Lellis.

Die quartadecima Julii nomen *Sancti Camilli de Lellis*, qui Sanctorum albo a Nobis adscriptus est, edita desuper Constitutione, de qua in Bullarii Nostri *tomo II.* Si quis plura hac de re nosse cupit, Nostrum adeat Opus *l. 1. cap. 24. num. 13. & seqq.*, *& Appendicem V. ejusdem lib. pag.* 405. (nunc 308.)

S. Franciscus Solanus.

In vigesimamquartam diem Julii conjecimus nomen *S. Francisci Solani*, de quo loquuti sumus in præcitati Operis *l. 1. Appendice X. pag.* 438. *& seqq.* (nunc 340.), *& cap. 24. n. 9. & 14.* Literas Apostolicas de illius Canonizatione edidit Prædecessor Noster Benedictus XIII., atque in prælaudato Fontanini Codice *sub n. CXIII.*, allegatur.

S. Stanislaus Kostka.

Decimaquinta Augusti nomen *S. Stanislai Kostkæ*, quem Prædecessor Noster Benedictus XIII. Sanctis adnumeravit, suamque dedit Constitutionem ordine CXV. inter eas, quæ in memorato Canonizationum Codice referuntur. Neque hocce argumentum in Opere Nostro silentio premitur, si percurrantur, quæ diximus *lib. 1. Appendice X. pag.* 437. (nunc 339.)

S. Bernwardus Episcopus Hildesheimi.

Vigesimasexta Octobris nomen *S. Bernwardi Hildesheimensis Episcopi*, a Cælestino III. inter Sanctos relati, ut patet ex Bulla Canonizationis in præcitato Codice *sub n. XXIV.* Hoc revocari possunt, quæ scripsimus *l. 1. de Canonizatione Sanctorum cap. 9. n. 7.*

S. Virgilius Episcopus Salisburgensis.

Vigesimaseptima Novembris nomen *S. Virgilii Episcopi Salisburgensis*, quia Gregorio IX. in Sanctorum numerum relatus est, ejusque Constitutio in sæpedicto Codice Canonizationum extat ordine XLIII.

S. Jacobus Picenus.

Vigesimaoctava ejusdem Mensis nomen *S. Jacobi Piceni*, quem, ut ex Bulla CIX. quam Fontanini Codex exhibet, compertum est, prædecessor Noster Benedictus XIII. Sanctorum numero sociavit. Frequentior de eodem occurrit memoria in Opere Nostro, si evolvantur, quæ dedimus *in Appendice X. lib. 1. pag.* 437. (nunc 339.) *lib. 2. cap. 51. num. 2.* tum etiam *lib. 3. cap. 23. num. 9. cap. 24. num. 36. & cap. 30. num. 24.*

S. Sturmius Abbas Fuldensis.

Postremo in decimamseptimam Decembris diem retulimus nomen *S. Sturmii Abbatis Fuldensis*, de cujus Canonizatione ab Innocentio II. peracta, indubium extat Apostolicæ Constitutionis monumentum in mox relato Codice *sub n. IX.*

Nomen Beati, supposito Sancti titulo, aliquando immutatur.

X. Fatemur, alia proferri posse Sanctorum nomina cum a Nobis, tum a Nostris Prædecessoribus Sanctorum Canoni adscripta, quorum in ea, quam supra coordinavimus, Sanctorum serie nulla fit mentio. Id facor fatemur: Non ideo tamen novæ Martyrologii Editionis integritati quidquam detrahitur. Aliquot nomina, veluti Vincentii de Paulis, Fidelis a Sigmaringa, & aliorum, in anterioribus Editionibus, apposito *Beatorum* titulo, continentur. Supervacaneum idcirco duximus ea hic repetere. Hinc supposito dumtaxat *Sancti* vocabulo, & veteri *Beatorum* titulo abraso, ea intacta reliquimus. Quod si alia adhuc supersint Sanctorum nomina, quæ in superiori catalogo missa fecimus, nihil inde contra novam hanc Editionem licet opponere. Jam enim præmonuimus, sola eorum nomina, de quorum solemni Canonizatione nulla suboriri potest dubitatio, a Nobis fuisse supradicta. Quotquot igitur proferri possunt e Beatorum, Sanctorumve censu, qui ejusmodi prærogativa carent, aut Romano Martyrologio nullo nunquam tempore fuerunt adscripti, a Nobis omittuntur, quia ab eo, quod nobis præscripsimus, deviat instituto.

Multorum studia, ut nova Beatorum nomina Martyrologio inferantur.

XI. Huc usque facili tramite, nullaque obsistente controversia, progressa res est. At vero diffusa per hanc Urbem fama, novam Martyrologii Romani Editionem adornari, Sanctorumque nomina in anterioribus Editionibus præmissa, a Nobis in novas Martyrologii Tabulas referri, multorum excitata sunt studia, scripturis atque lucubratinoibus admota manus, preces additæ, ut quamplurima Sanctorum nomina in novum hunc Codicem conveherentur; quamvis de illorum Canonizatione nullum probatæ fidei suppeteret monumentum. Alii Servorum Dei, Beatorum alii ostentabant nomina, quorum nonnulla Sanctorum titulo decorata sunt, & cultu immemorabili, hoc est spatio annorum centum ante Urbani VIII. Prædecessoris Nostri Decreta illis exhibito, nobilitata. Ad hæc, eorumdem cultum a Sacra Rituum Congregatione maturo judicio expensum atque probatum, Cultus item extensionem, Missa, & Officio, necnon Lectionibus vel de communi, vel etiam propriis pro peculiari quadam Familia, vel Diœcesis concessis, confirmatam, totis urgebant viribus. Quo argumentorum genere ea attingitur controversiæ pars, quæ dicitur de casu excepto a Decretis Summi Pontificis Urbani VIII., de qua fusiore stylo a Nobis actum est *tom. 2. de Canonizatione Sanctorum cap. 17. & cap. 24.*

Ea tamen refelluntur.

XII. Ab hisce tamen petitionibus facili negotio Nos expedivimus. Cum enim juxta præstitutos a Nobis Canones, non liceat in Martyrologium referre nomina illorum, qui post sedulum super virtutibus, atque miraculis examen, solemni ritu in Beatorum dumtaxat numero recensentur; potiori jure nefas erit Martyrologio illos accensere, qui ex nuda cultus immemorabilis approbatione, Beatificati dicuntur per æquipollens; eorum tamen virtutes nec discussæ, nec probatæ fuerunt, antequam pro cultu immemorabili judicium prodiret; ideoque ad trutinam revocandæ sunt, ut eorum Causa ad Canonizationem progrediatur. Haud immerito igitur oblata Nobis petitiones rejecimus; atque ut æquiori animo Postulatores acquiescerent, ea item addidimus, quæ opportune ad rem hanc a Nobis fuerunt exposita *lib. 4. de Canonizatione Sanctorum part. 2. cap. 18. num. 2. & seqq.* ubi de Cultus argumento cum Missa, & Officio, uberius tractavimus.

Satisfit allatis in contrarium exemplis.

XIII. Sat novimus, Prædecessores nostros in Romano Martyrologio aliquando scripsisse nomina eorum, qui solemniter, atque ut ajunt, formaliter in Beatorum numerum relati non fuerant, sed tantummodo per æquipollens, discusso videlicet, ac probato eorum dumtaxat cultu immemorabili, juxta præscriptum Decretum Urbani VIII. Prædecessorum Nostrorum facta veneramur; quominus vero hac in parte eorum vestigiis inhæreamus, ea, quam supra dedimus, monet ratio; ne scilicet a statutis Regulis, quas accurate servandas Nobis proposuimus, pedem moveamus. Præterea, si Martyrologio omnia adjiciantur nomina eorum, quorum cultum immemorabilem Sacra Rituum Congregatio probavit, ingens nominum accedet multitudo, quemadmodum ex nostro *lib. 2. de Canonizatione Sanctorum* licet colligere. Cumque horum numerus in dies magis adaugeatur, brevi fiet, ut Romanum Martyrologium tot auctum nominibus, in maximum volumen excrescat.

Argumentum ex ineditis Baronii manuscriptis petitum, refellitur.

XIV. Ut sacræ Editionis, ac Theologicæ facultatis studia magis excolantur, instituimus Academiam quavis feria secunda cujusque hebdomadæ coram Nobis habendam, ut quotquot ad eam conveniunt docti, ac præstantes viri, stata vice, atque ordine suas, sive de Ecclesiastica Historia, sive de re Liturgica, sive etiam de Sacris Canonibus, ac Theologicis controversiis proferant lucubrationes. Ex his nonnulli, qui soluto conventu, ad privata colloquia a Nobis admittuntur, Nobis

signi-

significarunt, inter cetera Manuscripta; quæ in insigoi Bibliotheca Vallicellana servantur, plura esse splendida quidem monumenta ad Venerabilem virum Cardinalem Baronium transmissa, quibus probatur, aliqua Sanctorum nomina in Romano Martyrologio immerito fuisse prætermissa; ideoque, eodem Baronio judice, in onvam Martyrologi Editionem, quando eam fieri contingeret, esse transferenda. Indicium hoc de invento thesauro libenti animo excepimus. Hinc, nulla interposita mora, chartas, & monumenta omnia ad Nos deferri curavimus, evolvimus, inspeximus; sed contra præconceptam expectationem, nihil, aut fere nihil ad rem hanc opportunam adinvenimus. Immo vero, quod peculiari admiratione dignum est, tantum abest, ut egregius ille Cardinalis propensior fuerit ad inferenda in novam Martyrologii Editionem Sanctorum illorum nomina, ut potius, sicut e brevibus quibusdam notis ab illo additis licet arguere, in oppositam sententiam descendere videatur. Enimvero scite animadvertit, nominum illorum seriem, aut solos Dei Servos comprehendere, quorum cultus angustis peculiarium locorum finibus continetur; aut sub latiori Sanctorum titulo Beatos dumtaxat attingere, quorum nomina, juxta eas, quas supra memoravimus, regulas, Romano Martyrologio accenseri non solent.

Sanctorum Index Martyrologio inferendus, ab eruditis conficitur.

XV. Hac cura seposita, successit alia, quam Eruditorum studia, ac labores Nobis excitarunt. Hi namque nocturna, diuturnaque manu versantes Acta Sanctorum a doctis Bollandianis collecta, plura item vetera Martyrologia, Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti a Patre Mabillonio edita, aliaque Ecclesiasticæ eruditionis monumenta, quibus nostra ætas abundat, uberem Sanctorum Indicem Nobis exhibuerunt, ut nova Sanctorum copia Romanum Martyrologium ditesceret. Neque a ratione, vel æquitate alienum putabant, quod petebatur. Cum enim ex præfato *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 18. *num.* 11. Operis Nostri cognoverint inscribendos esse Romano Martyrologio non solum eos, de quorum Canonizatione ex Literis Apostolicis sub plumbo, constat, sed & illos, qui ex veteri more, ac ritu priscis Ecclesiæ temporibus observato, priusquam Apostolica Sedes Beatificationum, & Canonizationum Causas sibi dumtaxat cognoscendas, & definiendas reservasset, in Sanctorum Catalogum fuerant relati: hoc eodem argumento usi sunt, ut Sanctorum illorum nomina, quorum par erat causa, & conditio, meritum in Martyrologio tenerent locum.

Circa inanis exploditur.

XVI. Et horum tamen vota, ac postulata inania dimisimus. Haud inficiamur, Martyrologio esse inscribendos non solum eos, qui juxta recentem Ecclesiæ disciplinam, sed & eos, qui juxta veterem Ecclesiæ ritum in Sanctorum numerum relati sunt. Verum si ejusmodi ritum, atque usum antiquiori ævo in more positum introspiciamus, patebit eos Sanctorum fastis fuisse adscriptos, quorum cultus suam novit originem ab approbatione Episcoporum, in quorum Diœcesi Servi Dei ex hac vita ad cælestem Patriam translati sunt: hinc paulatim ex una ad aliam Ecclesiam, tandemque in universum Orbem Catholicum Cultus ille diffusus est, non sine expressa, aut saltem tacita Romani Pontificis consensione, ut fusiori sermone demonstravimus *in lib.* 1. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 6. n. 9. At vero Sanctorum nomina in oblato Elencho descripta, Cultus, quem modo descripsimus, carent prærogativa; sive Cultus initia, sive progressum, sive etiam propagationem ad veterem Ecclesiæ disciplinam exigamus. Nulli ergo irrogatur injuria, si prolixa nominum series Nobis tradita, in Romanum Martyrologium translata non fuerit; esto plerique illorum, quos series illa complectitur, ad ea revocentur tempora, quæ novam Ecclesiæ disciplinam super Causarum Beatificationum, & Canonizationum cognitione antevertunt.

Exempla e Martyrologio petita, non efficiunt.

XVII. Quod si nulla vel ex ipso Romano Martyrologio produci possint exempla Sanctorum, qui supremum diem in Domino clauserunt, cum adhuc vetustior illa de Sanctorum Canonizatione vigeret disciplina, quamvis eorum Cultus extra unius, vel alterius Diœcesis fines protensus olim non fuerit, nec etiam hodie protendatur; hæc tamen exempla tanta non sunt, ut ab ea, quam semel statuimus, sententia, animum nostrum divellant. Jam enim supra monuimus, atque hic constanter repetimus, Nobis fuisse propositum, novam Martyrologii Editionem adornare, salvis tamen, neque integris, quoad fieri poterit, anteactis Martyrologii correctionibus, iisque servatis regulis, quæ post emendationes illas statutæ sunt. Cum ergo a præstitutis hisce regulis ille recedat, qui aut Beatorum nomina, aut memoriam Sanctorum, qui juxta veterem Ecclesiæ ritum, vel juxta recentem Ecclesiæ disciplinam in Canonem relati non sunt, Romano Martyrologio inscribit, extra tritam hanc semitam pedem efferre noluimus; quidquid senserint alii, qui rationem, ac methodum hac in parte dissimilem sequi maluerunt.

Alii leviorem quamdam Martyrologii emendationem suadent.

XVIII. Quæ huc usque diximus, ea sunt, ut & animi Nostri sensus satis aperiant, & ab ulterioribus molestiis Nos eximant. Verum necdum alienis postulationibus, Nostrisque curis finis impositus. Fas aliquando, ut in Nostro opere *de Canonizatione Sanctorum lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 17. *n.* 9. *&* 10. animadvertimus, sedem Apostolicam adire, atque illi, ea qua decet animi demissione, proponere errati alicujus, quod in Martyrologio irrepsit, emendationem. Hinc non defuere, qui hujusce libertatis prætextu, leviorem quamquam Romani Martyrologii recensionem obtineri posse putarint. Non enim, ut ipsi ajebant, aut nostro consilio, aut nostro id repugnat instituto de servandis correctionibus pridem habitis; siquidem unius, vel alterius loci immutatio usque adeo levis est, ut nullo, aut fere nullo habeatur in pretio.

Proponitur controversia de Clementis Alexandrini nomine.

XIX. Ex iis vero, qui peculiari emendatione indigent, locis, quartam Decembris diem innuebant, cui Clementis Alexandrini nomen inscriberemus; Recentiorum eruditorum aliquibus ægre ferentibus, nomen Viri doctrina, & pietate conspicui, in Romano Martyrologio fuisse præteritum. Hanc controversiam intactam relinqui, nova hæc, quam curamus, editio non patitur; hinc operæ pretium duximus, Apostolicas inter solicitudines, quibus assidue gravamur, sedulo inquirere, quidnam cum veteres, tum recentiores Ecclesiastici Scriptores de Clemente Alexandrino, cujus causam tractandam suscipimus, literis consignaverint.

Veterum Scriptorum de Clementis sanctitate, & doctrina, suffragia.

XX. Vixit Clemens tertio Ecclesiæ seculo ineunte; Præceptorem coluit Pantænum, qui Stoicam Philosophiam professus est, antequam Christianæ Religioni nomen daret; discipulum habuit Origenem. Alexandrinæ Ecclesiæ fuit Presbyter; ibique celeberrimæ ejusdem Scholæ præfuit. Eusebius Pamphili, qui sub quarti seculi initia floruit, *lib.* 6. *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 14. affert fragmentum Epistolæ S. Alexandri Episcopi Jerosolymitani ad Origenem scriptæ, in qua *Sancti* titulo Clemens donatur: *Patres agnoscimus*, inquit, *Beatos illos, qui viam Nobis præiverunt.... & Sanctum Clementem Dominum item meum, qui me plurimum adjuvit*. Sanctus Hieronymus in *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, quem circa finem seculi quarti elucubravit, fere geminas congerit laudes ab eodem sancto Alexandro Clementi tributas, hisce verbis: *Hæc vobis domini, ac fratres scripta transmisi per Clementem Beatum Presbyterum Virum illustrem, & probatum*. *Theodoretus* quinto seculo clarus, *lib.* 1. *Hæreticarum Fabularum cap.* 6. *Clementem vocat Virum Sanctum*, cui consonat *Chronicon Paschale*, ubi Chronici Auctor *pag.* 7. hæc habet: *Clemens Sanctissimus Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter*. Eodem in sensu sanctus Maximus Monachus Constantinopolitanus, cujus ætas ad septimum Ecclesiæ seculum revocatur, affert fragmentum quoddam *ex lib. de Providentia*, quem dicit esse *Sanctissimi Clementis Presbyteri Alexandrini*, ut legimus in tomo 2. *Operum Sancti Maximi* Versionis, atque editionis Patris Combefis *pag.* 144. Succinit Joannes Damascenus octavi seculi Scriptor notissimus, qui, in *Tractatu de duabus Christi voluntatibus*, cujus fragmentum producitur inter *veterum Scriptorum testimonia*, quæ *tom.* 1. Operum Clementis Alexandrini Editionis Oxoniensi præmittuntur, pari laude Clementem *Beatum* appellat. Missa facimus elo-

elogia, quibus Clementie doctrina commendatur; cum omnium loco esse possit, quod Sanctus Hieronymus *in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 38. ipsius Clementis operibus tribuit, ita scribens. *Feruntur ejus insignia volumina, plenaque Eruditionis, & Eloquentiæ, tam de Scripturis Divinis, quam de secularis literaturæ instrumenta*: & in Epistola ad Magnum: *Quid in illis indoctum? imo quid non e media Philosophia est?*

Assipulantur Recentiores.

XXI. Eadem fere quæ veteres Sceiptores de Clementie sanctitate affirmant, repetunt Auctores quamplurimi, qui recentiori ævo claruerunt. Id vero euique compertum erit, qui consulat *tom.* 2. Operum Clementis præfatæ Editionis Oxoniensis *pag.* 1041. *in not. ad num.* 8., *tomum* 1. *Bibliothecæ Cancionatoriæ Patris Combefis pag.* 9., Patrem Ruinart *ad Acta Martyrum pag.* 135., Patrem Honoratum a S. Maria in locis quamplurimie Operis, cui titulus, *Animadversionis in regulas, & usum Critices*, Patrem Aubreussell *de Abusibus Criticæ tom.* 2. *pag.* 53., Natalem Alexandrum *tom.* 3. *Editionis Parisiensis pag.* 307., Patrem Calmet *lib.* 56. *Historiæ universalis tom.* 5. *pag.* 72. & *sequens. n.* 106. & *n.* 109.

Martyrologia quamplurima Usuardi cum primis, Clementi favent.

XXII. Præterea in Martyrologio Usuardi quarta Decembris die occurrit memoria sanct Clementis, ejusdem scilicet Clementis, de qua loquimur. Huic Martyrologio addi possunt & alia posteriora, nimirum Vespucei editum aun. 1486., Maurolycii ann. 1568., Galesinii an. 1578., Ferrarii, & aliorum, quæ missa facimus. Tantam enim sibi vindicat auctoritatem unum Usuardi Martyrologium, ut robur, & firmitas aliunde frustra petatur. Ex quo factum, ut Scriptores plurimi, qui *Sancti* titulum Clementi Alexandrino conciliarunt, Usuardi sententiam prætendentes, quamcumque sive invidiam, sive censuram effugerint, uti ratiocinantur Patres Bollandiani *tomo 6. Mensis Maii pag.* 777. *nu.* 13. Baillet *ad diem* 4. *Decembris tomo* 3. *pag.* 65. & *seqq.*, Tillemont *tomo* 5. *pag.* 195. Haud satis igitur Clementis Alexandrini decori consuluisse videtur Cardinalis Baronius, qui Clementis nomen, quod in Usuardi Martyrologio perlegerat, in Romanum Martyrologium non transtulit.

Alii Clementis errores denegant.

XXIII. Neque hic sistunt Clementie Patroni, ex quorum sententia hactenus loquuti sumus. Multam illis ingerit difficultatem Gelasii Papæ Decretum, quo Clementis Alexandrini Opera apocriphie accensentur; non enim levis suspicio est, Gelasii Decretum in causa fuisse, ne hujusce Clementis nomen Romanis fastis inscriberetur, ut scite animadvertunt celebres Patres Bollandiani *tom. 6. Junii* in notis ad Martyrologium Usuardi. Hinc, ut ab hoc obice sese expediant, qui Clementis causam tuentur, nullum non movent lapidem, ut Clementis Opera ab erroribus aut prorsus vindicent, aut saltem excusent. Pater Nourry *in Apparatu ad Bibliothecam Maximam Sanctorum Patrum tom.* 1. *lib.* 3. summa diligentia, ac eruditione singula Clementis Opera recenset, illustrat, atque ab erroribus, quorum insimulantue, purgare contendit. Ceillier *tom.* 2. *de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 26. *num.* 14. *pag.* 314. errores quidem non diffiteтur, sed alienos, atque ab Hæreticis insertos affirmat. Pari conatu in alio Opere, cui titulus, *Apologia Moralis Sanctorum Ecclesiæ Patrum cap.* 2. maculas omnes, quas Joannes Barbeirac in Clemente Alexandrino detegit, conatur diluere. Calmet in Opere, & loco supra relatis fatetur, errores, qui in Clementis Operibus occurrunt, non esse Clementis fœtum, sed ab eo in aliena sententia, quam deinde refellit, produci.

Excusant alii.

XXIV. Alii vero ex Clementis Fautoribus, cum fateri cogantur, Clementem Alexandrinum non in alieno, sed reipsa in proprio sensu alicubi errasse, aliam ineunt viam, ut reatum, quem omnino excludere nequeunt, saltem imminuant, atque in benigniorem partem excipiant. Dupinus *Tomo* 1. *Bibliothecæ pag.* 208. *Editionis Parisiensis anno* 1696. Clementem ait lapsum, quo tempore Christianæ Religionie Mysteriis nondum erat satis instructus. Annatus *in Apparatu Theologiæ positivæ lib.* 4. *art.* 7., Operum Clementis Alexandrini Indicem texit, & quæ contra objiciuntur, studet evertere. Bollandiani Patres de Gelasii censura contra Clementis Opera multum solliciti, *tomo* 4. *mensis Junii in egregia Dissertatione de divisione Apostolorum pag.* 12. *num.* 2. probare conantur, duos extitisse Clementes Alexandrinos cognomine, ideoque Gelasii Decretum, quod *alterius Clementis Opuscula* rejecit, de alio quodam Clemente, non etiam de eo, de quo hic agimus, esse intelligendum. Joannes Baptista Poza Gelasiani Decreta verba penitus introspiciens *in Apologia, quam scripsit ad Summum Pontificem Urbanum VIII.* ut Opus suum, quod inscribitur *Elucidarium*, vindicaret, *pag.* 3. *terga* censet, Gelasiani Decreti vim eam non esse, ut Opera omnia proscribat, quæ inter apocrypha annumerat; sed illud dumtaxat discriminis statuisse inter Opera, quæ publice, cum Divina Officia peragebantur, legi poterant; & ea, quæ nonnisi privatæ lectioni permittebantur; quo in sensu Clementis Opera dici putat apocrypha, quod inter Divina Officia, publica illorum lectio, non etiam privata inter domesticos parietes vetaretur. Hanc sententiam loquitur Gelasius *in Adnotationibus*, quas Martyrologio suo addidit *sub die* 4. *Decembris*, ubi de Clementie Alexandrini Opeeibus ita loquitur: *Sunt tamen ejus Opera ex Gelasii Sanctione in apocryphis, ita scilicet; quemadmodum Covarruvias interpretatur, ut caute privatim legantur, publice autem in Ecclesia nullo sane modo.*

Graviores quæ Clementi obstant difficultates proponuntur.

XXV. Hæc sunt, quæ a Scriptoribus cum vetustis, tum recentioribus, nedum Catholicis, sed etiam Heterodoxis colligere licuit, atque huc transferre, non inani quadam affectatæ eruditionie, sed eo dumtaxat consilio, ut quæ Clementi Alexandrino favere videntur, citra simulationem omnium oculis subjiceremus. Hæc vero tanta non sunt, ut Nos inducant in eorum sententiam, qui Clementis hujusce nomen Martyrologio Romano inscribendum putant. Rationes, quibus innitimur, infra dabimus, non ut de Clementie Alexandrini laudibus quidquam detrahamus, sed ut pateant graviores difficultates, quæ Nobis impedimento sunt, quominus Clementie nomen quidquid sit de ejus doctrina, ac probitate, in Romanum Martyrologium inferamus.

Veterum Scriptorum de Clementis Sanctitate silentium.

XXVI. Prima, quæ difficultatem ingerit ratio, petitur a veterum Scriptorum silentio de moribus, ac vita Clementis Alexandrini. Unus Eusebius Pamphili *lib.* 6. *cap.* 11. *Historiæ Ecclesiasticæ* affert fragmentum Epistolæ Alexandri, qui Jerosolymorum rexit Ecclesiam, multa sane cum laude de Clemente loquentis; quo eodem monumento Hieronymus, ut supra adnotavimus, *in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis* usus est. Ita vero se habet Eusebii locus: *Porro has Litteras, Domini Fratres, per beatum Presbyterum Clementem ad vos misi, Virum virtute praeditum, & probatum: quem Vos & nostis jam, & amplius cognoscetis. Qui quidem Dei nutu, & providentia, dum hic apud Nos præsens esset, Ecclesiam Christi & confirmavit, & magnopere auxit.* Etsi vero hæc verba, interprete Henrico Valesio, qui hac in re D. Hieronymum sequitur, de Clemente Alexandrino sint excipienda, nihil inde colligitur quod præcipuam quamdam, insignemque Clementis prodat Sanctitatem; cujus idcirco splendidum monumentum Martyrologii Romani Tabulis sit consignandum. Non enim in una, vel altera bonorum Operum specie Sanctitas, de qua hic loquimur, sita est; sed virtutibus in gradu heroico assidue exercitis, atque ad obitum usque productis, probatur. Quocirca licet hic repetere, quod Calmet loco superius indicato scriptum reliquit de Clemente Alexandrino: Nos memoriis vitæ, quam peregit, mortis, quam obivit, destitui. Præterquamquod, Eusebii hominis Ariani testimonium favore Clementis Alexandrini, tamquam infidum ab iis traducitur, qui aliqua Arianismi semina in Clementis Operibus introspiciunt; In quorum numero habendus Petavius, qui *tom.* 2. *Theologicorum Dogmatum lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 1. ita Clementem sugillat. *Naturam uis Filii Omnipotenti Deo citimam esse, quod Platonici, & Ariani Dogmatis indolem sapit.*

Nulla de Cultu Clementi exhibito, mo-

XXVII. Altera ratio sic habet: Nullum monumentum, imo nec ullum quidem vestigium superest Cul-

Cultus quem aliqua Ecclesia aut Diœcesis, expresso vel tacito Catholici Episcopi assensu, & exhibuerit Clementi Alexandrino. Parum vero refert, eum vita cessisse, antequam in Ecclesia Dei mos invalesceret publico cultu honorandi inclytos Christi Confessores; qui mos in Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali, nonnisi quarto Ecclesiæ seculo primum incipit, ut Eruditi conveniunt, Nosque probamus *lib. 1. de Canonizatione cap. 5. num. 3. & seq.* Etenim neminem latet, priscos Ecclesiæ Fideles ex præconcepta, animisque indita eximiæ Sanctitatis opinione, vel ipsos Confessores qui in Domino obdormiverant, cultu publico venerari consuevisse; etiamsi ac de re solemni disciplina, ac ritus nondum ab Ecclesia fuisset introductus.

Clementis opera multis suspecta. XXVII. Tertia sequitur ratio, quæ Clementis Alexandrini Opera sin minus erronea, saltem suspecta, Nobis inspicienda proponit. Enimvero Petavius, cujus verba supra recitavimus, Clementem Arianismi insimulat, esto Nourry *in Apparatu tom. 1. pag. 183. & seq. & pag. 952. & seq.* hanc labem amoliri contendat. Cassiodorus hoc de Commentariis Clementis Alexandrini in Canonicas Epistolas judicium profert *tom. 2.* suorum Operum *de Institutione Divinarum Literarum cap. 8. In Epistolis autem Canonicis Clemens Alexandrinus Presbyter, qui & Stromateus vocatur, idest in Epistola Sancti Petri prima, Sancti Joannis prima, & secunda, & Jacobi, quædam attico sermone declaravit, ubi multa quidem subtiliter, sed aliqua incaute locutus est, quæ Nos ita transferri fecimus in latinum, ut exclusis quibusdam offendiculis, purificata doctrina ejus securius posset hauriri.* Aliquod & hic sibi quærunt effugium Clementis Patroni, ajentes hoc Opus, in quo multa improbantur, non ipsi quidem Clementi, sed alteri incerto Auctori tribuendum. Libros octo Hypotyposeon, sive Institutionum, multis scatere erroribus affirmat Photius, qui in Codice 109. suæ Bibliothecæ longum illorum attexit indicem, atque ita prosequitur. *Quin etiam & alia id genus sexcenta blasphemia voce ungatur, sive ipse, sive quis alius ejus personam indutus; plane ut octo ipsos Libros hisce blasphemiarum portentis, de iisdem identidem disserendo, ac sparsim, atque confuse velut stupore percolsus, Scripturas procedendo repleverit.* Graviora quidem sunt hæc; ea tamen intelligenda esse non de erroribus, in quos Clemens lapsus fuerit, sed de iis, quos ille ex aliena sententia refert, atque refellit, sentiunt nonnulli, qui Clementis partibus impensius student. Addunt insuper, arduum sane esse rectam ferre sententiam de memorato Clementis Opere quod nusquam existit, aut certe integrum non habetur, ut Calmet in loco superius citato ratiocinatus.

Gravior in eadem Opera, ex Gelasiano Decreto Censura. XXIX. Eadem tamen contra eos Clementis libros, qui & Clementem norunt auctorem, & Eruditorum teruntur manibus (hi vero sunt libri Pædagogi, Stromatum libri, aliique numero pauci) objiciuntur incommoda. De hisce Operibus scribit Aubertus Miræus *in Bibliotheca Ecclesiastica Fabritii cap. 38. pag. 152. In libris ejus nonnullæ sententiæ occurrunt, quæ errorem sapiunt.* Miræo præiverat Ven. Cardinalis Bellarminus, qui Clementis Opera in celeberrimis adversus Hæreticos controversiis tractandis diligenter inspexit, subactoque judicio examinavit. *Non desunt,* ita ille *in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in hoc insigni Auctore sententiæ aliquæ, quæ errorem sapiunt, quas in libris nostris Controversiarum notavimus &c. Utrum autem sententiæ illæ ab Hæreticis insertæ sint, ut aliqui pie credunt, an Auctori more humano exciderint, ignoramus.* Alia Scriptorum testimonia missa facimus, cum non levem de Clementis Operibus ingerat suspicionem censura Decreti Gelasiani, quod ex antiquissimo Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ a Justo Fontanino Archiepiscopo Ancyrano editum est *in Appendice Antiquitatum Hortæ pag. 317. & seqq. primæ Editionis.* Hocce Decretum, ut praenotavimus, Clementis Opera recenset inter apocrypha, non eo quidem in sensu, ut eorum publicam dumtaxat lectionem, non etiam privatam interdicat, sed verius, quod Opera illa erroribus sint aspersa: quam interpretationem sequuntur, & probant Doujat *de Prænotionibus Canonicis lib. 2. cap. 18. num. 1. in fine*, Cardinalis Bellarminus *de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Clemente Alexandrino*, Carolus Dufresne *in Glossario* Ver. *Apocrypha*, Pagi *in vita Gelasii nu. 4. pag. 227.* Magri *in Vocabulario Ecclesiastico.* Ver. *Apocryphus.*

XXX. Quisquis citra partium studia, maturo judicio secum expendat quæ a Nobis hucusque prolata sunt, profecto fateri cogitur Clementis Alexandrini doctrinam dubiam saltem, suspectamque esse de erroribus, quibus, avertendis Clementis Fautores animum torquent, atque a variis interpretationibus, effugiis, exceptionibus præsidium quærunt, ne gravius in Opera illa intorqueatur sententia. In hoc autem rerum statu, nemo, qui sapiat, affirmabit Clementis Alexandrini nomen Martyrologii Romani venerando Codici esse inscribendum. Enimvero quamvis Magni Constantini nomen in Græcorum Menologio inter Sanctos fuerit relatum; quamvis de cultu in Ecclesia Orientali illi exhibito nulla suboriatur dubitatio; nihilominus in Martyrologium Romanum Magni Constantini memoria numquam translata est, quod illum aut hæresi Ariana aspersum, aut in Arianos propensiorem, fuisse, nonnulli fuerint suspicati; quam tamen Arianismi maculam Bollandiani *tomo 5. mensis Maii die* 21., & Natalis Alexander *tomo 4. Histor. Ecclesiasticæ dissert.* 24. a tanto viro student amoliri. Percurrenda item, quæ a Nobis in hanc rem scripta sunt *in lib. 2. de Canonizatione Sanctorum cap. 36. num. 16.*, & novissime a Costadoni *in suis Observationibus super veterem Tabulam Græcam num. 14.* *Clemens de erroribus suspectus, a Martyrologio excludendus.*

XXXI. Neque ad rem faciunt, quæ opponuntur exempla, alterum Hilarii Arelatensis Episcopi, alterum Vincentii Lirinensis, quorum uterque, nimirum Hilarius die quinta, Vincentius vero die vigesimaquarta Maii in Martyrologio Romano commemoratur; quamvis eorum doctrina Semipelagianismi labe fuerit aspersa. Siquidem, etsi viros illos Semipelagianismi errore tactus concederemus, quod tamen plures denegant, qui Catholicam eorum sententiam egregie tuentur; excusandi tamen, si quid humani hac in parte illis exciderit; nondum enim Catholica doctrina supremo Apostolicæ Sedis judicio fuerat definita, ut in *lib. 2. Operis de Canonizatione cap. 19.* pluribus disputavimus. At contra Clemens Alexandrinus in ea Catholicæ Religionis Dogmata, quæ pridem statuta fuerant, & inconcussis Ecclesiæ Decretis firmata, peccasse creditur. Cum igitur plane dissimilia sint, quæ producuntur, exempla, immerito doctus Pater Halloix *tomo 2. Scriptorum Illustrium Ecclesiæ Orientalis* in notis *ad vitam Pantæni cap. 2.* conqueritur, se vehementer mirari, quod in Martyrologio Romano nomina aliorum veterum Patrum, qui in varios errores lapsi fuerant, describantur; nomen vero Clementis Alexandrini nullibi reperiatur. *Quæ opponuntur exempla, Clementis causam non juvant.*

XXXIII. Nec majoris momenti sunt cetera, quæ pro Clemente Alexandrino superius retulemus; atque illud cum primis, quod *Beati, ac Sancti* nomine a multis donetur. Horum agmen, uti vidimus, ducit Eusebius, cujus verba e Sancti Alexandri Jerosolymitani Episcopi Epistola deprompta supra produximus, quæ juxta Versionem Henrici Valesii ita sonant, *Sanctum Clementem Dominum item meum.* Verum si verborum proprietatem ad Græcum textum exigamus, *Sacer* potius, quam *Sanctus* Clemens vocandus est, ita namque atticus sermo habet, τὸν ἱερὸν κλήμεντα. Sed etsi ultro daremus *Sancti*, ac *Beati* nomen Clementi Alexandrino fuisse tributum, non ideo tamen de singulari illius Sanctitate judicium ferendum est. *Sancti* denominatio primis Ecclesiæ temporibus Religionis potius, quam Christiani profitebantur, quam probati cujusque moris indicium erat. *Qui olim Christiani*, inquit Spondanus in *Epitome Annalium Cardinalis Baronii ad an. Christi 43. n. 4. iidem nominabantur Sancti, ut a Paulo sæpe, ac Luca, posterisque Ignatio, Philone, Polycarpo, Tertulliano & aliis.* Hinc ut in *l. 4. de Canonizatione Sanctorum* *Quæ in sensu Sancti, titulo Clemens donetur.*

part.

part. 2. *cap.* 27. *num.* 14. satis probavimus, unus *Sancti* titulus par non est, ut Corpora quæ ex Catacumbis efferuntur, sacro Cultu donentur: sicut enim prænotavimus, in primæva Ecclesia *Sancti* vocabulum, nec vitæ Sanctitatem, nec Martyrium pro Christi nomine toleratum, sed Christianæ Religionis, quæ cuique Fidelium communis erat, integritatem declarabat. Successu vero temporis, ut Spondanus animadvertit, *Sancti* titulus ad peculiarem vitæ sanctimoniam significandam translatus est: *Demum*, sic ille prosequitur, *obtinuit usus, ut illi tantummodo Sancti in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori, probatiorique fulgerent morum sanctitudine*. In hac posteriori acceptione haud facile prudens Scriptor *Sancti* nomen Clementi Alexandrino hodie tribueret; aut si quid tale illi excideret, veniam peteret, ut revera petiit Combefisius. *De Sancti titulo, quo eum aliquando ornavit Combefisius, veniam petiit Bibliothecæ Concionatoriæ tom.* 1. *pag.* 9., verba sunt eruditi Dominici Georgii *in suis notis, quas Martyrologio Adonis ad diem* 19. *Decembris* subjecit. Eodem pertinent, quæ diligens Scriptor Pater Michael a sancto Joseph *tom.* 2, *pag.* 39. *suæ Bibliographiæ Criticæ* Verb. *Clemens*, de Sancti nomine, quo Clemens honoratur, adnotavit: *In Expurgatorio Hispano tom.* 1. *pag.* 134. *ubi præscribitur correctio Bibliothecæ veter. Patrum, ad tom.* 6. *col.* 235. *deleri præcipitur titulus* Divi *appositus Clementi*.

Quamplura Martyrologia Clementis non meminere. XXXIII. Equidem nonnulla Martyrologia, ut supra indicavimus, Clementis meminere; sed & alia proferri possunt, in quibus nulla Clementis Alexandrini fit mentio. Nil tale occurrit *in tom.* 3. *Thesauri Anecdotorum Martene, & Durand; in tom.* 6. *Amplissimæ Collectionis Veterum Scriptorum*, quæ ab iisdem accuratis Auctoribus coordinatur; *in tom.* 2. *Spicilegii Lucæ d'Acherii; in tom.* 2. *Antiquarum Lectionum Canisii; in Martyrologio Florentinii; in tom.* 6. *part.* 2. *mensis Junii Patrum Bollandianorum*, esto multa, ac vetusta in hisce locis exhibeantur Martyrologia. Usuardum seculi noni Scriptorem, primum fuisse, qui in suo Martyrologio Clementis Alexandrini nomen conscripserit, haud improbabilis opinio est; Verum nihil prohibet, quominus, si res ita exigat, ab Usuardi Martyrologio, alioquin multis de causis venerando, liceat aliquando recedere.

Prima Clementis mentio in Usuardi Martyrologio. XXXIV. Usuardum cum primis Clementis nomen suo Martyrologio addidisse, affirmat Eruditus Sollerius *in suis ad Usuardum notis sub die quarta Decembris*; quam sane Sollerii sententiam verosimillimam arbitramur. Usuardus enim in Opere suo adornando usus est præcedentibus Martyrologiis Hieronymi, Bedæ, Flori, Rabani, Wandelberti, & Adonis, ut præclare ostendit Anonymus Monachus Benedictinus Congregationis sancti Mauri *pag.* 8. *suæ Præfationis ad sincerum Usuardi Martyrologium*, quod Parisiis impressum est an. 1718. Cum autem in nullo ex præcedentibus Martyrologiis nomen Clementis legatur, haud temere affirmare licet, Usuardum omnium primum fuisse qui Clementis nomen in suum Martyrologium intulerit; potissimum cum ipsemet Usuardus in Prologo, quem ad Carolum Calvum scripsit, atque in prælaudato Opere impressus legitur, diserte fateatur, se nonnulla Sanctorum nomina, quæ in præcedentibus Martyrologiis deerant, Operi suo addididisse. *At si quid, præter quod ab illis accepi, in hoc Opere auctum, vel mutatum est, sugaci a me indagine id perquisitum agnosci poterit*, Hæc Usuardus.

Accuratissima Martyrologii Adonis Editio Clementem prætermisit. XXXV. Alia quidem sententia arridet Dominico Georgio, qui in loco mox allato putat nomen Clementis ante Usuardum ab Adone in suo Martyrologio fuisse descriptum. Verum id longe facilius asseritur, quam probatur. Plurimi, & merito quidem, Georgius facit Editionem Martyrologii Adonis, quam curandam suscepit Rosweydus, cujus exemplar extat *tom.* 16. *Bibliothecæ Patrum Editionis Lugdunensis an.* 1677. de qua sic loquitur *in Præfatione pag.* 12. *Quanti vero fecerimus Rosweydi Editionem, facile intelliges, cum videris, ad illius fidem nos omnia expressisse: nihil e textu detraxisse, sed ad scrupulum usque retinuisse omnia, & quæ ex Apographis nostris deliberavimus, in va-*

Acta & Decr. Canoniz.

rias Lectiones transtulisse. Si tanta hujusce Editionis Georgio fides, cur ille Clementis nomen inserit, quod hæc probatissima Editio prætermittit? Equidem ille provocat ad vetera Martyrologii Adonis exemplaria, quæ *in Cod.* 511. 512. & 514. Bibliothecæ Vaticanæ exscribuntur; in quibus post sancti Aviti Abbatis memoriam ita legimus: *Alexandriæ beati Clementis Presbyteri, qui in Divinarum Eruditionum Scholis quammaxime effloruit*. Verum ipsa Codicum, qua scripti sunt, ætas, illorum auctoritatem hac in re dubiam evincit. Audiendus ipsemet Georgius *in Præfatione pag.* 9. *Alter*, inquit *signatus n.* 511., *ex specimine characteris, seculo Christi undecimo scriptus esse mihi visus est; Reliqui vero duo signati n.* 512. & 514. *seculo duodecimo exarati fuisse visi sunt*. Quocirca nec omnino antiqua, nec ab Adonis tempore parum dissita dicenda sunt tria illa Bibliothecæ Vaticanæ exemplaria, quæ plurium seculorum spatio ab Auctoris ætate dissociantur. Ex quo & illud sequitur, fieri facile potuisse, ut aliqui sequioris ævi Scriptores, pietatis, ac Religionis prætextu privato consilio, veteribus Martyrologiis nova Sanctorum nomina addiderint; quod multis exemplis, apud Eruditos, ipsumque Georgium satis frequentibus, illustrare possemus.

XXXVI. Hoc autem semel statutos, Usuardum nempe primum fuisse, qui Clementis nomen in Martyrologium invexit, tanta profecto non est illius auctoritas, ut grande sit piaculum ab ea aliquando recedere; cum Nobis compertum sit, ejusmodi Martyrologii Lectionem primo in Monasteriis Benedictinis in usu fuisse, moxque ab aliis Ecclesiis fuisse adoptatam, ut in Opere *de Sanctorum Canonizatione lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 17. *num.* 3. observavimus. Neque unum est, in quo Usuardus fallitur, Clementis nomen. Si ea ad trinam revocentur, quæ in Martyrologio Usuardi circa festum Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis enarrantur, & quorum a Nobis *in Opere de Festis Domini Nostri Jesu Christi, ejusque Beatissimæ Matris ad diem* 15. *Augusti* accurata fit mentio, fateri oportebit, Usuardi testimonium esse rejiciendum, ubi majora, ac meliora id suadeant argumenta. Quæ cum ita sint, iis profecto assentiri non possumus, qui per summam injuriam reprehendunt eximios illos Viros a Gregorio XIII. Romani Martyrologii emendationi præpositos, quorum nomina in præcitato Operis Nostri loco *sub num.* 5. singillatim enumeravimus: Non enim ideo culpandi, quod a Clementis Alexandrini nomine, cujus Usuardi Martyrologium meminerat, abstinuerint. Enim vero argumentorum, quæ supra retulimus, tanta vis est, ut & Usuardi testimonium infirmet, & Romani Martyrologii emendationem a quavis obtrectatione, & censura prorsus eximat. *Fas aliquando ab Usuardi sententia discedere.*

XXXVII. Absoluta de Clementis Alexandrini nomine controversia, alia succedit de *Severo Sulpitio Sancti Martini discipulo*. Martyrologii Correctores sub Gregorio XIII. hoc Elogium ad diem 29. Januarii apponendum censuerunt: *Apud Bituricas sancti Sulpitii Severi Episcopi, discipuli sancti Martini, virtutibus, & eruditione conspicui*. Qui vero Urbano VIII. mandante novam Martyrologii Emendationem instaurarunt, idem Elogium, verbis aliquot intermediis duntaxat exclusis, ita contraxerunt: *Apud Bituricas sancti Sulpitii Severi Episcopi, virtutibus, & eruditione conspicui*. Tota igitur circa voces illas, *Discipuli sancti Martini*, versatur emendationum varietas, de qua multa scripserunt Patres Bollandiani *ad diem* 29. *Januarii in vita sancti Sulpitii Severi Episcopi Bituricensis* §. 2. *n.* 12., Florentinius in Admonitione 11. quæ præponitur ejus Martyrologio *pag.* 51., Bailles *ad diem* 29. *Januarii numer.* 1. & *num.* 4. Tillemontius *tom.* 10. *Memoriarum nota* 5. *super vita Sulpitii Severi*, Graveson *tom.* 12. *Historiæ Ecclesiasticæ pag.* 157. Romanæ Editionis an. 1717., aliique complures, quibus & Nostrum *de Canonizatione* Opus addendum *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 17. *n.* 7. *Alia de Severi Sulpitii nomine proponitur Controversia.*

XXXVIII. Ut gravius hæc controversia pro meritis expendatur, illud, in quo præcipuus difficultatis cardo sistit, inspiciendum, an Sulpitius Severus sancti Martini discipulus, fuerit an non Episcopus Bituricensis; ideoque jure ne, an injuria, *Quorum Gregorianæ correctioni faveant argumenta.*

 ver-

verba illa *Discipuli sancti Martini* fuerint expuncta. Correctores sub Gregorio affirmativam sententiam sequuti sunt; hinc duo illa in Elogio sociarunt: *Apud Bituricas sancti Sulpitii Severi Episcopi, discipuli sancti Martini*. Hanc ipsam Correctoribus insedisse opinionem testatur Cardinalis Baronius in suis ad Martyrologium notis *sub die 29. Januarii*. Neque vero hæc sententia omnimoda caret probabilitate; quandoquidem ea innititur additionibus a Molano factis ad Usuardum, ubi *ad diem 29. Januarii* hæc habentur: *Bituricis civitate sancti Sulpitii Severi Episcopi, & Confessoris, discipuli beati Martini*; fulcitur testimonio Maurolycii, qui in suo Martyrologio ad præcitatam diem ita scripsit; *Bituricis Severi Præsulis, discipuli sancti Martini*; & postremo juvatur Apologia, quam pro Sulpitio Severo discipulo sancti Martini scripsit Guibertus Martinus Abbas Gemblacensis, qui ineunte seculo tertiodecimo floruit. De hac Guiberti Apologia consulendus Hieronymus de Prato Veronensis, qui illam inseruit *tom. 1. Operum Sulpitii Severi*.

Hinc quoque contra correctionem sub Urbano insurgunt.

XXXIX. Hisce vero momentis nimium præfidentes insurgunt aliqui, atque in Martyrologii Correctionem ætate Urbani factam subinfensi, apertis verbis loquuntur simul, & obloquuntur. Aut enim, ita ratiocinantur, locus est conjecturis supra propositis; jamque Gregoriana emendatio sarta, tectaque servanda erat: Aut nova contra conjecturas illas supervenerunt monumenta, atque hoc in casu satis erat Episcopi titulum Severo Sulpitio adimere, & interim quæ sequuntur verba illa, *Discipuli sancti Martini*, immutata relinquere. Hoc autem temperamento posthabito, Martyrologium Romanum, ex nupera correctione non uno, sed duplici gravatur incommodo; tum quia alter Sulpitius Severus Episcopus Bituricensis, a Sulpitio Severo sancti Martini discipulo diversus, perperam effingitur; tum quia Sulpitius Severus discipulus sancti Martini, de cujus laudibus sanctus Paulinus Nolanus, Paulinus Petrocoriensis, Venantius Fortunatus, Gregorius Turonensis, aliique palam loquuntur, a Martyrologio exploditur, ac non sine injuria e vetustissima illa tituli Sanctitatis possessione deturbatur. *Valde autem Sulpitii sanctimoniam commendat*, inquit Gerardus Joannes Vossius in vita Severi Sulpitii, quæ in fronte ejus Operum Editionis Amstelodami præponitur, *quod in Romano Martyrologio ejus memoria celebretur ad 4. Kal. Februarii*. Gemina occurrunt apud Patrem Brassichelli, qui ante Urbani VIII. emendationem ita de Severo Sulpitio loquitur in Indice librorum expurgandorum: *Ut interim omittamus Episcopatum, quem in ancipiti quibusdam conjecturis Baronius tom. 5. Annalium posuit; De Sanctitate tamen Severi Sulpitii, cujus tam illustre Elogium extat in Martyrologio Romano 29. Januarii, ambigere, nescio quam tutum*. Hæc illi, qui Gregorianæ Correctioni favent impensius.

Sulpitius Severus Pelagianis & Millenariis adhæret.

XL. Hæc tamen iis non probantur, qui Severum Sulpitium sancti Martini discipulum in plures errorum scopulos turpiter impegisse contendunt. Compertum namque est, eum jam ætate provectum, erroribus Pelagianorum adhæsisse, & in suis Dialogis errores Millenariorum fuisse sequutum; ex quo Dialogi illi a Gelasio Pontifice in memorato de Ecclesiasticis libris Decreto, apocryphis accensentur, hisce verbis: *Opuscula Posthumiani, & Galli apocrypha*; qua in re conveniunt Scriptores non modo Heterodoxi, nempe Casimirus Oudinus *de Scriptoribus Ecclesiasticis seculi quinti pag. 495.*, & Cave *de Scriptoribus Ecclesiasticis seculi Nestoriani*; sed & Catholici Authores satis accurati, veluti Joannes Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Cardinalis Bellarminus *in eodem Tractatu*, Philippus Labbe *in sua Dissertatione Historica*, quæ prostat *in tom. 7. Operum Cardinalis Bellarmini* Venetæ Editionis anno 1728., Natalis Alexander *in Historia Ecclesiastica seculi quinti cap. 4. art. 2.* Longueval *in Historia Ecclesiæ Gallicanæ tom. 1. l. 3. pag. 397.*, Doujat *in Prænotionibus Canonicis l. 2. c. 52. n. 5.* Quid vero ad hæc Sulpitii Patroni?

Sunt qui vindicant, & purgatum [illegible].

XLI. Reponunt, ejusmodi probra, quæ in Severum Sulpitium vibrantur, futilia plane esse, ac inania; ideoque Martyrologii Reformatores sub Urbano, levi nimium innixos fundamento, Severi Sulpitii, qui sanctum Martinum Præceptorem habuit, nomen e Martyrologii Codice expunxisse. Etenim qui primus memoriæ mandavit, Sulpitium a Pelagianis deceptum, a Catholica veritate declinasse, fuit Gennadius quinti seculi Scriptor, de quo ita loquitur Guibertus Martinus Abbas Gemblacensis in prælaudata Apologia; *Quod a Pelagianis seductus, in aliqua a regula Orthodoxæ Fidei exorbitaverit, nusquam omnino, nisi in sola legi Gennadia, qui nescio utrum hoc alicubi & ipse legeris, & an ex sola fama, quæ facta & infecta loquitur, didiceris*. Addunt præterea, eumdem Gennadium, & Sulpitii errores, & pœnitentiam una sociasse; quæ sane tanta fuit, ut quoad vixit, perpetuum sibi silentium servandum indixerit, & reipsa servaverit. Si quid ergo peccavit, crimen illustri pœnitentia delevit. Quod vero attinet ad Millenariorum errores, ad Gelasiani Decreti censuram, ad ea demum maledicta, quæ Joannes Clericus in Opera Severi Sulpitii sancti Martini discipuli infenso congessit stylo, eadem repetunt, quæ prælaudatus Hieronymus de Prato in *Opere supra relato* in rem hanc scripsit, ut Severum Sulpitium ab impactis criminibus vindicaret. Illud tandem Sulpitii Fautores ingeminant, Correctores Urbani tempore modum nequaquam servasse; si quid enim castigatione dignum inciderat, immutandum paulisper erat, non omnino delendum. Qua ferme ratione Saussajus in Martyrologio Gallicano, quod an. 1637. editum est, *ad diem 29. Januarii* ademit quidem Sulpitio Severo titulum Episcopi, sed cetera, quæ Sulpitium illum sancti Martini discipulum fuisse demonstrant, intacta reliquit, hoc pacto: *Eodem die in Aquitania Pago Primuliaco sancti Severi Sulpitii Presbyteri, & Confessoris, doctrinæ, & sanctimoniæ laude perillustris, qui sancti Martini res gestas nitido stylo conscripsit, atque non minus actibus expressit, quam calamo, paupertatis cultor egregius, ac humilitatis persincerus amator, cujus præconia ob claras sapientiæ dotes, & sublime vitæ institutum sanctus Paulinus Nolæ Episcopus efferens, magnifice prosecutus est*.

Hujus potissimo cur Sulpitii nomen Martyrologio non inscribatur.

XLII. Atque hæc quidem sunt, quæ de Sulpitio Severo sancti Martini discipulo cum ex Eruditorum colloquiis Nobiscum habitis, tum maxime ex privata librorum lectione Nobis licuit haurire. Nullum vero ex tanta rerum congerie satis efficax argumentum occurrit, quod Nostrum inducat animum, ut a Correctione, quæ sub Urbano VIII. peracta est, recedamus. Enimvero post accuratam causæ discussionem, illud tandem comperimus, universum oppositæ sententiæ Systema huic propositioni quam axiomatis loco præsupponit, inniti, nimirum die 29. Januarii inscriptum fuisse in Romano Martyrologio nomen Sulpitii Severi discipuli sancti Martini. Hinc querelæ illæ, atque repetitæ expostulationes ob non servatam hanc saltem Elogii partem, *Discipuli sancti Martini*, si forte Episcopatus insignia Severo Sulpitio minus conveniant. Verum hæc præcipua erroris causa, quod ratiocinium, cui omnimoda fides adhibetur, falso laborat supposito; unde sequitur, ut quæ supra extruitur argumentorum moles, sponte sua corruat.

Steterunt controversiæ Reformatione sub Urbano bene perspectæ.

XLIII. Id vero exploratum cuique erit, si ad ea, quæ Martyrologii Reformatoribus sub Urbano Pontifice bene perspecta erant, animum convertamus. Norant hi, Sulpitium Severum, de quo in Romano Martyrologio sub die 29. Januarii fit mentio, revera Episcopum Bituricensem fuisse, cum hac in re omnia conveniant Martyrologia, quæ Gregorianam Correctionem ætate præcedunt. Norant item Severum Sulpitium sancti Martini discipulum, nunquam ad Bituricensem Episcopatum fuisse evectum, quidquid Guibertus commentus fuerit, quem tamen Hieronymus de Prato in vita Sulpitii Severi discipuli sancti Martini §. 13. ita refellit: *Pergit Guibertus narrans, Severum a Bituricensi Clero ex Monasterio adductum, Archiepiscopum ejus Urbis constitutum. Nihil magis repugnans veritati, quam Severum nostrum Bituricensem Episcopum fuisse*. Sed & illud vel ex ipso Gennadio nosse poterant, Sulpitium Severum nonnisi Presbyterum fuisse; quod deinde recentiori ævo indu-

bium

bium reddidit gemina ejusdem Sulpitii Severi Epistola a Balutio reperta, & *Miscellaneorum tom.* 1. inserta, hac apposita Epigraphe: *Epistola Sancti Sulpitii Severi Presbyteri*. Utramque hanc Epistolam a Balutio collectam probat Tillemontius, *in Adnotatione quinta ad vitam Sulpitii Severi sancti Martini discipuli*; nec dissentit Hieronymus de Prato §. 10. *vitæ Sulpitii Severi*, monumentorum potius, quæ Balutius edidit, quam Gennadii, cujus fidem habet suspectam, auctoritate commotus. Libet Hieronymi locum, etsi longiusculum, integrum hic exscribere. *Uno itaque*, inquit, *Gennadii testimonio innititur Severi Presbyteratus, quod tacentibus ceteris quid valeat non video. Moneo tamen, Balutium in Miscellaneorum libro primo exhibere Epistolas duas Sulpitii Severi Presbyteri Aquitani, quas & nos dabimus in Appendice tomi secundi, quarum utraque hunc præfert titulum*: Epistola sancti Severi Presbyteri; *prima vero etiam hanc appositam habet coronidem*: Explicit Epistola Severi Presbyteri ad Claudiam sororem suam. *Itaque ni malimus ex auctoritate Gennadii huic nostro Severo, cui duæ illæ Epistolæ adscribendæ videntur, Presbyteri titulum a Librariis additum, aliquantulum hinc ejus sententiæ accederet momenti.*

Sub uno Sulpitii Severi nomine, duo secernendi.

XLIV. Falluntur ergo, qui putant, Sulpitium Severum, cujus memoria incidit in diem 29. Januarii, esse discipulum sancti Martini, cum Sulpitius ille Bituricensis Episcopus dicatur; hic vero sola Presbyteratus prærogativa præfulgeat, ex qua præpostera sententia illud necessario sequitur, ut e duplici Sulpitio Severo, ministerio, ac dignitate plane dissimili, unus conflетur, cui duo hæc simul conveniant, quod Episcopus Bituricensis fuerit, itemque discipulus Sancti Martini. Quo quid absurdius? Hæc tamen Personarum, commixtio suam duxit originem ab Apologia Abbatis Gemblacensis, cujus opinio Sigonium, Galesinium, Victorem, Giselinum, aliosque plures in eumdem errorem pertraxit.

Controversiam de Sulpitio Presbytero Correctores non attigerunt.

XLV. Neque egregios illos Viros, qui Martyrologii emendationem sub Urbano excuderunt, latuit absurda hæc opinio; quamvis compertum sit, nihil de ea rejicienda fuisse solicitos. Cum enim certo nossent, Sulpitium Severum, de quo in Romano Martyrologio ad diem 29. Januarii, Episcopum Bituricensem fuisse, ideoque plane diversum a Sulpitio Severo sancti Martini discipulo, nihil illis curæ fuit ea ad examen vocare, quæ contra posteriorem Sulpitium Severum opponi solent, ne alioqui extra præstitutos fines vagari viderentur. Huic quæstioni locus quidem fuisset, si de Sulpitio Severo sancti Martini discipulo, aut in Martyrologium inferendo, aut inde expungendo, judicium instituеretur. Verum cum nihil tale in disputationem veniret, rem hanc intactam relinquere satius duxerunt. Quod enim ad hujusce Sulpitii Sanctitatem attinet, nemo est ex antiquis Scriptoribus, qui eum Sancti titulo exornet: *Sane ab antiquis Sanctitatis titulo haud decoratur*: ita legimus *in Bibliographia* Patris Michaelis *tom.* 4. *pag.* 55. Quod si apud Saussajum, & Petrum de Natalibus Sancti nomine aliquando donetur, nihil inde conficitur; jam enim præmonuit Longueval *in Historia Ecclesiast. Eccles. Gallicanæ tom.* 1. *lib.* 3. *pag.* 397. *in not. sub lit. A.* optandum esse ambos ea auctoritate fuisse donatos, quam non habeant, & quam habere sibi falso persuaserant.

Acta Congregationis, quæ sub Urbano habita est, producuntur.

XLVI. Quæ de Martyrologii correctione Urbani tempore instituta, ac de methodo, quam Reformatores sibi servandam proposuere, huc usque narravimus, Historicæ veritati, quæ ex Actis Congregationis indubia est, plane consonant. Rei gestæ seriem paucis hic repetere, nec inutile erit, nec injucundum. Die 27. Januarii 1628. habita est celeberrima Congregatio coram Cardinali de Torres, cui, præter alios, interfuere Fortunatus Scaccus, Bartholomæus Gavantus, Terentius Alciatus, & Hilarion Abbas sanctæ Crucis in Jerusalem, ut ex Actis, quæ recensentur *in Codice* 1240. *Manuscriptorum insignis Bibliothecæ Barbarinæ pag.* 527. manifestum est. Primo loco igitur vetus Elogium ex Martyrologio jussu Gregorii XIII. castigato productum est, atque inter Acta relatum, cujus te-

Acta & Decr. Canoniz.

nor, qui sequitur, *Januarii 29. apud Bituricas sancti Sulpitii Severi Episcopi, discipuli sancti Martini*. Quid de ejusmodi Elogio senserint egregii Viri, queis emendatio erat concredita, ex Historica, quam subjicimus, narratione audiamus: *Videbatur hoc loco agi de eo, qui scripsit vitam sancti Martini, qui tamen mortuus est Presbyter, non Episcopus, & incidit in errores Origenis, & Pelagii, licet resipuerit, testibus Gennadio, Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Baronio in Annalibus. Fuit alius hujus nominis Episcopus Bituricensis, ex Antonio Democar in Catalogo Episcoporum Bituricensium, qui tamen non vixit nisi longe post sanctum Martinum Turonensem Episcopum, cujus fuit alioquin imitator, ex Petro de Natalibus. Quibus omnibus consideratis, decretum est deleri ea verba:* Discipuli sancti Martini, *ut de Episcopo Bituricensi statim intelligatur Martyrologii textus, non de alio, discipulo sancti Martini, & Scriptore vitæ*.

Sulpitii duo, uterque Bituricensis Episcopus, numerantur.

XLVII. Quæ verba cum satis aperta sint, nullisque ambagibus involuta, nihil iis, quæ supra retulimus, addendum superest. Hoc unum, antequam controversiæ finem imponamus, juvat hic adnotare, duos nimirum Sulpitios Episcopos Bituricenses extitisse, quibus nihil commune est cum Sulpitio Severo sancti Martini discipulo. Primus obiit ann. 591., alter vita cessit an. 694. De priori loquitur Martyrologium die 29. Januarii, Posteriorem die 17. ejusdem mensis commemorat. Ne nominis, atque Episcopatus affinitas confusionem pareret, alteri cognomen *Severi*, alteri *Pii* cognomen est additum; Hinc de altero Sulpitio die 17. Januarii legimus: *Apud Bituricas depositio sancti Sulpitii Episcopi cognomento Pii, cujus vita, & mors pretiosa gloriosis miraculis commendatur*. De Sulpitio, qui *Severus* cognominatur, non etiam de alio, qui *Pius* vulgo audit, excitatur controversia, sit ne a Sulpitio Severo sancti Martini discipulo secernendus; quæ tamen controversia post correctionem Urbani VIII. e medio sublata est. De gemino Sulpitio Bituricensi Episcopo consulendus Cardinalis Baronius, *tom.* 5. *Romanæ Editionis ad an. Christi* 431. §. *Sed illud hic considerandum*, & in *Notis ad Martyrologium Romanum die 29. Januarii*, Patres Bollandiani *die 29. Januarii in vita sancti Sulpitii Severi Episcopi Bituricensis* §. 2. *n.* 12., Mabillonius *in Annalibus Benedictinis l.* 2. *n.* 19. *ad an.* 624., & *in Actis Sanctorum Ordinis sancti Benedicti sec.* 2. *ad an.* 644. *in observationibus præviis ad vitam sancti Sulpitii Pii n.* 1., Dionysius Sammarthanus *in Gallia Christiana tom.* 2. *edition. Parisiensis an.* 1720. *pag.* 14. *n.* 25., & *pag.* 26. *num.* 19., Le Coint *in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad an. Christi* 591. *pag.* 292., ubi ad rem nostram ita scribit luculentissime: *In Cathedra Bituricensi duo sederunt Sulpitii: Hic Severi nomen obtinuit, ut ab altero distingueretur, cui cognomen Pii cessit; atque inde factum est, ut a Posterioris ævi Scriptoribus discipulus sancti Martini prædicaretur, ac talis in Martyrologium Romanum irreperet quarto Kalendas Februarii; donec Urbani VIII. Romani Pontificis auctoritate abrasæ sunt illæ voces* Discipuli Sancti Martini, *his dumtaxat servatis: Apud Bituricas Sancti Sulpitii Severi Episcopi virtutibus, & eruditione conspicui*. Consulendi quoque Annatus *lib.* 4. *theologiæ positivæ art.* 26. & Dominicus Georgius *in notis ad Martyrologium Adonis die 17. Januarii*.

Bollandiani instant pro Theodori Pontificis nomine: sed rejiciuntur.

XLVIII. Eruditissimis Patribus Bollandianis *tom.* 3. *mensis Maji die* 14. *pag.* 263. mirum plane fuit quod in Romano Martyrologio Theodori Summi Pontificis nomen nullibi occurrat, cum illius expressa fiat mentio in gemino Martyrologio Florentino, altero Magni Ducis Etruriæ, altero Senatoris Strozzi; quibus, & illud accensendum, quod Florentiæ typis excusum est an. 1486. Hinc ea Bollandianorum expostulatio: *Contigit hæc depositio, seu potius ejus (Theodori) obitus hac die 14. Maji an. 649., sed, quod miramur, nullis aliis fastis, maxime Romanis, ejus nomen insertum reperimus*. Quæ verba de Theodori I. Summo Pontifice intelligenda esse, temporis definita ratio demonstrat; cum Theodorus II. post dies viginti in Pon-

tificatu actos, ex hac vita migravit an. 901. Bollandianis adhæret Franciscus Pagi *in vita Theodori I. tom. 1. Breviarii Romanorum Pontificum*. Mirari tamen desinet quisquis animadvertat, Correctores Romanos ea tantum in Martyrologium transtulisse Sanctorum nomina, quæ veteribus, probatisque Martyrologiis petebantur. Porro tantam auctoritatem recensitis Martyrologiis conciliandam non esse arbitrati sunt: Hinc, cum alia deficerent monumenta, uni Codicum illorum fidei acquiescere noluerunt.

Alia de Siricio Pontifice controversia. Florentinius ac Norisius pro Siricio decertant.

XLIX. Quod vero satis mirari non possumus, illud est, Siricii Pontificis nomine, quod vetusta æque, ac probata exhibent quamplura Martyrologia, quæ a Bollandianis commemorantur *tom. 3. Februarii pag.* 232., Nosque infra indicabimus, Romani Martyrologii Codicem tamdiu caruisse. Ubi primum post Gregorianam Correctionem innotuit, ejusmodi Pontificis nomen in diem 26. Novembris relatum non fuisse, Clarus Vir Franciscus Maria Florentinius doctam scripsit Exercitationem, quæ *in Martyrologii sui notis ad dictam Novembris diem jacet ordine XVI.*; in qua multa sane cum laude, ac eruditione demonstrat quam consentaneum sit, ut tanti Pontificis nomine Martyrologium ditetur. At Florentinii lucubratio suo caruit effectu, cum nonnisi post absolutam Martyrologii correctionem Romam pervenerit. Iterum instituta Urbani VIII. tempore nova Martyrologii correctione, nulla de Siricii nomine incidit mentio, quia nulli curæ fuit ejusmodi causam, qua decebat vi, & alacritate tractandam suscipere. Cum vero Clemente X. Ecclesiæ clavum gubernante, Sacra Rituum Congregatio Basilicæ Lateranensi Officia propria sanctorum Romanæ Ecclesiæ Pontificum concessisset, Siricio prætermisso, rursus de hujusce Pontificis Sanctitate, ejusque Officii concessione agi ceptum; irrito tamen eventu: siquidem Archiepiscopus Myræ, qui tunc temporis Promotoris Fidei munere fungebatur, acriter obstitit, quod Siricii nomen in Romano Martyrologio nusquam occurreret; Ea namque Sacræ Congregationis mens erat, ut Sanctorum Pontificum Romanorum, quorum nomina in Martyrologium relata fuerant, Officia concederentur. Et quoniam ipsemet Fidei Promotor in suis Animadversionibus obiter attigit rationes præcipuas, ob quas Siricii nomen in Martyrologii emendatione fuerat prætermissum; hinc monitu, atque hortatu claræ memoriæ Cardinalis Casanattæ, celebris Henricus Noris tum Augustiniani Ordinis Professor, mox communi plausu ab Innocentio XII. inter Romanæ Ecclesiæ Cardinales adscriptus, pro tuenda Siricii Pontificia Sanctitate, satis accuratam, ac validam edidit Apologiam, quæ nulli tamen fuit usui; cum ea, quæ in Sacra Rituum Congregatione agitabatur, Causa de concessione Officiorum, ad exitum pervenisset; nec jam liceret post absolutum judicium, veterem excitare controversiam. En igitur Siricii causam iterato propositam, atque ad primævas silentii tenebras iterum redire jussam.

Quæ nostra ætate pro Siricii Causa gesta sunt, enarrantur.

L. Tandem Nostra ætate, Nobisque id agentibus, novos de Siricio Pontifice recurrit sermo. Cum enim felicis recordationis Clemens XI. Prædecessor Noster munus Promotoris Fidei, & deinde paucos post annos Præbendam Theologalem in Basilica Vaticana Nobis contulisset, e re Nostra fuit, Sacræ Rituum Congregationi supplices offerre preces, ut quæ Basilicæ Lateranensi pridem concessa fuerant sanctorum Pontificum Romanorum officia ad Capitulum, Canonicos, & Clerum Basilicæ Vaticanæ extenderentur; quod obtinuimus: Similique exemplo commoti Basilicæ Liberianæ Canonici par Privilegium haud multo post impetrarant. Tum vero opportunam occasionem nacti, Siricii Causam urgere, & eximiam Florentinii exercitationem proferre cœpimus. Cumque Nobis nuntiatum esset, celeberrimam a Cardinali Norisio super eodem argumento procusam fuisse lucubrationem, ad eam perquirendam causas, animumque convertimus, ut validiori præsidio muniti, rursus Siricii causam deliberandam proponeremus. Sed quamdiu Promotoris Fidei munus obivimus, Norisiana Dissertatio fuit Nobis impervia. Postquam vero singulari beneficia Benedicti XIII. Prædecessoris Nostri, ad Cardinalatus dignitatem ascendimus, quo tempore Scripturarum Cardinalis Casanattæ ad sacra Missarum Officia spectantium, indiculum conficiebamus, ut Operis de Canonizatione Sanctorum, quod tum meditabamur, bono, ac utilitati prospiceremus, inopinato optatissima illa Norisii Dissertatio ad Nostras pervenit manus; quam idcirco summa diligentia, ac fide exscribendam curavimus, ejusque exemplar una cum aliis monumentis, quæ ex prælaudati Cardinalis Casanattæ scriptis accepimus, Nobiscum Anconam primo, mox Bononiam detulimus. Scripturarum memorati Cardinalis integra series in celeberrima Casanattensi Bibliotecha summa cura asservatur; quæ vero a Norisio procusa est lucubratio, *tom. 4. ejus Operum Editionis Veronensis ann.* 1732. *pag.* 722. *& seqq.* impressa est. Nec desunt ex Recentioribus alii, qui de gestis Sancti Siricii multa cum laude, ac eruditione disseruerint. Consulendi inter ceteros Franciscus Pagi *in Breviario Romanorum Pontificum in vita Siricii*, *&* Antonius Pagi ejus Patruus *in Adnotationibus Criticis ad Annales Baronii*.

Summus Pontifex Siricio favet.

LI. Quæ cum ita sint, Nostro muneri deesse profecto videremus, si Nos, quibus de Siricii Pontificis Sanctitate multa præsto sunt argumenta, quam olim in minoribus curam suscepimus, ad Summi Pontificatus Apicem Divina miseratione evecti, ad optatum exitum non perduceremus. Hoc autem negotium mutatis vicibus, dissimili ratione, ad methodo est hodie pertractandam. Olim Nos in filiorum numero positi, a Majoribus, & Patribus, quæ gerenda essent, audiebamus: Jam vero cum e Filiorum statu, in Ecclesiæ Pastorem, ac Patrem evaserimus, quid hac in re decernendum sit, aliis indicimus. Siricii Pontificis nomen Romano Martyrologio inscribendum censemus; neque idcirco anterioribus Martyrologii Emendationibus, quæ Siricii numquam meminere, aperte contradicimus. Unius quippe nominis additamentum, quod nova, ac validissima suadent argumenta, aut præteritis correctionibus nihil officit, aut usque adeo levem infert varietatem, ut nullum, aut fere nullum ex eo obveniat detrimentum.

Controversiæ status in certa capita distribuitur.

LII. Atque ut totius controversiæ status, qua decet methodo ac ordine pertractetur, rem universam in quatuor summa capita secernendam decernimus; ita nempe ut primo loco inquiramus, quæ fuerit Siricii Pontificis, cum adhuc viveret, ac post ejus obitum, Sanctitatis fama: secundo quænam Martyrologia, probatæ ne an potius suspectæ Fidei, Siricii meminerint: Tertio quænam contra Siricium militent rationes, ob quas ejus nomen Romano Martyrologio numquam fuerit inscriptum: Postremo quodnam de hisce rationibus judicium ferendum sit; num scilicet eæ sibi constent, an verius futiles sint, ideoque explodendæ.

Splendidum Valentiniani testimonium de Siricii sanctitate.

LIII. De Sanctitatis fama, quæ Siricium adhuc superstitem commendavit splendidum suppetit testimonium Valentiniani Imperatoris in Epistola ad Pinianum Urbis Vicarium, sive Præfectum data. De Valentiniano hic loquimur, non jam recentioris ætatis, cum nempe adhuc puer, blanditiis, ac suasionibus Matris Arianorum erroribus imbutæ, erant implicitus; sed Valentinianum producimus grandævum; sapientia, & virtutibus instructum, quas D. Ambrosius in Oratione in ejus obitu habita commemoravit. Porro Magnus hic Imperator suas ad Pinianum dedit Literas, postquam sanctus Siricius, rejecto Ursicino, qui schismate Romanam Ecclesiam turbaverat, concordi Romani Populi acclamatione Summus Ecclesiæ Pontifex renunciatus est. Hanc Epistolam ex veteri Codice Bibliothecæ Vaticanæ erutam, suis Annalibus inseruit Cardinalis Baronius *ad ann. Christi* 385., & Petrus Coustant *tom. 1. Epistolarum Romanorum Pontificum* edidit ordine *secundam* inter eas, quæ Siricio Pontifici adscribuntur. Quid vero de Siricio senserit Valentinianus, quæ sequuntur, verba demonstrant: *Proinde quoniam religiosum Siricium Antistitem Sanctitatis sic præesse Sacerdotio voluerunt, ut Ursicinum improbum acclamationibus violarent, nostro cum gaudio memoratus Episcopus*

ipse

ipsi permaneat, Piniane carissime, ac jucundissime. Siquidem magnum innocentiæ, ac probitatis exemplum est, in una acclamatione & ipsum eligi, & ceteros improbari.

Siricii Epistola ad Himerium data, Auctorem commendat.

LIV. Himerius Episcopus Tarraconensis sanctum Damasum Siricii Decessorem gravissimis de rebus ad Ecclesiasticam disciplinam spectantibus, more Majorum consuluerat. Himerii tamen Epistola Romam pervenit, cum jam S. Pontifex Damasus ad Superos evolasset. Hinc qui Damaso successor datus est Siricius, rem confecit, atque hisce verbis Himerium est alloquutus: *Quia necesse nos erat in ejus labores, curasque succedere, cui per Dei gratiam successimus in honorem.* Magna quidem Ecclesiæ Catholicæ utilitate, magnoque Ecclesiasticæ disciplinæ profectu, quidquid Himerius Damaso proposuerat, exposuit, declaravit, ac definivit Siricius, ut patet ex illius Epistola, quæ inter collectas a Petro Coustant occurrit ordine *prima*. Quam quidem Epistolam tot nominibus commendatam, usque adeo utilem, ac necessariam, notis illustravit Cardinalis *de Aguirre tom. 2. Conciliorum Hispaniæ dissert. 5. in epistolam Siricii Pontificis pag. 126. & seq.* Etsi namque Siricius solum Himerium alloquatur, decernit tamen, ut quæ ad unius consulta rescripsit, ad omnium Coepiscoporum notitiam perveniant, nec eorum omnium duntaxat, qui in Himerii Provincia erant constituti, sed præterea ad *Carthaginenses, ac Bæticos, Lusitanos, atque Gallicos*, vel ut in aliis Manuscriptis legimus *Gallicanos* vel *Gallicianos*, hoc est Gallæciæ Antistites universos. Ex quo factum, ut integerrimum Siricii responsum, Clericorum mores in variis Orbis Catholici partibus corruptos emendaverit; ac pristinæ integritati restituerit.

Siricius Cœlibatus legem asserit, pœnisque indictis confirmat.

LV. Non levem sancto Siricio conciliat laudem, quod Cœlibatus Legem in Clero firmaverit, ac pœnis in violatores indictis stabiliverit, ut liquet ex ejus Epistolis, & præsertim ex ea, quam memoratus Petrus Coustant exhibet ordine *quintam*. Hoc nixus fundamento sanctus Innocentius I. *in Epistola ad Exsuperium Episcopum*, quæ in præallata Collectione jacet ordine *sexta*, contra Diaconos, & Præsbyteros incontinentes, easdem pœnas, quas Siricius pridem statuerat, exequendas decernit hisce verbis: *De his & Divinarum Legum manifesta est disciplina, & beatæ recordationis Viri Siricii Episcopi monita evidentia commearunt; ut incontinentes in Officiis talibus positi, omni honore Ecclesiastico priventur, nec admittantur accedere ad Ministerium, quod sola continentia oportet impleri.* Eodem fultus præsidio Æneas Episcopus Parisiensis nono Ecclesiæ seculo clarus, quem Lupus Ferrariensis Episcopus *in epist. 98.* multis effert laudibus, quæstionem de Cœlibatu contra Græcos pertractans, in libro contra eos scripto *cap.* 102. apud d'Acherium *tom. 1. Spicilegii Editionis Parisiensis an. 1723. pag.* 533. urget auctoritatem Epistolæ *quintæ* Siricii ad Episcopum Africæ, quam his verbis extollit: *Sanctus Siricius Papa in Ecclesia beati Petri Apostolorum Principis in Concilio residens, & Fratribus & Coepiscopis per Africam Ecclesiastica jura describens, inter cetera, ac de pudicitia intulit &c.*

Apostolicus Siricii zelus in Hæreticos præcipue in Jovinianum.

LVI. Præterea ardens pietatis studium, & eximium Catholicæ veritatis amorem ostendit sanctus Siricius in damnandis erroribus Joviniani, aliorumque ejusdem sectæ Hæreticorum, ut verbis Epistolæ *septimæ* in prænarrata Coustantii Collectione compertum est. *Apostoli secuti præceptum*, ita Siricius loquitur, *quia aliter quam quod accepimus annunciabant, omnium Nostrum tam Presbyterorum, & Diaconorum, quam etiam totius Cleri unam scitote fuisse sententiam, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Plotinus, Martinianus, Januarius, & Ingeniosus qui incentores novæ hæresis, & blasphemiæ inventi sunt, Divina sententia, & Nostro judicio in perpetuum damnati, extra Ecclesiam remanerent.* Apostolicam hanc Siricii Pontificis solicitudinem, ac vigilantiam sanctus Ambrosius una cum aliis Episcopis in Mediolanensi Concilio congregatis, summis effert laudibus, ac Pontificiæ Sanctioni sese ultro conformat: *Recognovimus* (sic ad Siricium Ambrosius, aliique Episcopi in Epistola *octava* memoratæ Collectionis) *Literis Sanctitatis tuæ, boni Pastoris excubias, qui diligenter commissam tibi januam serves, & pia solicitudine Christi ovile custodias, dignus, quem oves Domini audiant, & sequantur*; & in fine: *Itaque Jovinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Genialem, Martinianum, Januarium, & Ingeniosum, quos Sanctitas Tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium Tuum esse damnatos.*

Pro Siricii solicitudo contra Manichæos, eorumque asseclas.

LVII. Albo, sive Abbo Floriacensis de Siricio Papa memoriæ tradidit, quod exosos habuerit omnes Hæreticos, maxime Manichæos. Enim vero cum Priscillianistas, qui cum Manichæis in multis nefarie conveniebant, & scelefte conspirabant, Urbe ejicere armis Spiritualibus non potuisset, opem Theodosii imploravit, ejusque præsidio, quod summopere optabat, tandem obtinuit, ut prudenter conjicit Cardinalis Baronius *anno Christi 389. nu. 63.* Haud impari solicitudine ad coercendam audaciam Bonosi Episcopi Macedoniæ, impie asserentis beatam Virginem post incontaminatam Christi Domini Nativitatem alios filios peperisse, Episcoporum Concilium Capuæ indixit, ut colligitur ex epistola *nona* inter eas, quas Coustantius coordinavit. Plura adhuc ex aliis Siricii Epistolis præsertim ex *decima* proferre possemus de singulari tanti Pontificis solicitudine pro restituenda in Galliæ partibus Ecclesiastica disciplina. Verum hanc provinciam iis tractandam relinquimus, qui Siricii vitam, ac gesta commentariis illustranda suscipiunt; quibus satis amplam de Siricii laudibus materiem suppeditant Anastasius, sive Auctor Pontificalis *tom. 3. Romanæ Editionis*, & quæ ab eruditis Viris Schelesteato, Altaserra, Bencinio, Blanchinio, Ciacconio, Somiero, ac Pagio subjiciuntur adnotationes.

Testimonia de Siricii sanctitate post ejus obitum.

LVIII. Ex dictis satis constat de fama Sanctitatis quam Siricius vigilantissimus Ecclesiæ Pastor, & Catholicæ Religionis assertor sibi adhuc vivens conciliavit. Nec minor, postquam e vivis excessit, invaluit opinio. S. Innocentius I. *in Epistola prima Collectionis Coustantii*, pari elogio commendat Damasum, Siricium, ejusque successorem Anastasium, ita scribens: *Cui etiam anteriores tanti, ac tales viri Prædecessores mei Episcopi, idest sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque supramemoratus Vir* (Anastasius) *ita detulerunt &c.* Porro de Damasi, atque Anastasii sanctitate nemo dubitat. S. Leo in Epistola ad Anastasium, affirmat se illi conferre Primatum super Illyrici Ecclesias, *beatæ recordationis Siricii exemplum sequutum*. Eodem in sensu Concilium I. Toletanum, quod paulo post obitum sancti Siricii habitum est, Literas *sanctæ memoriæ Ambrosii, & sanctæ memoriæ Siricii* multa cum laude commemorat. Ex quibus monumentis rite expensis, Cardinalis Norisius in præcitata Dissertatione, & ante Norisium Florentinius *in Exercitatione 16. post diem 26. Novemb. pag.* 1006. *& seqq.* solido inferunt ratiocinio, ejusmodi laudum titulos non Pontificiæ dignitati dumtaxat, sed insuper vitæ sanctitati esse tribuendos, cum Siricius summo Pontificatus honori multa, ac splendida virtutum, Religionis, ac Pasturalis vigilantiæ exempla bene sociaverit. Hinc illud Petri de Natalibus pro Siricio elogium: *Et postquam Sedem Apostolicam feliciter gubernasset, dormivit cum Patribus suis, & sepultus est ad sanctum Petrum plenus sanctitate.* Nec desunt in Scriptoribus, qui Petri de Natalibus ætatem præcessere, insignia de Siricii Sanctitate documenta; siquidem Hordericus Vitalis affirmat, *Siricium circa Gregem Dominicum valde fuisse solicitum*; & Luitprandus Hoderico vetustior, Siricium *sanctæ memoriæ* Papam appellat.

Quam plura probatæ fidei Martyrologia Siricium nominant.

LIX. Ad aliud controversiæ caput, quod Martyrologia considerat, in quibus de sancto Siricio fit mentio, Nostra hæc oratio progreditur. Qua quidem in re non tam Codicum numero, quam eorum auctoritati studemus. Hinc Martyrologia, quæ minori habentur in pretio, missa facimus, quibus ea item accensemus, quæ Cyriacum Papam, hoc est Siricium, ut nonnulli perperam interpretantur, commemorant; nullus enim Cyriacus nomine, ut cuique notum, inter Summos Pontifices numeratur.

tur. Ea igitur, quæ majoris momenti sunt, Martyrologia tonuamus, quæ S. Siricii nomen præseferunt. Hæc igitur sese Nobis offert Martyrologium Bedæ, Rabani, & Monasterii S. Cyriaci hujus almæ Urbis, quo toties usus est Cardinalis Baronius in Romani Martyrologii emendatione. Occurrit præterea Martyrologium Ecclesiæ Occidentalis, editum a Florentinio *die 26. Septembris*; necnon Antuerpiense, & Corbeiense, utrumque antiquissimum, de quo ipsemet Florentinius in Notis. Alia insuper Martyrologia numerantur ab eodem Scriptore *in citata Exercitatione* 16., & a Patribus Bollandianis *die 22. Februarii pag.* 282., quorum aliqua nec Cardinalis Baronius, nec qui sequuti sunt Martyrologii Romani Reformatores, nosse poterant, cum eorum ætate in Archiviis, & Bibliothecis adhuc delitescerent. Hinc fortasse, ut prudens Florentinius adhuc temere suspicatur, Siricii nomen a Romano Martyrologio iamdiu absuit, quod Veteribus multa fuerint incognita, quæ posterior ætas manifestavit; *Accedere facile potuit, quod nostra ætate inventa plura vetustioris Martyrologii exempla non viderint.*

Multa in Siricium obiiciuntur crimina.

LX. Hanc tamen Florentinii conjecturam non probant, qui multa, eaque non levia, contra Siricium obiiciunt crimina, quæ a Nobis singillatim enumeranda sunt, ut tertium controversiæ caput, juxta propositam divisionem, expediamus. Primo loco, vitio datur Siricio, quod in Apostolicis Litteris conscribendis sancti Hieronymi opera usus non fuerit; qua in re nec Prædecessoris Damasi exemplum sequutus est, nec Hieronymi famæ satis consuluit. Notum quippe est, sanctum Hieronymum a Siricio neglectum, inimicorum calumniis, ac maledictis usque adeo fuisse obnoxium, ut coactus idcirco fuerit ex illorum conspectu sese proripere, atque ex Urbe discedere. Secundo, haud obscuris indiciis manifestum est, Siricium Pontificem sin minus infenso, saltem minus æquo fuisse animo in sanctum Paulinum, Virum moribus, ac vita integerrimum. Tertio, improvidum nimis, ac tardum Siricii consilium reprehenditur in rejiciendis Origenistis, eorumque hæresi coercenda; cum in Rufinum, & & Melaniam, longam nimium patientiam adhibuerit; quam ob causam festinavit ex hac mortali vita educere illum Dominus, atque Anastasium sufficere, acerrimum Origenistarum oppugnatorem.

Horum criminum veritatem haud diffitetur Baronius.

LXI. Neque tria hæc, quæ in Siricium congeruntur, crimina, quorum item meminere Florentinius, atque Norisius, Nosque meminimus *lib. 4. de Canonizatione Sanctarum part. 2. cap. 5. sub n.* 4. gratis conficta sunt, sed ex validis Ecclesiasticæ Historiæ monumentis confirmantur. Quod enim ad Hieronymum Romæ male habitum attinet, hæc habet Baronius ad annum Christi 385. *Cum autem, non ut Damasus fecerat, Siricius Papa in scribendis ejusmodi Literis Hieronymi opera uteretur, neque eum, ut ille, quod par erat, amplecteretur, atque foveret, mox Pontificis Romani destitutus præsidio, idem Hieronymus acerbissimos pati cœpit persecutores, illos scilicet Clericos, quorum mores improbos scriptis editis sugillasset.* De subinfenso Siricii in Paulinum animo, validum ex Epistola 1. ejusdem Paulini ad Sulpitium Severum eruitur argumentum. Cum enim de Romanis Clericis ille conqueratur, hæc addit: *Quantum nobis gratiæ Dominicæ determinatum faciat Urbici Papæ superba discretio &c.* quæ verba magnus Annalium Pareos de Siricio interpretatur, ita scribens, *ad an. Christi* 394. *Jam puto, sentis, Lector, quem Paulinus per Urbicum Papam intelligat, non alium quidem, quam qui tunc Romanæ præerat Ecclesiæ, Pontificem ipsum Siricium, quem infensum absque causa aliqua, ut ait, pati coactus fuerit. Accidit plane sanctum Paulinum juste conqueri de Siricio Papa, atque aliis nonnullis Romanæ Ecclesiæ Clericis, de quibus etiam conquestum vidimus sanctum Hieronymum, quod sæpe superius diximus. Ut plane acciderit hac ex parte male audire Siricium, quod adversus adeo insignes sanctitate, & doctrina Viros ubique spectator, fuerit commotus.* Postremo, de nimia contra Origenistas Siricii tarditate, ejusque præcoci obitu, testem habemus eumdem Baronium *ad annum Christi* 397., ubi sic loquitur: *Ceterum quod haud velociter Siricius periclitanti, occasione Origenis errorum, occurrit Ecclesiæ, quamcitius, nempe anni sequentis exordio, ex hac vita sublatus est; erectusque super Cathedram Petri acerrimus oppugnator Origenistarum hæreticorum Anastasius Papa. Sæpe quidem, atque pavendis est demonstratum exemplis, ut Pontifices illi, qui causam fidei paulo segnius tractaverunt, ac remissius curaverunt: a Christo primario omnium Pastore fuerint quam celeriter ex hac vita subducti; adeo ut manifeste fuerit declaratum, summo, jugique studio, specialique diligentia semper invigilasse super Romanam Ecclesiam Divinam Providentiam, ne qua vel levi saltem suspicione hæreticæ contagionis aspergeretur.*

Hieronymus ad Urbem accessit; egregia illius dotes, multaque Damaso familiaritas.

LXII. An hæc quæ in Siricium vibrantur tela, aliquod contra sanctitatem, incorruptumque gubernium inferant vulnus, ex quo Correctores ejus nomen Martyrologio non inseruerint, in hoc postremo controversiæ Capite superest inquirendum. Cumque ex historicis monumentis Siricii crimina repetantur, historica veritas paulo accuratius examinanda. Ab iis, quas Hieronymus passus est, curis, atque molestiis, exordiamur. Sanctus Hieronymus duodeviginti annos natus Romam accessit, ibique Grammaticæ, Rhetoricæ, ac Philosophiæ Scholas frequentavit. Quinquennio Romæ commoratus, inde recessit annum agens tertium supra vigesimum; neque ante Damasi Pontificis ætatem in Urbem regressus est. Cum enim Damasus Generale Concilium Romæ habendum indixit, ea occasione Hieronymus una cum Paulino Antiocheno, & Epiphanio Episcopo Salaminæ in Insula Cypro, rursus Romam advenit. Tanti viri fama commotus Pontifex Damasus, erat quippe Hieronymus summo ingenio, excellenti doctrina, sanctisque moribus præditus, eum designavit, ut & ab Epistolis esset, & totius Orbis Consultationibus, quæ ad Sedem Apostolicam mittebantur, responderet. Ex quo sanctus Doctor intima Damasi familiaritate usus est; & vicissim multo in honore a Damaso est habitus. De munere, quo apud Damasum fungebatur, ita loquitur ipse Hieronymus in Epistola ad Ageruchiam: *Ante annos plurimos cum in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, & Orientis, atque Occidentis Synodicis Consultationibus responderem.* Solo tamen triennii spatio concreditum sibi munus obivit, quod nonnisi triennii spatio Damasum habuerit superstitem.

Hieronymus Siricii tempore multis invisus & quare.

LXIII. Siricio in Damasi locum suffecto, mirum dictu est, quot motus, quantæque in Hieronymum excitatæ sint turbæ; in quem idcirco tota pene Civitas commota videbatur; quod ille sub Pontifice Damaso multorum, quorum vitia voce, ac scripto exagitaverat, odium, atque offensionem incurrisset. *Nos vitiis detrahentes*, verba sunt Hieronymi, *offendimus plurimos*; & in præfatione ad librum Dydimi fatetur se, *cum esset in Babylone* (hoc nomine Romam sibi infensam appellat) expositum fuisse odio malediciæ Civitatis, *& purpuratæ Meretricis.* Mox in adversarios insurgens, subdit post pauca: *Ecce Pharisæorum conclamavit Senatus, & nullus Scriba vel fictus* (vel ut alii legunt, *velificatus*) *sed omnis quasi indicto sibi prælio doctrinarum, adversum me imperitiæ factio conjuravit.*

Graviores Hieronymi contra Romanos querelæ excusantur.

LXIV. Liberiorem hunc loquendi morem Rufinus exprobrat Hieronymo, ac miratur: *Quomodo de Urbe Roma, Deo favente, Capite Christianorum, ea dicat, quæ dicebantur tunc, cum Gentiles in ea populi, & persecutores Principes morabantur.* Æquius tamen Baronius rigidiora illa S. Doctoris verba ex justo dolore potius, quam ex furore odiove prolata explicat, simulque excusat *ad an. Christi* 385. ita scribens. *At hic lector attende, hæc a S. Hieronymo scripta de inscientia Romanæ Ecclesiæ Ministrorum, non sic quidem accipienda esse, prout hyperbolice sonat sermo, omnes Romanæ Ecclesiæ Clericos fuisse doctrina expertes, cum dicit, quod nullus ibi Scriba vel fictus, nempe Doctor, sed Pharisæi omnes, nempe scelesti, cautela vero, & hypocrisi scelera contegentes. Concedendum aliquid Hieronymo justissima causa indignanti, qui oculos in eos*

tan-

tantum conversus habent, a quibus contumeliis, & calumniis impeteretur, omnes illos pravos dixerit, & imperitos. Certe quidem qui tempora hac exacte considerat, intelliget plane hoc tempore coaluisse in Ecclesia Romana Clericos doctrina, atque scientia claros. Si quid ergo vehementiori stylo Hieronymus aliquando protulerit, venia dignus; non enim in probos, atque innoxios, sed in eos, quorum vitia damnaverat, sermonem convertit. Enimvero suis Epistolis Monachos insectatus fuerat, qui suæ Professionis obliti; vitio gulæ se dederant, divitum domos frequentabant, efferebantur superbia, superstitione tenebantur. Virgines quoque, quæ nimia familiaritate cum Viris versebantur, acrius reprehenderat. Hinc odia, obtrectationes, ac maledicta pravorum hominum, qui insaniebant in medicum a quo sanabantur.

Roma abit, atque in Orientem secedit.

LXV. Quamdiu vero vixit Damasus, igneus ille inimicorum furor, veluti doloso cinere tectus, delituit. Tunc vero exarsit, incendiumque excitavit, cum Damaso sublato, Siricius in Petri Cathedram evectus est. Innumeræ criminationes, calumniæ, ac irrisiones in Hieronymum congestæ; de quibus sic ille conqueritur: *Alius incessum meum calumniabatur, & risum; ille vultui detrahebat; hic in simplicitate aliud suspicabatur.* Quocirca cum eo res pervenisset, ut jam vix sibi posset Hieronymus temperare, tandem Roma abiit, atque in agrum se recepit, ubi suas ad Marcellam dedit literas. Sed remotiorem secessum anhelans, oblata sibi opportunitate in Orientem abeundi, eo pergere statuit; jamque navigium conscensurus, ad Asellam scripsit, suamque cum Paula, & Melania familiaritatem, quam maledici criminabantur, egregie vindicavit. Meminit quoque injuriam, quas acceperat; fatetur tamen se æquo animo eas ferre, proposito sibi exemplo Christi Domini, qui a Judæis Seductor, & Dæmoniacus est habitus; tandemque concludit: *Scio per bonam, & malam famam perveniri ad Regna Cælorum.*

Nulla Siricii partes quo ad Hieronymum male habitum, & Roma abeuntem.

LXVI. Cum igitur privato consilio, quod tamen pravorum hominum molestiæ excitarunt, suum ab Urbe discessum Hieronymus decreverit, non est cur ullam discessus causam in Siricium refundamus, ut scite ratiocinatur Vir eruditus Dominicus Vallarsius in vita S. Hieronymi *tom. 2. Operum S. Doctoris Editionis Veronensis an. 1742. cap. 16. Neque ab eo*, loquitur de Siricio, *est illa conflictationum sancti Patris cum æmulis, malisque hominibus causa repetenda; sed ipse utique, quid causæ fuerit, Hieronymus novit, & fassus est Epistola 40. Nos, inquiens, vitiis detrahentes, offendimus plurimos.* Sed nec illud Siricio opponi potest, quod Hieronymum in eum dignitatis gradum, quem Damasus illi contulerat, non restituerit; ideo tot bella, contentiones in Hieronymum exarserint, quæ alioquin sub Siricii tutela S. Doctor effugisset. Non enim cæco modo de rebus a Nostra ætate adeo dissitis judicium ferendum est; neque conjecturis agendum, ubi in summa rerum caligine versamur. Quid? quod si illorum temporum, ac rerum conditionem spectemus, fortasse intelligi poterit, non sine causa Hieronymum a Siricii familiaritate fuisse sejunctum; ne alioquin, quæ in Hieronymum fervebant odia, in Siricium converterentur.

Haud culpandus Siricius quod Hieronymi discessum non retardaverit.

LXVII. Abiit Roma Hieronymus, non jam Siricio aut mandante, aut impellente, sed proprio actus consilio, atque illud Evangelii monitum sequutus: *Si vos persecuti fuerint in Civitate ista, fugite in aliam.* Poterat sane Siricius prohibere, ne Hieronymus ab Urbe recederet: nulla tamen, quæ Siricium obstringeret, urgebat lex. Neque Hieronymi opera, etsi Damasi tempore commendatissima, usque adeo necessaria erat sub Siricio, ut dempto Hieronymo, & Apostolico muneri ferendo, & totius Orbis Catholici Consultationibus expediendis impar esset Siricius, & S. Doctoris præsidio destitutus. Constat enim e Pontificis Siricii Literis, ac responsionibus, nihil in iis occurrere, quod multum Pontificis pro Catholica religione, atque Ecclesiastica disciplina studium summopere non commendet: Adeo eximiæ illæ sunt, adeo solidæ, ac Pastoralis solicitudinis, vigilantiæ, majestatis zelo ubique refertæ. Hinc summo ab omnibus haberentur in pretio, etsi, inscio Hieronymo fuerint conscriptæ. Petrus Coustant in Præfatione, quam Siricii Literis anteponit, fatetur, *eum amore potius, quam auctoritate populum rexisse.* Ne autem quis Hieronymi sententiam sequutus, Siricium aut inexpertum, aut minus providum arbitretur, hæc subdit: *Quæ autem ad nos pervenerunt ipsius Scripta, summum fidei Catholicæ, & Canonicæ Disciplinæ servandæ studium spirans.*

Hieronymus Urbe relicta Sacrarum Scripturarum studiis vacat impensius.

LXVIII. Si arcana Divinæ Providentiæ consilia scrutari liceret, duce Gennadio Massiliensi, vel alio, quisquis ille fuerit, Scriptore Vitæ S. Hieronymi, quam in citato tomo 11. Vallarsius edidit, haud dubitaremus asserere, Deum, qui satius duxit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere, maximum ex conspiratione in Hieronymum Romæ facta, ejusque ab Urbe recessu, elicuisse bonum; ut nimirum S. Doctor a publicis negociis, & Urbis strepitu remotissimus, sacrarum scripturarum studio totus vacaret, suasque vigilias, ac curas omnes, nullo prohibente, in præclarum illud Opus, utilissimum æque, ac commendatissimum conferret. *Verum enim vero*, ita loquitur Scriptor vitæ *apud Vallarsium pag. 243. hunc ego felicem dixerim, hujus fuga eventum corrigentis Christi judicio dispensatum, quem pravorum hominum persecutionibus paratum fore existimo: scilicet ut Romana Ecclesia, Petri instituta regimine, omniumque veteris Testamenti librorum edocta veritate, Christo Deo volente, & Hieronymo speciali studio desudante, hebraicam quoque haberet veritatem, & Græcorum quorumdam levitas, quæ sibi Romanos a se omnes Scripturas divinitus inspiratas accepisse plaudebat, eos habere quod non habet, recognoscat.*

Nullæ simultates Siricium inter, ac Hieronymum intercesserunt.

LXIX. Quæ hactenus pro Siricio loquuti sumus, ea profecto sunt, ut sanctum Pontificem ab iis omnibus, quæ contra D. Hieronymum illatæ fuerunt, injuriis, ac contumeliis prorsus eximant. Ne tamen in re tanti momenti quidquam intactum prætereamus, ad ea quæ inter Siricium, ac Hieronymum contigisse dicuntur, oculos convertamus. Sunt enim qui privatas quasdam simultates obtrudant, quæ sicut Christianæ Caritatis legibus adversantur, ita Siricii virtutibus, & Sanctitati obesse videntur. Nil vero quæcumque in hanc rem proferet possunt argumenta, Nos commovent; aut enim falsa omnino sunt, aut si veritati consonent, Siricium non lædunt, ut modo demonstrabimus.

Hieronymi sententiam de Bigamia Siricius non attigit.

LXX. S. Hieronymus in ea fuit sententia, ut nullam Irregularitatis notam contrahat, qui duas ante Baptismum, aut etiam unam ante, alteram post Baptismum uxores ducat, modo priori defunctæ succedat conjux altera, ut multis in Epistola ad Oceanum probat argumentis. Hinc colligit S. Doctor, validam simul, ac licitam fuisse Ordinationem Carterii Episcopi in Hispania, qui nondum sacro tinctus lavacro, matrimonium semel contraxerat; moxque, uxore viduatus, aliam sibi sociaverat post Baptismum. Rentur aliqui, hanc Hieronymi sententiam a Siricio sub ipsis Pontificatus initiis fuisse improbatam; ideoque Hieronymum illius assertorem, ex insigni æstimationis, ac famæ gradu, in quem conscenderat, excidisse. Hinc opinioni adhæret memoratus Vallarsius *in vita Sancti Hieronymi cap. 16.*, sed negat, Siricium qui sententiam illam rejecit, Hieronymi nomini, ac famæ ullo pacto nocuisse: *Nemo hinc tamen sibi in animum inducat, eum quidquam in Sanctum Doctorem commisisse, unde is in aliorum criminationes, atque odia incideret.* Sua Vallarsio sit sententia: Nobis enim alia, quæ Siricii Causam magis juvat, arridet responsio. Enimvero sanctus Siricius, cum in Epistola prima ad Himerium Episcopum Tarraconensem, tum in alia ad Episcopos Africæ, hoc unum statuit, Bigamum scilicet habendum esse, qui aut duas uxores duxerit, aut unam, quæ virginitatem amisit, sibi sociaverit. Ceterum eam facti speciem, ac circumstantias de gemino ante Baptismum inito matrimonio, aut de conjugio semel ante Baptismum, iterum post Baptismum contracto, de quibus Hieronymus loquitur, Siricius non attigit, ut ex *cap. 10. & 11. Epist. ad Himerium, & ex num. 4. & 5. Epistolæ ad Episcopos Africæ*, patet legenti.

Ex

Ex quo sequitur, ut nec sententiam Hieronymi Siricius directe improbaverit, nec indirecte S. Doctoris nomini, & dignitati quidquam detraxerit.

Eam tamen rejecit Innocentius.

LXXI. Hierosolymitanam de Bigamis opinionem impugnavit S. Innocentius I. in *Epistola secunda ad Victritium Episcopum Rothomagensem cap. 6.*, ubi non de Bigamis generatim, quo in sensu Siricium loquutum novimus, sed de ipsa Bigamia ante Baptismum contracta, quam plane circumstantiam exprimit, aperte loquitur hisce verbis: *Ac ne ab aliquibus existimetur, ante Baptismum si forte quis accepit uxorem, & ea de seculo recedente, alteram duxerit, in Baptismo esse dimissum, satis errat a regula qui in Baptismo hoc putat dimitti. Remittuntur peccata, non acceptarum uxorum numerus aboletur*: & post nonnulla: *Quod si non putatur uxor esse computanda, quæ ante Baptismum ducta est: Ergo nec Filii, qui ante Baptismum geniti sunt, pro filiis habebuntur.* Immerito igitur Siricio tribuitur, quod Innocentio I. adscribendum. Nec dissentit Baronius, qui ad ann. *Christi* 405. putat, memoratam de Bigamis sententiam, quam S. Hieronymus Romæ tenuit, ab eodem S. Doctore majori contentione, ac nisu fuisse propugnatam in literis, quas ad Oceanum misit, ut Carterii Episcopi Ordinationem vindicaret; Ideoque ab Innocentio potius, quam Siricio eam fuisse improbatam. Petrus autem Coustant *in Notis ad eamdem Innocentii Epistolam pag.* 751. prudenter observat, sanctum Innocentium Siricii verba usurpasse, ut decerneret, quidnam statui oporteret de Marito, qui duas uxores ante Baptismum acceperat; qua de re Siricius non loquitur, ut supra animadvertimus. *In hoc, atque superiori decreto*, ita Coustantius, *Innocentius ita Siricii verba exscribit; ut in utroque de uxoribus ante Baptismum ductis, de quibus Siricius nihil dixerat, quid sentiendum sit, sibi necessario definiendum duxerit.* Utra eligatur sententia, Baronii, an Coustantii, sancti Siricii causa egregie vindicatur.

Siricius Hieronymi sententiam sequitur, Jovinianum damnat.

LXXII. Cum multa eloquentiæ vi, ac fervido in Dei gloriam, & animarum salutem studio polleret Hieronymus, Jovinianum, seu Jovinianum novum Christianorum Epicurum vehementer insectatus est. Qua in re tot, tantisque laudibus virginitatem extulit, ut in quorumdam suspicionem venerit, S. Doctorem in extrema prolapsum, legitimas nuptias damnasse. Etsi vero a mente, & consilio Hieronymi alienissimum id esse, nihilominus inanis rumor in Urbe invaluit, multosque in pravam hanc de Hieronymi doctrina suspicionem adduxit. Hinc Pammachius, qui Divo Hieronymo intima familiaritate conjunctus erat, Opuscula omnia undequaque colligere, atque ex aliorum conspectu subducere studuit. Postquam vero sanctus Doctor eximiam contra Jovinianum edidit Apologiam, in qua tenebras omnes, quas iniquus ille virginitatis impugnator obtenderat, ne catholicæ veritatis lumen innotesceret, eloquentiæ, ac doctrinæ fulgore disjecit, Jovinianus a Siricio damnatus est, Porro vel ex hac una Siricii sententia satis patet, quanto catholicæ veritatis servandæ studio S. Pontifex Hæreticos oppugnaverit, & quo animo fuerit erga Hieronymum catholicæ veritatis propugnatorem. *Affulsit tandem veritas, nec tantum se luculenter purgavit Hieronymus, sed ipsius Pammachii opera a Siricio damnatus est Jovinianus, quod idem est ac dicere, Siricium in sententiam Hieronymi ivisse.* Itaque loquitur Florentinius *in citata Exercitatione pag.* 1004.

Hieronymi censura Siricii sanctitati non officit.

LXXIII. Nondum tamen hac in re nodos omnes dissolvimus; hinc ad seriem Historicam regrediamur oportet. Quo tempore gravior illa de Hieronymi doctrina contra Jovinianum, fervebat in Urbe disceptatio, S. Doctor suam ad Pammachium scripsit Epistolam, quæ *in tom.* 1. *Editionis Veronensis est* 49., in qua, postquam meritas reddidit Amico grates, quod exemplaria Romæ suspecta prudens subtraxerit, *De Opusculis meis contra Jovinianum, quod & prudenter, & amanter feceris exemplaria subtrahendo, optime novi*, subdit post pauca: *Audio totius in te urbis studia concitata: Audio Pontificis, & populi voluntatem pari mente congruere. Minus est tenere Sacerdotium, quam mereri.* Hisce verbis expendendis intentus Florentinius *in relata exercitatione pag.* 1003. sic fatur: *Verum ea occasione Siricium commotum in Pammachium, nedum in Hieronymum, ea omnibus fere clamoribus ita idem Hieronymus affirmat: Audio totius in te urbis studia concitata: Audio Pontificis, & populi voluntatem pari mente congruere. An vero amarulentum illud, quod sequitur, in Siricium jactatum sit, hæreo: Minus est tenere Sacerdotium, quam mereri.* Hæret ergo Florentinius, nec audet hæc verba ad Siricium transferre. Quod si quis præfidentior, ea de Siricio intelligenda esse obfirmato animo contendat; tandem id dabimus; ita tamen, ut nullo pacto Siricium ex Hieronymi testimonio Pontificatus honore indignum fuisse concedamus. Quidquid enim hac in re S. Doctor ex aliena potius, quam ex propria sententia protulerit, ut infra explicabimus, profecto privata unius, vel alterius auctoritas: publico totius Romani Cleri, populique judicio nonest anteponenda. Cumque splendidum, atque inconcussum ex Valentiniani Imperatoris Epistola petatur argumentum de provida Siricii electione, ejusque innocentia, ac probitate, sileat oportet quicumque obtrectator, hujusce Elogii, quod pro Siricio Valentinianus attexuit, auctoritate convictus: *Magnum innocentiæ, & probitatis exemplum est, in una acclamatione, & ipsum* (Siricium) *eligi, & ceteros improbari.*

Hieronymi in Siricium duriora verba excusantur.

LXXIV. Sed neque lividam obtrectationis maculam Hieronymo inurendam censemus; quidquid enim hac in parte illi excidit quod Siricii sanctitati injurium videatur, inani potius illius credulitati, quam infenso in optimum Pontificem animo tribuendum. Potuit sane S. Doctori contigisse, quod iis passim usuvenit, qui remotissimas regiones inhabitant; ut nimirum ex falso quopiam rumore Hierosolymam perlato, in errorem inductus, minus æquam de Siricii virtutibus, regimine, ac probitate conceperit opinionem. Quod animo imbiberat, privatis ad amicum Pammachium literis aperuit; atque ob eam, quæ inter amicos, obtinet, familiaritatem, fortasse minus cautus de iis facile locutus est, quæ ex incerto, atque inani rumore in vulgus disseminabantur. Accedit quod literas ad Pammachium Hieronymus dederit, quo tempore disceptatio contra Jovinianum adhuc fervebat, & Siricius populari urbis opinione deceptus, adversariis Hieronymi liberius fortasse, quam oportebat, favere videbatur. Hinc nova Hieronymum incessit suspicio, novus timor, qui tandem in voces, quæ Siricii integritati adversari videntur, erupit. Quo ferme pacto inter Colligitantes occurrunt aliqui, qui cum bonam foveant Causam, si judicem in adversam partem propendere suspicantur, in judicem ipsum insurgunt, obloquuntur, ejus laudibus obtrectant, munere, quo fungitur, indignum affirmant, donec judicium, de quo sibi metuunt, definiatur. Ubi vero juri consonam judex sententiam tulit, versis vicibus, sermonem corrigunt, suspicionem execrantur, palinodiam recinunt, summamque Prætoris sententiam, atque integritatem commendant. Hæc eadem facile Hieronymo possunt accommodari. Cum enim, pendulo adhuc judicio, anceps hæret, ac dubius, de Siricio conqueritur; at contra, re integra, & quavis suspicione remota, Siricium veneratur, ac multa cum laude commemorat, ut infra patebit.

Rejiciuntur, qui Hieronymum ex invidia loquutum putant.

LXXV. Hasce conjecturas amplectimur, quæ Siricii sanctitati, Hieronymi famæ, ac dignitati bene consulunt. Eos namque aversamur, qui de celeberrimi Ecclesiæ doctoris honore tuendo nihil plane solliciti, ut Siricium vindicent, damnant Hieronymum, in quem idcirco nedum maledicentiæ, sed & invidiæ, ac ambitus crimina congerunt. Ferunt enim, illum secunda populi acclamatione in Damasi successorem propositum, sed mox in Electione Siricio posthabitum, verba illa in æmulum immerito sibi præpositum protulisse: *Minus est tenere Sacerdotium, quam mereri.* Præposteram hanc verborum Divi Hieronymi interpretationem refert Florentinius, quamvis eam omnino non approbet. At nobis nullo modo ferenda videtur; non enim citra summam injuriam, illud de Hieronymo aut sentire, aut etiam suspicari possumus, tantum virum

rum

rum usque adeo ambitus crimine abreptum fuisse, ut & futurum Pontificatum concupiverit, & deperditum ingemuerit.

Literas Communicatorias Rufino tradidisse Hieronymus improbat, excusat Baronius.

LXXVI. Rufinus Roma discessurus ut in Patriam reverteretur, Literas Communicatorias a Siricio petiit, & impetravit. Cardinalis Baronius rem hanc expendens ad an. Christi 397., Siricium reprehendere non audet, cum nulla S. Pontifici caussa suppeteret, cur petitas Literas Rufino denegaret: *Sed quod ad Rufinum spectat, etsi profecturus Aquilejam solam patriam, petierit, & acceperit ab ipso Siricio Romano Pontifice Communicatorias literas, Catholicis tantum, ut sæpius diximus, impertiri solitas, minime cessit culpæ Siricio. Nam cum ipsa hæretica interpretatio Periarchon Origenis, nomine careret Auctoris; nec a quo Præfatio illa esset scripta, liqueret, nihil est, quod Rufinum nondum detectum, imo Catholicum se clamantem, & ab omni hæresi se alienum extrinsecus profitentem, a communione extorrem facere deberet, nec Romanæ Sedis moris est, non convictum quempiam condemnare.* Hæc Baronius. Erant igitur Communicatoriæ Literæ, Catholicæ communionis indicium, atque argumentum; quo sane argumento Optatus usus est, ut ostenderet Ecclesias Africæ, quæ Cæciliani Ordinationem tuebantur, omnimodam cum Ecclesia Catholica servare communionem. *Sedis prior Petrus*, loquitur de Cathedra Romana, & anumeratis Petri successoribus usque ad Siricium, ita prosequitur: *Siricius hodie, qui noster est socius, cum quo nobis totus Orbis commercio Formatarum*, Communicatorias intelligit, *in una societatis communione concordat*. Hasce Literas vaferrimus Rufinus magnopere ostentavit, venditavitque, præsertim post mortem Siricii, ratus sibi profuturas tempore Anastasii Pontificis, qui Siricio successit, ut judicium contra se institutum, aut effugeret, aut infirmaret. Quocirca D. Hieronymus, cui prava Rufini indoles perspecta erat, Catholicæ Religionis studio actus, *in Epistola* 127. *ad Principiam tom.* 1. *ejus operum Editionis Veronensis pag.* 951., postquam Marcellam, quæ errori strenue restiterat, egregie commendavit, Siricium simplicitatis quodammodo insimulat, quod ex propriæ indolis, ac probitatis mensura, alienos mores metiretur, ac de iis judicium ferret. *Tunc sancta Marcella, quæ diu se cohibuerat, ne per æmulationem quidpiam facere videretur, postquam sensit fidem Apostolico ore laudatam, in plerisque violari, ita ut Sacerdotes quoque, & nonnullos Monachorum, maximeque seculi homines in assensum sui traheret, ac simplicitati illuderet Episcopi, qui de suo ingenio ceteros æstimabat, publice restitit malens Deo placere quam hominibus.*

Quæ in Siricium objicitur simplicitas culpa vacat.

LXXVII. Observat Cardinalis Baronius ad annum Christi 597. Siricium a Hieronymo, non doli, aut gravioris criminis, sed simplicitatis duntaxat insimulari: *Sugillat sanctus Hieronymus Siricii Papæ simplicitatem, non dolum.* At Petrus Coustant in toties memorati Operis *pagina* 706. animadvertit, Rufinum tunc cum Literas Communicatorias obtinuit, virum fuisse acris ingenii, multæ scientiæ ac integræ famæ prærogativa commendatum; nondum enim, quod in imo pectore servabat, virus evomuerat: *Eo autem facilius Rufinus sibi, ac sociis Literas a Siricio impetravit humanitatis, ac benevolentiæ plenas, quod ille virtutis, ac scientiæ fama clarus, necdum male audiisset.* Qua de re opportunior infra, ubi Origenistarum caussam tractabimus, redibit sermo. Quod vero ad Siricii simplicitatem attinet, idem Coustantius quamcumque criminis invidiam amoliri studet, atque ita prosequitur: *in sinistram suspicionem non facile ubis Christiana simplicitas, nec male de quoquam judicare amat, præsertim de illo, de quo nihil se menti offert, unde non recte de illo sentiat.* Culpanda igitur simplicitas, quæ a fatuitate, nimiave credulitate proficiscitur, excusanda vero, quæ ortum ducit a Christiana caritate, cui illud peculiare est, ut de alieno malo, quod ignorat, non cogitet. Atque huc quidem revocari possunt verba Hieronymi, qui de Siricio jam vita functo sermonem habens, cum Rufino easdem, quas a Siricio acceperat, Literas exprobraret, quod iis contra judicium ab Anastasio instructum abuteretur, uno, eodemque sermonis contextu Rufinum objurgat, & Siricium commendat: *Siricii jam in Domino morientis profers Epistolam*, ita sanctus Doctor Rufinum alloquitur, *& viventis Anastasii verba contemnis*; quibus verbis Siricium Pontificem, Beatorum, qui in Domino moriuntur, numero accenset. Hanc ipsam verborum Hieronymi interpretationem probat, ac sequitur Pagius *in vita Siricii n.* 77. *Quæ verba*, inquit, *ostendunt Hieronymum credidisse, Siricium somno Sanctorum in Domino obdormivisse.*

S. Paulinus Anastasio Pontifici acceptissimus.

LXXVIII. Quoniam de Hieronymo satis hucusque egimus, propositæ controversiæ methodus exigit, ut jam de Sancto Paulino sermonem instituamus. Quia vero & hic novæ criminum materies contra Siricium exsurgit, rem paulo altius repetere juvabit. Quanta animi benevolentia Pontifex Anastasius Siricii successor prosequutus fuerit sanctum Paulinum tunc adhuc Presbyterum, mox celeberrimum Nolæ Episcopum ex ejusdem Paulini *Epistola* 20. *ad Delphinum* data, satis compertum est. *Sciat veneratio tua*, inquit Paulinus, *sanctum Fratrem tuum Papam Urbis Anastasium amantissimum esse humilitatis nostræ. Nam ubi primum potestatem caritatis suæ nobis offerendæ habere cœpit, non solum suscipere eam a nobis, sed inferere nobis piissima affectione properavit.* Cujus quidem singularis benevolentiæ haud obscurum argumentum inde eruitur, quod Anastasius ad diem suum natalem celebrandum, ad quem soli Episcopi convenire consueverant, nonnisi Paulinum Presbyterum invitaverit; nec minori amoris significatione excusationem exceperit, quam, cur non veniret, Paulinus attulerat. *Postea quoque*, sic ille prosequitur in laudata Epistola, *interposito tempore, etiam ad natalem suum, quod consacerdotibus suis tantum deferre solet, invitare dignatus est. Nec offensus est excusatione nostra, sed officium sermonis nostri, quod in vicem præsentiæ reddideramus, accepit, ac, animo nos paterno & absentes recepit.*

Longe dissimilis Paulini fortuna sub Siricio.

LXXIX. Longe tamen dissimilem fortunam Paulinus expertus est sub Pontifice Siricio, qui Paulinum Romæ versari ægre ferebat; qua de re graviter conquestus est ipsemet Paulinus in *Epistola* 5. *ad Sulpitium Severum*, in qua postquam motus, ac turbas omnes ab invidis Clericis contra se concitatas commemoravit, hæc subjicit: *Sed plenius indicare potuerunt conservi nostri pueri tui, quantum nobis gratiæ Dominicæ detrimentum faciat Urbici Papæ superba discretio.* Urbici Papæ nomine Siricium intelligi, affirmat Baronius, cujus verba jam a Nobis supra relata juvabit repetere: *Jam puta*, inquit ad an. Christi 594. *sentis, Lector, quem Paulinus per Urbicum Papam intelligis, non alium quidem, quam qui tunc Romanæ præerat Ecclesiæ, Pontificem ipsum Siricium, quem infensum absque caussa aliqua, ut ait, pati coactus fuit.* Mox caussam inquirens, cur Siricius alieno fuerit animo erga Paulinum, hanc producit, quod nimirum Paulinus adhuc laicus a Lampio Barchinonensi Episcopo ad Ordines fuerit promotus, legitimis temporum interstitiis nequaquam servatis. Id vero cum displicuisset Siricio, qui Ecclesiasticæ disciplinæ vindex erat acerrimus, ideo iis benevoli animi significationibus, quæ tanti Viri meritis, ac virtutibus congruebant, Paulinum excipere noluit; quod tamen in Siricio Baronius non probat, cum Paulinus invitus, ac nolens, ad sacra Altaris Ministeria obeunda fuerit initiatus. Neque vero deerant illustrium Virorum exempla, veluti Ambrosii, ac aliorum, qui vel ex ipso laicorum statu, vel etiam e Catechumenorum ordine, nedum ad Sacerdotii, sed etiam ad sublimiorem Episcopatus gradum ascenderant, verius evolaverant.

Nulla invidia, livor nullus Siricium impulit, ut Paulinum aversaretur.

LXXX. Meminit idem Baronius quo plausu Paulinus Romam adveniens exceptus fuerit. Magna enim, ac potior Urbis pars, Civium scilicet, Præsulum, ac eorum, qui publicis fungebantur muneribus, præter advenas, plebejosque homines una commixtos, certatim, & velut agmine facto, ad eum invisendum confluebat. Equidem plausu, ac admiratione digna res erat, Paulinum Virum Consularem, humili Sacerdotum veste indutum aspicere. Cavendum vero, ne ullam ex tanta Urbis gratulatione criminationis materiem in Siri-

Acta & Decr. Canoniz. K cium

cium refundamus. Tillemontius *tom* 14. *Memoriar. pro Historia Ecclesiastica sex priorum seculorum, in vita sancti Paulini art.* 23., de hominum frequentia, qui ad Paulini domum convolabant, sermonem habens, putat Siricium ideo subinfenso, ac alieno in Paulinum fuisse animo, quod communis favor, ac plausus egregias tanti Viri virtutes celebraret. Hinc livorem, ac invidiam, quæ in Paulinum exarsit, exortam affirmat. Tillemontio assentiuntur alii iniqui sane Censores, nempe Baillet *in vita sancti Paulini die* 22. *Junii num.* 7., & Dupinus *secula quinto novæ Bibliothecæ tom.* 3. *part.* 1. *pag.* 280. Has tamen in sanctum Pontificem impactas calumnias facile erit contundere, si quæ Pater Franciscus Sacchini *in vita Sancti Paulini apud Bollandianos die* 22. *Junii cap.* 4. *num.* 20. in hanc rem scripsit, huc revocentur. Ait enim, Siricium satis aperte loquutum, se nempe Paulini Ordinationem præproperam nimis, atque præcipitem, probare non posse; ideoque consueta benevolentiæ, ac humanitatis officia in eum exercere noluisse. Hanc unam ille producit causam, quæ Siricium a Paulino paulisper alienavit. *Sivit Siricius emanare sermonem*, *ejus* (hoc est Paulini) *se consuetudinem nolle; scilicet ne repentinam hominis consecrationem probare, & latas ab se ipsemet enervare leges videretur. Nihil ultra gestum, satis ostendunt illa Paulini ad Severum verba: Qui nos odisse, & a consortio sanctitatis suæ segregare dicuntur*. Idipsum affirmat Cellier *tom.* 10. *Histor. Generalis sacrorum Authorum cap.* 17. *num.* 8. cui consonat Florentinius in citata *Exercitatione* pag. 1005. & Pagius *in vita Siricii num.* 15.

Aliæ, quæ Siricium vindicant, rationes adducuntur.

LXXXI. Alias rationes iidem Florentinius, ac Pagius attexunt, ut quamcumque simultatis suscipicionem, quæ in Siricium intorqueri posset, excludant. Ajunt igitur, sanctum Paulinum contra dissolutos Romani Cleri mores liberius declamantem, multorum odia, ac obtrectationes, quod & Hieronymo, ut supra adnotavimus, contigit, in se concitasse. Hinc alienis clamoribus commotum, ac veluti fatigatum Siricium, a Paulini familiaritate recessisse. Addunt præterea, Paulinum optimis quidem, atque integerrimis moribus præditum, in aliis tamen dijudicandis minus solerti fuisse ingenio, ideoque de Siricio Pontifice, quem nondum satis perspexerat, fuisse conquestum. Audiendus Florentinius: *Sed vere etiam fatendum est, Paulinum ex humana ratione aptimum non fuisse hominum, & eorumdem morum æstimatorem, dum Siricium superbæ discretionis insimulat, quem Hieronymus nimiæ simplicitatis, & innatæ bonitatis quodammodo coarguit: Et quamvis sanctitate morum Paulinus polleret, minus acri judicii reputari potest*. Id ut confirment memorati Florentinius, & Pagius, rationes addunt nonnullas, quas hic repetere supervacaneum putamus.

Quæ causa Siricium a Paulino abalienaverit.

LXXXII. Quænam vero hac in re Nostra sit sententia; hisce quas subjicimus animadversionibus aperimus. Prima est, sanctum Paulinum, statutis temporum interstitiis non servatis, ad Sacerdotium fuisse promotum, contra legem a Siricio statutam in Epistola ad Himerium Episcopum Tarraconensem *cap.* 9. quam ante Paulini Ordinationem Siricius conscripserat, stata temporum intervalla deficiens, quæ a Laicali statu ad Presbyteratum debent intercurrere, ut in sacris præcedentium Ordinum Ministeriis rite exerceatur, quisquis ad Sacerdotium cupit accedere. Quamobrem ejusdem Siricii Decreto accurate secernuntur, qui ab infantia Ecclesiæ ministerio mancipantur, ab iis, qui ætate grandævi, Clericali militiæ adscribuntur; quibus idcirco lex indicitur, ut per Ecclesiasticos gradus paulatim ascendentes, tandem statuto tempore ad Sacerdotium perveniant. Cum ergo certa, atque explorata sit causa, quæ Siricii animum a Paulino abalienavit, haud licet aliam aut incertam, aut minus stolidam obtrudere. Porro ea, quæ a Paulini Ordinatione petitur ratio, ceteris æquior est, magisque consentanea. Si enim Siricius ad eam benevolentiæ significationem, qua Paulini probata virtus digna erat, descendisset, multorum animis hæc insedisset opinio, Siricium, Ecclesiasticarum Legum, quas pridem promulgaverat, quasque in Paulini ordinatione violatas noverat, contemptum negligere, aut tacitum dissimulare.

LXXXIII. Sed & illud animadversione dignum est, Siricii severitatem erga Paulinum, haudquaquam diuturniorem fuisse, neque ad obitum usque fuisse productam. Satis enim Siricio fuit semel, atque iterum durius excepisse Paulinum; mox enim composito ad benevolentiam vultu, quam prius occultaverat paterni animi benignitatem, tandem manifestavit, atque Paulinum complexus est. Tillemontius in loco citato *art.* 20. post evolutas Paulini Epistolas affirmare non dubitat, egregium hunc Virum quotannis ad celebrandum natalem diem beatorum Apostolorum Petri, & Pauli Romam accedere, ibidem decem circiter dierum spatio commorari consuevisse. Quid vero interim Paulinus Romæ ageret, sic ille aperit. Antemeridiano tempore Ecclesias adire, & Sacra peragere solemne illi erat: Pomeridianis vero horis, in iis, qui salutatum venerant, excipiendis, erant autem quamplurimi, qui turmatim ad Paulini ædes accedebant, totus occupabatur; nec ullum vel exiguum illi supererat temporis spatium, quo vel epistolam scriberet, vel pagellam percurreret, ut tot, tantisque implicitum curis animum recrearet. Nox una quietem, breviorem tamen, Paulino conciliabat. Quo primum tempore mos ille inceperit Romam accedendi ipso Apostolorum Petri, & Pauli natali die, idem Tillemontius inquirit, probatque hujusce sacri Ritus initia ab ipso Siricii Pontificatu esse repetenda. Hinc infere, Siricium postremis vitæ annis æquiori erga Paulinum fuisse animo, ideoque eum Romam accedentem, ac Romæ commorantem, multa dilectionis, ac benevolentiæ significatione excepisse. Secus, nec Romam accedere, nec ullam ibi moram trahere decrevisset Paulinus, si infensum Siricii animum fuisset expertus. Ubi Paulinus suboffensum Siricium cognovit, ab Urbe recessit; si ergo in Urbem sub eodem Siricio regressus est, jam pacatum, sibique benevolam probe noverat.

Siricius in Paulinum aliquando benevolus.

LXXXIV. Tertio loco dissimulare non possumus duriora illa, quæ supra retulimus verba, a Paulino in Siricium, non etiam a Siricio in Paulinum fuisse prolata; ideoque, si liceret de alterutro judicium ferre; Paulinus, non Siricium de acri illa, ac inofficiosa expostulatione esset culpandus. Verum hac etiam animadversione posthabita, si rem ad rigidioris judicii lances exigamus, hoc unum colligimus, aliquam scilicet inter Siricium, ac Paulinum intercessisse discrepantiam, & animorum offensionem, quæ neutrius sanctitatem evertit. Ut id Pagius confirmet, notissimum *in vita Siricii* affert exemplum contentionem, quæ sanctum Willelmum Episcopum Eboracensem, & sanctum Abbatem Bernardum ad invicem commiserunt; qua de re fusiori sermone Nos item egimus *lib.* 2. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 41. *num.* 13. qui insuper *sub num.* 8., aliud exemplum produximus de privatis contentionibus inter sanctum Leonem Magnum, Hilarium Episcopum Arelatensem, ut silentio prætereamus alia gravioris momenti dissidia, quæ in *sequenti capite* 42. *ejusdem Operis* indicavimus. Nihil tamen illustrium Virorum virtuti, ac probitati quidquam inde decadit: Aliud namque est simultates intercedere; aliud, controversias excitari. Illud caritatem infringit, ac in odium erumpit; hoc in sola animarum dissensione versatur, quæ voluntates non dissociat, cum ingenia committit.

Quæ inter Siricium & Paulinum intercessit discrepantia, eorum sanctitatem non lædit.

LXXXV. Unum adhuc, antequam Nostris hisce Apostolicis supremam manum imponamus, superest examinandum; sit ne Siricius socordiæ, ac simplicitatis crimine insimulandus, quod in Origenistis damnandis minus sollicitum se præbuit. Hoc est præsentis controversiæ postremum caput, cui expediendo Nostra hæc, quam subjicimus, oratio occupabitur. Ut ab impacto desidiæ vitio Siricium purget, clarissimus Annalium Parens anno Christi 397. notissimam profert Parabolam Evangelici Patrisfamilias, qui zizania ad messem usque sivit crescere, ne alioquin sollicita nimirum cura actus, dum zizania evellit, ipsum quoque

Tardum Siricii consilium in damnandis Origenistis a Baronio excusatur.

que

que illis commixtum eradicaret frumentum. Laudandus sane Baronius, qui ut insignem in veteres Ecclesiæ Patres animi sui pietatem, ac singulare obsequium testatum faciat, cum illorum facta commendare non possit, benigniori saltem interpretatione excusare contendit. Sic ergo Baronius: *Licet & aliqua saltem ex parte excusationem illam prætexere jure potuisset, quod exemplo Evangelici Patrisfamilias, usque ad messem siverit zizania crescere, ne cum eis evelleret triticum, expectans animarum, ut qui vere essent Hæretici, perspicue, matura segete, certioribus signis fierent manifesti*. Hanc ipsam Baronii sententiam sequutus videtur Petrus Coustant in toties memorata Collectione *pag.* 107., ubi Hieronymi censuram contra Sirici simplicitatem expendens, innuit præcipuam christianæ simplicitatis dotem hanc esse, tardo gressu incedere, & composito ad indulgentiam animo, eos, qui desipuerunt, patienter expectare, ut facilius resipiscant: *Interdum etiam nonnihil dissimulandum censes, ut errantem prævenientibus demulcens officiis, eum ad veritatem allicere queas*. Neque desunt saluberrima sanctorum Ecclesiæ Patrum monita, quæ ejusmodi tolerantiam suadeant. Prostant apud Lucam d'Acherium *in tom.* 2. *&* 5. *Spicilegii*, Epistolæ Romanorum Pontificum Symmachi, & Innocentii II., qui ad majora mala vitanda, atque ad pravorum mores in meliorem frugem revocandos, licere ajunt aliquando posthabita Legum severitate, ad christianæ patientiæ, & benignioris dispensationis regulas confugere, ut errantem, ac devium fratrem facilius lucrari possimus. *Sæpenumero*, verba Eulogii Episcopi Alexandrini apud Photium, *aliqua temporaria œconomia ad breve tempus prodiit, aliquod indebitum tolerans, & amplectens, ut continuum & inconcussum robur pietas acciperet, & ad dissolvendos eorum, qui veritati insidiabantur, insultus*.

Origenistarum errores Siricius ignoravit.

LXXXVI. Etsi vero memorata Baronii responsio, tot monitis, ac testimoniis illustrata, improbanda non sit, ab ea tamen abstinemus, cum alia opportunior, ac pro Sirici causa tuenda longe validior, Nobis præsto sit. Baronius Siricium hæresis Origenistarum conscium supponit; hinc prudentem tarditatem causatur. At Nobis Origenistarum errores, Siricio superstite, omnino delituisse videntur; quamdiu enim vixit Siricius, pessimi simulatores, ovium vestimentis contecti, lupinam improbitatem occuluerunt, quæ tandem sub Anastasio Pontifice Sirici successore detecta est, atque damnata. Nullus igitur excusationi locus, ubi error, qui nondum innotuit, quamcumque in Siricio improvidam simplicitatem excludit. In rem hanc testem producimus ipsum Hieronymum, qui causam inquirens, cur Origenistæ, atque omnium loco Rufinus, Communicatorias Literas a Siricio postulaverint, hanc unam producit *in Epistola* 127. *ad Principiam, in nova Veronensi Editione tom.* 1. *pag.* 952. *n.* 10., ut nimirum hæresi nondum evulgata, Catholicæ communionis pallio obtecti, securius ex Urbe discederent. *Cernentes Hæretici*, inquit S. Doctor, *de parva scintilla maxima incendia concitari, & suppositam dudum flammam jam ad culmina pervenisse: nec posse latere, quod multos deceperat, petunt, & impetrant Ecclesiasticas Epistolas, ut communicantes Ecclesiæ discessisse videantur. Non multum tempus in medio, succedit in Pontificatum Vir insignis, quem diu Roma habere non meruit, ne Orbis caput sub tali Episcopo truncaretur; imo idcirco raptus, atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur*. Hisce verbis enucleandis intentus Cardinalis Norisius *in citata Dissertatione pag.* 725. duo securus affirmat: Alterum nempe, Rufinum Roma abiisse, ne, detectis erroribus, a Siricio puniretur; alterum vero errores illos Sirici ætate omnino impervios delituisse. Præstat ipsum Norisium loquentem audire. *Itaque, teste Hieronymo, Rufinus Romæ discessit, veritus non posse latere diutius Origeniani Voluminis errores, ac proinde a Siricio sibi timebat, quem si propitium sperasset, poterat tutus ceterorum clamores surdis auribus contemnere. Ex illis verbis*: Nec posse latere, *constat eos errores nondum publicatos; sed tantum clanculum assertos. Quid mirum si Siricium latuerint?*

Sub Anastasio Pontifice Origenistarum errores erumpunt.

LXXXVII. Egregius item est locus alter ex *Epistola* 130. *ad Demetriadem in citat. tom.* 1. *Editionis Veronensis pag.* 936. *n.* 16., ubi S. Doctor Origenistarum errores sub Anastasio Pontifice detectos, & proscriptos affirmat. *Dum esses parvula*, ita Demetriadem alloquitur, *& sanctæ, ac beatæ memoriæ Anastasius Episcopus Romanam teneret Ecclesiam, de Orientis partibus hæreticorum sæva tempestas, simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polluere, & labefactare conata est. Sed Vir ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ sollicitudinis, statim noxium percussit caput, & sibilantia hydræ ora compescuit*. Hinc jure merito infert Florentinius *pag.* 1003. *præfatæ Exercitationis*, hæresim Origenistarum Sirici tempore nondum e latebris prodiisse; tum vero caput exeruisse, cum Anastasius Romanæ præerat Ecclesiæ; *Nondum hæresis patefacta erat, hoc enim tantum accidisse sub Anastasio, adductum ipsius Hieronymi fragmentum demonstrat*.

Multa Origenistarum solicitudo, ne hæresis innotesceret.

LXXXVIII. Nec facile poterat Origenistarum hæresis ad aliorum notitiam pervenire, cum Rufinus, ejusque socii, genus hominum vaferrimum, qua poterant arte, vel fraude, errores obtegerent. Prava hæreseos dogmata solis familiaribus manifestabantur, neque extra Rufini, & Melaniæ consocios, & asseclas, arcana illa doctrina evulgabatur. Ita vero Origenistarum calliditatem describit Pagius *ad Annales Baronii ad an. Christi* 397. *n.* 17. *Nondum hæresis satis patefacta erat, idque tantum accidit sub Anastasio, licet penes Rufini, & Melaniæ familiares jam malesanæ doctrinæ suspicio invalesceret*. Pari sollicitudine Rufinus Versionem libri Periarchon, Siricio vivente, occultavit, ne alioquin ex obvia lectione virus detegeretur. *Verum cum Origenis errores*, inquit Pagius loco citato *num.* 16. *ex mala Rufini interpretatione ante Anastasium latuerint, quid culpabile Siricius amiserit, non apparet; & Communicatorias Literas Rufino de more concedens, dum hic optime apud omnes ante vulgatum Romæ Periarchon audiret, non videtur in crimen vocandus*. Imo vero etsi Rufinus Roma abesset, & Aquilejæ moraretur, ubi biennio permansit, adhuc errores simulare curavit. Hinc nondum fraude detecta, Chromatii Episcopi familiaritate usus est: Hinc ipsemet Chromatius apud Hieronymum, & Venerius Mediolanensis Episcopus apud Pontificem Anastasium pro Rufino allaborarunt, ut de Venerio Episcopo constat ex ejusdem Pontificis Epistola ad Joannem Jerosolymitanum. Qui ergo Siricius nosse poterat Origenistas, quorum errores vel ipso Anastasii Pontificis tempore aliquamdiu delituerunt? Si errores non noverat, nullo modo culpandus, quod errores non condemnaverit. Quocirca Parabola illa Evangelica, quam Siricio Baronius accommodat, de Patrefamilias, qui maluit zizania ad messem usque intacta relinqui, ne pari eventu zizania, ac frumentum una divellerentur, minus consona videtur, cum Paterfamilias zizania tritico commixta noverit; Siricius vero Origenistarum errores Catholicæ doctrinæ infensos ignoraverit. Si quid ergo ex Evangelica illa Parabola ad rem nostram liceat decerpere, illud est, Patremfamilias nullo modo culpandum, quod zizania in agro succreverint, cum ipse bonum semen, electumque frumentum terræ mandaverit. Non enim illius incuriæ, sed oscitiæ tribuendum, quod inimicus homo occulta fraude, & nocte concubia, zizania in sementem effuderit. Pari jure Siricius vindicandus, cum eo superstite, nulla in Christi Ecclesia Origenistarum prava semina innotuerint. Quod si Anastasii Pontificis ætate Hæreticorum zizania apparuerint, excusandus omnino Siricius, cum, aut eo vita functo, aut si nondum vita cesserat, profundæ noctis silentio, ipso nimirum Siricio id penitus ignorante, noxia illa errorum zizania ab Origenistis fuerint disseminata.

Illustrium virorum qui ab Hæreticis decepti sunt, exempla nonnulla.

LXXXIX. Ea est pravorum hominum indoles, ac Hæreticorum versutia, ut innumeras ad decipiendum obtendant fraudes, quibus vel ipsis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus, etsi doctrina, ac sanctitate præstantibus, aliquando imposuerunt.

Ut novo Siricii simplicitatem vindicet argumento Petrus Coustant *pag. 706.* affert exemplum sancti Augustini, ac aliorum, qui Pelagio jam de hæresi suspecto, Communionis Literas non denegarunt, quibus ille in Concilio Diospolitano usus est, ut hæreticæ pravitatis notam effugeret. Mox utrumque exemplum quamsimillimum Siricii, & Augustini una componens, ita ratiocinatur: *Qua in re si culpandus Siricius, quanto magis culpandi essent tum Augustinus, tum alii, qui Pelagio jam hæresis suspecto similes non denegarunt Epistolas, quibus ille ad depellendum a se hæreseos crimen, Diospolitano in Concilio abusus est?* Alia a Cardinali Norisio congeruntur exempla sanctorum Pontificum Aniceti, Julii, Zosimi, & Damasi, qui licet Sanctitatis fama claruerint, nihilominus perspectos nequaquam habuerunt pravos errores, primus Praxeæ, alter Marcelli Episcopi Ancyrani, tertius Cælestii Pelagianorum Principis, quartus Vitalis Apollinaristæ. Sed longe majora sunt, quæ Baronius commemorat de Viris illustribus, ac summis Ecclesiæ Pontificibus, quos insidiis, ac fraudibus circumventos, improborum versutia eo usque perduxit, ut innoxios, ac insignes pietate Viros exosos aliquando habuerint, duriusque tractaverint, *Non mireris lector*, inquit Baronius *ad annum Christi 464. num. 8. in nupera editione Lucensi, Romanum Pontificem Hilarium adversus Mamertum adeo vehementer insurgere, Virum (ut declararunt eventa) sanctitate insignem: In his enim, quæ contentiosi fieri sunt, perfacile est quemque decipi. Persimile etiam sancto Leoni accidit, qui in sanctum Hilarium eadem ferme ex causa accerrime invectus est. Quis nescit sæpe accidere, ut falsis accusationibus, & subreptionibus aures Pontificum repleantur, & cum putant agere, quod justum appareat, exagitent innocentem?*

Chromatius, Paulinus, Augustinus e-jus Rufino faventes, excusantur.

XC. Enimvero, ne a Rufino discedamus, si quæ pro eo gessit Chromatius, sanctitati Chromatii non officiunt, Norisio teste, *neque hæc officia Chromatii sanctitati nocuere*; Si Divus Augustinus citra nullum probitatis dispendium, magno in pretio habuit Rufinum, ut patet ex Epistola in veteri *Editione 15., in nova 73.* quem insuper in pristinam Hieronymi amicitiam, etsi gravioribus ex causis dissolutam, restituere conatus est: Si nemo Paulinum reprehendit, quod Rufinum coluerit, & Melaniam Origenistarum Patronam commendaverit; cur Siricius damnabitur, quod acerrimum Rufino bellum non indixerit? Chromatius, Paulinus, Augustinus excusantur, quod dolum, pravosque Rufini mores ignoraverint: Sed & Siricius ipse ignoravit; nec poterat Rufinum aversari, quem nondum noverat scelestum; non poterat scelestum nosse, quem communis fama, & opinio probum adhuc habebat. Quo eodem argumento utitur Pagius ad Annales Baronii *in suis Adnotationibus ad annum Christi 397. num. 17.* ita scribens: *Nec quia Siricius, dum viveret, bene de Rufino sensit, nondum cognita ejus venenata doctrina, e sanctitate decidit; sicuti neque Divus Augustinus dum Epistola 15. quæ novo ordine est inter Augustinianas 73., Rufinum conciliare Hieronymo laborans, illum magni fecit, quamquam jam Apologetica, & amarulenta Opuscula inter utrumque vulgata essent sub Anastasio.*

Quæ Paulino, eadem & Siricio, congruit excusatio.

XCI. Pari excusatione Baronius Paulinum tuetur, qui cum pravos Melaniæ mores ignoraret, ejus Sanctitatem impensius laudavit. Aberat nempe Paulinus a Melania, nec nosse poterat, aut debuerat, quidquid ab ea clam, & secreto gerebatur in Palæstina. *Melaniam*, verba sunt Baronii *ad an. Christi 397., cum sic a Paulino laudatam vides, ne mireris; His quidem ipsa, atque majoribus digna præconiis videbatur, nescientibus, quæ paucis arbitris in Palæstina, non tam ab ipsa, quam per ipsam, a suis consociis, de inducendis in Ecclesiam erroribus Origenis, refragante sancto Hieronymo, ac penitus obnitente S. Epiphanio, gesta essent. Quomodonam, quæso, Paulinus sciret, quæ nec qui Jerosolymis essent, nosse potuerint?* Quod de Paulino absente habet Hieronymus, Nos de Siricio Romæ commorante repetimus. Aderat Romæ Rufinus, non inficiamur; sed vicinia frustra obtenditur, ubi extra parietes domesticos, aut extra societatem eorum, qui pari laborant errore, prava doctrina non egreditur. Lupus ab agnis fecerunt mores; sinceram a vitiata arbore, distinguunt fructus. Si ergo mores lateant; si fructus non erumpant, nec lupi rapacitatem, nec arboris vitium licebit cognoscere. Pravus Rufino erat animus, prava doctrina: sed cum soli Rufino, ejusque familiaribus errores essent perspecti, perperam Siricius tamquam minus sollicitus accusatur. Ignoti nulla cupido; nulla item invidia.

Verum sententia, qui Rufinum ab Anastasio damnatum negant.

XCII. Novum pro Siricii vindiciis argumentum Nobis præsto esset, si eam amplecteremur sententiam, quam multi & doctrina, & Ecclesiasticæ Historiæ petita satis instructi, sequuti sunt: Rufinum scilicet ne ab ipso quidem Sancto Anastasio fuisse damnatum, quamvis Anastasio illud laudi detur, quod in Origenistarum causa partes omnes apostolici muneris optime impleverit. Consulendum in hanc rem opus postbumum eruditi Viri Justi Fontanini Archiepiscopi Ancyrani, quod inscribitur *Historia literaria Aquilejensis, lib. 5. cap. 18.* Consulenda item, quæ Vallarsius adnotavit in Epistolam Sancti Hieronymi 127. *ad Principiam pag. 952.* ubi animadvertit, nullam de Rufini excommunicatione fieri mentionem, nullumque proferri posse vetus, probatæque fidei monumentum, ex quo de aperta in Rufinum sententia dubitare non liceat. Addit Vallarsius, Rufinum, quamdiu vixit, nedum amicitiam, sed & familiaritatem exercuisse cum sancto Paulino Nolano, Chromatio Aquilejensi, Gaudentio Brixiano, quibus, ex Fontanino *loco citato num. 3.*, addendus Sanctus Petronius Bononiensis. Nemo autem dixerit, Rufinum ab Ecclesia ejectum, ac peculiari decreto damnatum, societatem, ac consuetudinem cum tot, tantisque Viris, virtutibus ac Religionis zelo præstantibus, servare potuisse. Ex quo infert, nonnisi indirecte Rufinum in Anastasii Decreto fuisse comprehensum: Cum enim Summus Pontifex in Origenem nominatim sententiam tulerit, & ipsos indirecte Origenistas, quos inter eminet Rufinus, damnavit. Qua in re nihil Rufino accidit probri, quod ceteris Origenis Sectatoribus, qui venenatam ipsius doctrinam profitebantur, commune non sit.

Objectio de celeri Siricii morte dissolvitur.

XCIII. Reliquum tandem est, ut simplicitatis, sive improvidi nimium consilii macula, qua Siricius aspergitur, plane diluta, & ipsum, quam ab ejusmodi crimine tamquam a causa profluxisse aliqui putant, effectum, hoc est celerem Siricii mortem, explodamus. Aliquos in ea fuisse sententia, ut providus Deus Siricium ex hac vita rapuerit, ne Origeniana hæresi invalesceret, atque Anastasium suffecerit, qui Origenistas prosterneret, jam supra animadvertimus, ubi illa Baronii verba recitavimus: *Sæpe quidem, atque pavendis est demonstratum exemplis, quod Pontifices illi qui causam Fidei paulo segnius tractaverunt, ac remissius curaverunt, a Christo primario omnium Pastore fuerint quam celeriter ex hac vita subtracti.* Hanc tamen sententiam piam sane, sed minus solidam, rejiciunt Florentinius, Norisius, Pagius *in vita Siricii*, aliique scriptores bene multi, quorum responsa, & argumenta, ut brevitati consulamus, sat erit innuere. Primo igitur loco reponunt, Siricium, si Pontificatus tempora metiamur, in supremo Ecclesiæ gubernio quatuordecim, sive, ex veriori calculo, quindecim annos egisse; si vero ætatem consideremus, plusquam septuagenarium ex hac mortali vita excessisse. Quocirca nec breviores Pontificatus anni, nec mors immatura sanctum Siricium exagitant. Secundo, alia exempla suppetere sanctorum Ecclesiæ Pontificum, Damasi, ac Julii, qui licet Hæreticos, a quibus decepti, fuerant, non damnaverint, celeri tamen morte sublati non sunt: *Hic tamen ab his quærerem*, inquit Norisius, *cur Deus ab hæretico deceptum Damasum non statim e vivis sustulit, uti cum Siricio factum putant? Julius Papa post absolutum Marcellum Ancyræ Episcopum, quinquennio superstes vixit, cum illum Liberius postea damnaverit.* Tertio, si accuratiori temporis supputationi, quam Norisius producit, & probat, hæreamus, supremo Siricii

vitæ

vitæ anno Rufinus Origenianos libros Periarchon latinitate donavit; ideoque Siricio, qui nonnisi menses aliquot superstes fuit, tarditas, & socordia opponi non debent. *Juxta ejusdem* (Chronologiæ) *calculos*, ita Norisius, *Siricius post latinitate donatos libros Periarchon Origenis, aliquot tantum menses superstes fuit. Ejus vero Successor Anastasius, post triennium fermo sui Pontificatus Rufinum cum ceteris Origenistis condemnavit*. Ex quo fit, ut cum triennalis mora, Anastasii sanctitati non noceat longe brevius mensium aliquot intervallum Siricii probitati non officiat. Sane Anastasius judicium protraxit, non quia socors, sed quia cautus; ut nimirum, quæ necessario præmittenda erant, neutiquam negligerentur. *In qua procrastinatione*, sequitur Norisius, in toties a Nobis laudata Dissertatione, *nullum socerdiæ vitium vituperari potest, sed exactius totius causæ examen commendandum venit*. Postremo absurdum videtur, Siricii Pontificis obitum, etiamsi celerem, atque festinatum fuisse haud inviti daremus, divinæ ultioni adscribere, cum teste Hieronymo *in epist.* 127. *ad Principiam*, breviores Anastasii Pontificis anni, singulari Divinæ Providentiæ beneficio tribuantur, ne scilicet Orbis caput sub tali Episcopo truncaretur; *imo idcirco raptus, atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur*. Improvidi ergo consilii est divinæ voluntatis Decreta de variis vitæ, ac mortis eventibus, curiosius investigare, atque ad habetioris ingenii humani captum illa demittere; sicut enim, proposito sibi exemplo Siricii, atque Anastasii, ratiocinatur Florentinius *pag.* 1002., *male eadem vita festinata abscissio, in uno ad insimulandam negligentiam, eodem contextus inducitur in alio ad Sanctitatis indicium*.

Siricii causa accuratissimo judicio discussa.

XCIV. Etsi judicium, quod de Sanctia alicujus nomine Martyrologii tabulis inscribendo, aut in Martyrologium, unde expunctum fuit, restituendo instituitur, multum differat ab eo judicio, in quo solemnis Canonizationis agitur causa, ut observat Christianus Lupus *in Notis ad Concilium IV. Romanum sub Leone IX. tom.* 3. *pag.* 574. nosque item animadvertimus *in lib.* 4. *de Canonizatione Sanctorum part.* 2. *cap.* 17. *num.* 9. in hac tamen, quam pro sancto Siricio agitavimus, controversia, eadem fere ratio, ac methodus, quæ in causis Canonizationum obtinet, a nobis servata est. In Canonizationum judicio, hæc præ ceteris locum habent: Primo Servi Dei virtutes exponendæ, ac rite ab iis, quorum interest, probandæ sunt: Secundo, si quæ reliquæ adhuc sunt difficultates, diluendæ: Tertio, quovis remoto obice, ad probandas Pontificio Decreto virtutes tuto transitur. Pari ferme œconomia Siricii Causam tractavimus. Ea cum primis, quæ Siricii Sanctitati favent, expendimus; quo spectant argumenta, ab opinione, & fama Sanctitatis, ab ejus virtutibus, ac probatæ fidei Martyrologiis petita. Deinde, quæ contra Siricium objici solent, quibus fortasse innixi Correctores sub Gregorio VIII. Siricii nomen rejiciendum censuere, enumeravimus, ac confutavimus. Nil ergo prohibet, quominus, causa satis cognita; ac validissimis rationibus, ac monumentis, quæ Siricii Sanctitatem demonstrant, probe discussis, Siricii nomen Martyrologio Romano inscribendum sit; quod idcirco inscribendum decrevimus, atque mandavimus. Qua in re, cum & tanti Pontificis Sanctitati bene consultum sit, & Nostra vota, quæ jam tum, cum Promotoris Fidei munere fungebamur, Nostro insederant animo, tandem nobis in supremo Apostolatus officio constitutis, fuerint impleta, vehementer gratulamur.

Summus Pontifex Regi gratulatur.

XCV. Hæc sunt, quæ Majestati Vestræ circa novam Martyrologii Editionem duximus significanda. Par enim Nobis visum est, eidem Majestati Vestræ, cujus regio sumptu nobilis hæc Editio prælo subjicitur, animi Nostri sensus, & quæ in nuperam hanc Editionem contulimus, aperire. Multas sane Nostra hæc Epistola implevit paginas; eam tamen, etsi prolixiorem, nec gravem, neque injucundamque fore confidimus, cum Nobis compertum sit quanta in Deum pietate, quanta item in Sanctos veneratione, ac obsequio Majestas Vestra feratur. Postremo, Omnipotentem Deum bonorum omnium largitorem enixe precamur, ut divitiarum suarum, Cælestium cum primis, copiam effundens, Vos diu servet incolumes, Vestramque Regiam Familiam numquam defitura successione confirmet. Regna vestra pacata custodiat, eorumque fines in remotissimas usque Infidelium regiones protendens, quod incepit, perficiat. Et Majestati Vestræ, Vestræque Regiæ Familiæ Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die prima Junii MDCCXLVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

DECRETUM

PRO OFFICIO, ET MISSA

S. SIRICII PAPÆ, ET CONFESSORIS

Urbis Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ.

SANCTISSIMUS Dominus Noster BENEDICTUS PP. XIV., *cui Capitulum, & Canonici Basilicæ sancti Petri in Vaticano humillime supplicarunt pro facultate recitandi Officium Sancti Siricii Papæ, & Confessoris sub ritu duplici, die præfinienda a Sanctitate sua, & cum Lectionibus secundi Nocturni ab eadem pariter præscribendis, Oratorum preces non modo non respuit, sed, cum olim in prædicta Basilica Theologalem Præbendam essequutus, curaverit, ac obtinuerit, ut quæ Basilicæ Lateranensi concessa fuerant Sanctorum Pontificum Romanorum Officia, ad Vaticanam quoque extenderentur, eisdemque libenti animo annuere consentaneum omnino duxit. Quin pergratum habuit, a Vaticanæ Basilicæ florentissimo Clero primum in publicis Divinis Officiis Dei opem S. Papæ Siricii meritis invocari, ad cujus Sanctitatem tuendam, dum Canonicatum in eadem Basilica potiretur, curas conferre cœpit, quibus ad Summum Pontificatum assumptus, plurimo labore optatum finem imposuit. Propterea Oratorum votis assentiens, cum dies 26. Novembris Sancti Siricii emortualis, in Vaticana Basilica impedita sit, diem 31. Octobris pro recolenda singulis annis ejusdem sancti Pontificis festivitate assignavit, ejusque Officium sub ritu duplici cum infrascriptis Oratione, & Lectionibus secundi Nocturni a se probatis, a prædictis Oratoribus recitari, ac Missam celebrari posse benigne indulsit, atque concessit. Hac die 23. Junii 1749.*

D. F. Card. Tamburinus Præf.

F. Patriarcha Hierosolymitanus Secr.

Die 31. Octobris.

IN FESTO S. SIRICII PAPÆ, ET CONFESSORIS.

Duplex.

Omnia de comm. Conf. Pontif. præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Siricium Confessorem, atque Pontificem, Ecclesiasticæ Disciplinæ propagatorem eximium effecisti; da Ecclesiæ tuæ ejus institutis proficere, & meritis adjuvari. Per Dominum nostrum, &c.

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTUR.

Lect. IV.

SIRICIUS Romanus, ex Presbytero Tituli Pastoris, vita functo sancto Damaso Papa, Cleri,

ri, populique universi acclamatione ad Apostolicam Sedem evectus est, obstrepente frustra Ursicino Schismatico, gratulante vero in primis Valentiniano Imperatore, qui magnum innocentiæ, & probitatis exemplum eum prædicavit. Ipso sui Pontificatus exordio Decretalem epistolam saluberrimis institutionibus plenam ad Himerium dedit Tarraconensem Episcopum, aliisque Hispaniarum Ecclesiis communicandam, ut corrupti Clericorum mores emendarentur, & disciplinæ vigor instauraretur; quam in Africa quoque collabentem, habita Romæ Synodo octoginta Episcoporum, reparandam curavit.

℟. Inveni David, &c.

Lectio V.

INNUMERA sunt cetera, quæ pro fidei defensione tota sui Pontificatus tempore invicte peregit. Jovinianum Monachum, sanctæ Virginitatis hostem, & Christianum Epicurum, in Romana Synodo anathemate confixit. Bonosum quoque Sardicensem Episcopum Christi Divinitatem, & Deiparæ post partum virginitatem inficiantem, damnavit. Manichæos ex Urbe ejectos Imperiali lege, secularibus pœnis coercendos subjecit; redeuntes vero ad Ecclesiam, in Monasteria detrudi, ac nonnisi in vitæ exitu ad communionem recipi voluit.

℟. Posui adjutorium, &c.

Lectio VI.

RELIGIONIS tuendæ, & amplicandæ studium, quod sane quam maximum declarabat, egregie adjuvit Magnus Theodosius Imperator; qui, cum sublatis gentilium simulacris, templis interdictis, aut eversis, idolorum cultum omnem aboleri jussisset, Christiana Religio, ipso sedente Pontifice, mirifice propagata est. Præclaris pro Ecclesia functus laboribus, editisque sanctissimis Legibus, septuagenario major obdormivit in Domino anno salutis trecentesimo nonagesimo octavo. Sedit in Pontificatu annos circiter quatuordecim. Ejus corpus e cœmeterio Priscillæ via Salaria in Titulum sanctæ Praxedis a Paschali I. translatum est. Illius vero nomen BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus, plene vindicata ejus ab objectis criminibus innocentia, in Romani Martyrologii tabulas referri jussit.

℟. Iste est qui ante Deum, &c.

IN III. NOCTUR.

Die 31. Octobris.

Homilia in Evang. Vigilate *de comm. Conf. Pontif.*

IN FESTO S. SIRICII PAPÆ, ET CONFESSORIS.

MISSA.

SACERDOTES tui, Domine, *de Communi Conf. Pontif.*

ORATIO.

DEUS, qui beatum Siricium Confessorem, atque Pontificem, Ecclesiasticæ Disciplinæ propagatorem eximium effecisti; da Ecclesiæ tuæ ejus institutis proficere, & meritis adjuvari. Per Dominum nostrum, &c.

CAPUT XI.

De Sacris Reliquiis.

QUAMQUAM decreta Sacræ Congregationis Rituum, quæ retulimus tom. 4. de Beatificat. & Canonizat. lib. 4. part. 2. cap. 28., vetent Concessionem Officii, & Missæ ratione insignis reliquiæ, aut integri corporis, nisi corpus, & insignis reliquia sit alicujus Sancti descripti in Martyrologio Romano, & nisi de ejus identitate constet, itaut eorumdem decretorum vi excludatur concessio Officii, & Missæ ex titulo corporis, aut insignis reliquiæ Sancti sive beatificati, sive non descripti in Martyrologio Romano; Aliquando tamen ex peculiaribus quibusdam circumstantiis a prædicta regula Sacra Congregatio recessit, uti patet ex ejusdem decreto a Nobis relato loco superius citato nostri Operis. Nos quoque ab eadem semel recedendum esse duximus. Cum enim corpus S. Amantii Martyris cum proprio nomine in Sacris Urbis cœmeteriis inventum, a Cardinali Paulutio Urbis Vicario dono datum fuisse Abbati, & Religiosis Congregationis Lateranensis Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini diœcesis Passaviensis, conditumque in Monasterii Ecclesia pio religionis cultu ab omnibus Christifidelibus honoraretur, ad enixas Cardinalis Lambergh Passaviensis Episcopi preces, Nos per literas Apostolicas sub titulo, & forma Brevis Officium, & Missam de Communi unius Martyris concessimus; quas subnectimus.

Dilecto Filio Nostro Josepho Dominico Tituli Sancti Petri in Monte Aureo Presbytero S. R. E. Cardinali Lambergh nuncupato, ex concessione, & dispensatione Apostolica Ecclesiæ Passaviensis Præsuli.

BENEDICTUS PAPA XIV.

DILECTE Fili noster salutem &c. Quas dilectorum Filiorum Abbatis, & Religiosorum Congregationis Lateranensis Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini istius diœcesis tuæ Passaviensis nomine demissas Nobis porrexisti, preces eo gratiori Apostolicæ benignitatis studio excepimus, quo ad mirabilem in sanctis Martyribus laudandam omnipotentis Dei gloriam intentiori pietatis ardore subnixas esse novimus. Itaque libenti animo, & Apostolica auctoritate per hasce nostras in forma Brevis literas, quas ad te damus, concedimus, & indulgemus, quotannis Officium, & Missam de Communi unius Martyris dumtaxat sub rito duplici majoris ab iisdem Abbate, & Religiosis in Monasterio, seu Conventu S. Nicolai nuncupato, prope istam civitatem Passaviensem sito, pro tempore existentibus tantummodo in perpetuo recitari, & celebrari eo die, quo per te semel assignando agetur festum S. Amantii Martyris, cujus sacrum corpus in hujus almæ Urbis nostræ sacris cœmeteriis cum proprio nomine inventum, & a bonæ memoriæ Fabricio Cardinali Paulutio, dum vixit, ejusdem Urbis Vicario, alias dono datum, in ipsius Monasterii, seu Conventus S. Nicolai Ecclesia conditum haberi asseris, & præcipuo, pioque religionis cultu honorari. Fore autem in Domino confidimus, ut hoc Apostolicæ Indulgentiæ argumentum tibi quidem sit clariori ad propensam in te voluntatem nostram amplius cognoscendam testimonio, illis vero vehementiori ad majores in religiosæ vitæ, & regularis disciplinæ observantia progressus faciendos incitamento. Interea Apostolicam benedictionem, quam iisdem Abbati, & Religiosis per te quoque impertiri volumus, tibi, dilecte Fili noster, peramanter elargimur. Datum Romæ &c. die 21. mensis Julii 1741.

CUM post approbatas virtutes, & miracula Servorum Dei Camilli de Lellis, & Joseph a Matre Dei solemnitas formalis Beatificationis immineret, exhibitæ Nobis preces fuerunt pro corporum eorumdem

rumdem translatione, & elevatione, seu collocatione in decentiori, & nobiliori loco venerationi Fidelium exposito. Precibus annuimus, Literasque Apostolicas in forma Brevis dedimus Ludovico Valenti Fidei Promotori, quas subjungimus.

Pro elevatione Corporis

VEN. SERVI DEI CAMILLI DE LELLIS

Fundatoris Patrum Ministrantium Infirmis

Dilecto Filio Magistro Ludovico Valenti in utraque Signatura Nostro Referendario, ac Fidei Promotori.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DE Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R E. Cardinalium sacris Ritibus præpositæ consilio, & assensu, ut Servus Dei Camillus de Lellis Fundator Clericorum Regularium Ministrantium infirmis in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, & Reliquiæ venerationi Fidelium (non tamen in Processionibus circumferendæ, exponantur, & alias prout in aliis nostris in simili forma Brevis literis desuper expediendis uberius continebitur, quamprimum auctoritate Apostolica indulgere intendentes, ac cupientes, ut ejusdem servi Dei corpus ex tumulo in Ecclesia sub invocatione S. Mariæ Magdalenæ de Urbe ejusdem Congregationis Ministrantium Infirmis sito, in quo conditum reperitur, elevatum in decentiorem, nobilioremque locum transferatur, ac collocetur, ad quem accedentes Christifideles venerentur; necnon ut ea omnia, quæ in hujusmodi elevationibus servari solent, exacte serventur: Tibi, qui Promotoris Fidei munus, quod Nos, dum in minoribus essemus, præstitimus, tanta cum sapientia, integritate, pietate, zelo, ac sedulitate obire pergis, per præsentes committimus, & mandamus, ut te ipsum ad locum, in quo positum est ejusdem Servi Dei Corpus, conferas, & clausis januis, & quibuscumque aliis (præter publicum Notarium Acta omnia per te conficienda rogaturum, nec non dilectos Filios modernos Præpositum Generalem, Procuratorem Generalem, ac Assistentes, & Postulatorem causæ dicti Servi Dei in eadem Congregatione sacrorum rituum, atque eos ministros, seu fossores, quas ad hujusmodi ministerium, & opus necessarios esse duxeris, tantum, nec omnino alios (sub excommunicationis latæ sententiæ pœna ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo, nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente absolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo constitutus, obtinere queat, & ipso facto ab omnibus cujuscumque status, dignitatis, conditionis, auctoritatis, præeminentiæ, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ prædictæ Cardinalibus, statim incurrenda, aliisque ad nostrum arbitrium imponendis pœnis, & censuris, tumulum, in quo Corpus dicti Servi Dei jacet, per antedictos ministros effodi, arcamque, seu loculum, in quo conditur, reserari facias, nec non omnia, & singula accuratissime inspicias, quæ ad authenticitatem ejusdem corporis firmandam apposita fuisse, memoria traditum est, ac præsertim signa, aliaque hujusmodi recognoscas, ceteraque scruteris, quæ pro tua hac in re singulari peritia duxeris notanda. Præterea tibi committimus, & mandamus, ut singulis antedictis, quos solus tecum dumtaxat, ut permittitur, interesse statuimus, sub suspensionis, Interdicti, & excommunicationis latæ sententiæ, aliisque pœnis, & censuris, Nobis, ut præfertur, reservatis denunties, & inhibeas, ne quilibet eorum Nobis insciis, & inconsultis, quippiam, vel minimam Corporis partem dicti Servi Dei auferre, detrahere, ac secum asportare audeant. Postquam vero hæc omnia præstiteris, idem Corpus in aliqua arca, seu loculo recondas, tuo in cera hispanica signo munias, & in aliquo decentiori loco diligentissime, ac tutissime custodiendum cures, donec opportuno tempore debitis cum honore, & cautelis in eo loco, in quo in futurum servandum, colendumque erit, collocetur. Eapropter tibi omnes, & singulas super negotio hujusmodi, ea qua decet & opus est, fide ac diligentia perficiendo, necessarias, & opportunas facultates auctoritate Apostolica tenore præsentium tribuimus, & impertimur: Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 5. Martii 1742. Pontificatus nostri anno secundo.

ALIAS similes literas dedimus die 16. Junii 1748. Pontificatus Nostri anno octavo pro elevatione Corporis V. Ser. Dei Josephi a Matre Dei Fundatoris Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

CUM pro identitate Corporis S. Joannis de Matha, quod Matriti colitur, asserenda, Nos in minoribus constituti, dum Promotoris Fidei munere fungeremur, plurimum adlaboravissemus, die 6. Septembris anno 1721. a Sacra Rituum Congregatione decretum emanavit; constare de identitate: *quod ab Innocentio XIII. Prædecessore nostro approbatum fuit. Mox a Canonicis Basilicæ Vaticanæ impetravimus, ut Fratres Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Excalceatos nuncupatos ab omni obligatione liberarent prædicta ossa Sancti Joannis Romam, unde in Hispania translata fuerant, remittendi. Canonicorum consensus, Nobis adnitentibus, a Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die 7. Februarii anno 1722. cum clausula de Apostolico beneplacito impetrando confirmatus fuit. Porro ad Summum Pontificatum evecti, Sarcophagum, ubi ossa ejusdem S. Joannis de Matha tumulata diu Romæ jacuerant cum insculpta epigraphe hoc indicante in Hispanias ad præfatos Religiosos misimus, Nostrasque in forma Brevis literas edidimus, in quibus prædicta omnia recenserentur, & Apostolica auctoritate confirmarentur. Easdem subjicimus.*

Dilecto Filio Michaeli a S. Josepho Ministro Generali Fratrum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Excalceatorum nuncupatorum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam Benedictionem.

MINIME dubitavimus, quin memoria retineas, quidquid a Nobis alias dum Tu quidem Officium Procuratoris Generalis inclyti Ordinis tui in hac Alma Urbe nostra obires, Nos vero in minoribus constituti, Promotoris Fidei munus gereremus, præstitum fuerit, ut debitus Sacris exuviis S. Joannis de Matha ejusdem tui Ordinis Fundatoris cultus restitueretur. *Pont. alias de cultu S. Joannis de Matha sollicitus fuit.* Illius namque Corpus in arca marmorea, seu sarcophago in Ecclesia sub invocatione Sancti Thomæ Apostoli in Formis dicta in monte Cœlio ejusdem almæ urbis Nostræ, quæ ad dilectos Filios Capitulum, & Canonicos, Basilicæ Principis Apostolorum S. Petri in Vaticano spectat; etsi ab initio conditum; *Olim Corpus dicti Sancti Romæ servabatur.* tamen anno millessimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, inde in Hispanias translatum apud Nuntium hujus Apostolicæ Sedis in Hispaniis tunc temporis commorantem depositum fuit: quod denique anno MDCLXXXVI. cl. mem. Marcellus Cardinalis Duratius apud Hispaniarum Regem Catholicum Apostolicus itidem Nuntius Ministro Generali, & Diffinitorio laudati Ordinis ea tradidit conditione, ut sub altari Capellæ in Cella Venerabilis Fratris Thomæ de Virgine Matriti erectæ collocaretur. *Deinde in Hispanias translatum Matriti repositum fuit.* Mota autem Congregatione Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium Sacris ritibus Præpositorum *De controversia orta in Sac.*

tam

Rituum Congregatione super Identitate Corporis S. Joannis de Matha.

tam anno MDCV. controversia quoad Identitatem Ossium Corporis S. Joannis de Matha, quæ Romæ primum, postmodum Matriti asservari asserebatur, ipsa Congregatio respondit. *Non constare de Identitate*; iterum jussu fel. rec. Clementis PP. XI. Prædecessoris nostri postulato super ipsa Identitate apud eamdem Congregationem Cardinalium edito, factum fuit, ut Nobis, dum partes Promotoris Fidei ageremus, per gravissima rationum momenta in quarto Libro Operum nostrorum de Canonizatione Sanctorum part. 2. cap. 15. num. 8. typis impressa, adnitentibus, plena resolutio, postquam laudatus Clemens XI. Prædecessor Noster viam universæ carnis ingressus fuisset, die XIX. mensis Martii, prodiret die VI. mensis Septemb. anno MDCCXI. *Constare nimirum de Identitate*. Eapropter hujusce resolutionis decretum rec. mem. PP. itidem Prædecessor noster approbavit.

Ex sententia Summi Pontificis, tunc Prom. Fidei, prodiit resolutio affirmativa.

A sum. Innocentio XIII confirmata.

Deinde Pont. egit cum Capitulo Vaticano pro consensu, ut dictum Corpus Romam denuo transferretur,

Quoniam autem eodem tempore, & Promotoris Fidei, & Secretarii Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum muneribus fungentes, Canonicatu etiam in eadem Basilica Vaticana fruebamur, ita cum Collegis Nostris egimus, ut benigne Nostris votis assentientes, ipsos Fratres sæpedicti Ordinis tui ab omni penitus liberarent onere, & obligatione, Ossa S. Joannis ex Hispaniis, ubi custodiebantur, Romam, unde translata fuerant, iterum remittendi. Nec minorem sane adhibuimus operam, ut consensus hujusmodi a Capitulo Vaticano præstitus ab eadem Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die septima Mensis Februarii anno MDCCXXII. Nobis Secretarii ministerium sustinentibus cum clausula de Apostolico beneplacito impetrando, approbaretur.

Laudes Ordinis Ss. Trinitatis, & erga illum Pont. benevolentia.

Porro ad supremum Sacrosancti Apostolatus Apicem quamvis immerentes per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam evecti, ubi opportuna sese dedit occasio, quemadmodum rebus ipsis expertus es, nullam passi sumus elabi opportunitatem, quam arripientes, Ordinem, cui tenta cum nominis tui, & regularis disciplinæ laude Minister Generalis modo præes, de catholica Religione, & æterna Christifidelium salute benemereri pergentem, præclaris Apostolicæ Nostræ benignitatis, auctoritatisque argumentis non cumulaverimus. Verum ut Tibi, dilecte Fili, tuisque Religionis Alumnis magis magisque pateat, quanta Vos paterna caritate complectamur, quantaque veneratione S. Joannem de Matha Fundatorem dicti Ordinis prosequamur; memores, quod in memorata Ecclesia Sancti Thomæ in Formis, post Altare Majus, in parvo Sacrario, adhuc vacua reperiretur Urna Marmorea, sive Sarcophagum, ubi Ossa ejusdem Sancti Joannis de Matha tumulata diu jacuerant; una cum insculpta epigraphe hoc indicante, illa, seu illud Nobis a Capitulo, & Canonicis antedictæ Basilicæ Vaticanæ dono dari postulavimus: Nec alia certe ratione, quam ut nos quidem illud monumentum pari donationis titulo Tibi elargiremur. Tu vero in Hispanias transmittendum, & tuis Religiosis alumnis Matriti commorantibus tradendum curares; hi demum ea, qua decet, veneratione ibi custoditum tenerent. Æquum enim Nobis visum est, ut ubi Ossa Sancti Joannis in præsentia requiescunt, ibi & pristinum eorumdem Sacrorum Ossium Sarcophagum cum inscriptione, in perenne veritatis argumentum constitueretur.

Ob quam Pont. veterem urnam, in qua corpus dicti Sancti Romæ servabatur, Ministro Generali donat.

Ut in urbi ejus Ossa reponantur.

Ceterum fusius per hasce Nostras in forma Brevis literas non tam Te, quippe qui omnium hac in re gestorum conscius es, atque particeps, quam modernos, ac futuros Ordinis tui Religiosos Alumnos monitos volumus, ut non solum quidquid hactenus actum gestumque fuerit, futuris temporibus perspectum, verum Apostolica etiam auctoritate per easdem Nostras litteras, tamquam authentica documenta, confirmatum haberent. Interim ad Te, tuosque Fratres potissimum pertinet, ut tam pretioso munere gaudentes, assiduis Nos apud Deum vestrarum obsecrationum suffragiis commendatis, dum Nos cælestis præsidii auspicem, & studiosæ nostræ ad Vobis, quoad integrum est, gratificandum voluntatis pignus esse cupimus Apostolicam Benedictionem, quam Tibi, dilecte Fili, iisdemque Religiosis Alumnis tuis peramanter impertimur.

Præsentium Literarum auctoritate omnia præmissa firmantur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die tertia Februarii MDCCXLIX. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Dat. Pont. Anno IX. die 3. Februarii 1749.

Cajetanus Amatus.

C A P U T XII.

Nonnulla Miscellanea ad Materiam Sacrorum Rituum aliquo modo pertinentia.

PLURA hoc Pontificatus Nostri tempore decreta edidimus, quæ ad sacros Ritus revocari aliqua ratione possunt. Universa hoc capite complectemur, ea tamen prætermittentes, quæ superioribus nostri Operis tomis inserta reperiuntur. Sic duplicem omittimus Constitutionem, quarum altera die 29. Augusti 1744. prærogativas aliquas Advocatis Consistorialibus concessimus; altera die 7. Junii 1746. præcedentiam statuimus, quæ servanda est inter Votantes Signaturæ Justitiæ, & Gratiæ in sedendo, & vota ferendo. Prima enim inserta est Tom. VII. pag. 97. & seqq. secunda eidem Tom. VII. pag. 204. Omittimus etiam formulam dimittendi Episcopatum in locis Infidelium &c. quæ prodiit 15. Martii 1744., & legitur Tom. VII. pag. 23. & decretum de S. Joanne a Cruce in Litaniis invocando editum 4. Septembris 1741. insertumque Tom. IV. pag. 377. Omittimus tandem decretum de taxationibus, ac summis persolvendis pro laborantibus in Caussis Servorum Dei, editum die 14. Aprilis 1741. quod dedimus Tom. I. pag. 354. & seqq. His omissis, alia subdimus decreta ad Sacros Ritus quoquo modo pertinentia.

De Cautelis præstandis in conficiendis Processibus super fama sanctitatis Servorum Dei. De prohibendis Imaginibus Spiritus Sancti sub humana specie depicti. De aliis superstitionibus non tolerandis.

Venerabili Fratri Joseph Episcopo Augustano.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Inquisitiones peractæ super vita, & moribus Sororis Crescentiæ.

SOLLICITUDINI nostræ dudum relatum fuerat, in Civitate Imperiali Kauffbura, quam incolunt simul Orthodoxi, ac Lutheranæ professionis Sectatores, vitam degere sanctimonialem quamdam, Crescentiam nomine, adeo sanctitatis opinione celebratam, ut assiduus ad eam concursus fieret hominum, etiam virtute, & genere illustrium. Quapropter, multiplici experimento edocti, inanes aliquando affectatæ sanctitatis larvas obtendi, atque etiam ab animarum Directoribus, ob suos peculiares fines, eosque interdum minus rectos, deprædicari, & vulgari; datis ad Fraternitatem tuam literis die 17. Maii superioris Anni 1744., Discretioni tuæ commisimus, ut in prædictæ Sororis Crescentiæ vitam, & mores inquireres, deque illius agen-

agendi rationibus, ſive bonis, ſive malis, certiores Nos redderes.

§. 1. Quamvis autem ante Literarum noſtrarum adventum, eadem Soror Creſcentia extremum diem obiiſſet; ideoque expiraſſe dici poſſet noſtra Tibi directa commiſſio; attamen Fraternitas tua Paſtoralis vigilantiæ partes eſſe judicavit, graves quoſdam, atque prudentes Viros ad id ſubdelegare, ut in ejuſdem Defunctæ mores eam inquiſitionem explerent, quam, ipſa vivente, fieri cupiebamus.

§. 2. Hujus itaque inquiſitionis acta, aliaque ad rem pertinentia, una cum Epiſtola tua ſcripta die 24. Maji proxime elapſi, ad Nos allata fuerunt; & Nos quidem Epiſtolam ipſam ſtatim legimus & perpendimus; ipſa vero acta, aliaque adnexa, Viris expertis tradidimus redigenda in ſummarium; quod deinde ſimul ac per tot alias, quibus diſtinemur, occupationes, & curas Nobis licuit, cum ipſis authenticis actis, & documentis conferre non prætermiſimus.

Ex Proceſſu nihil eruitur ſupra communem vitæ probitatem. §. 3. In his omnibus equidem nihil offendimus, ex quo defuncta Soror Creſcentia de affectatæ ſanctitatis crimine argui poſſit. Verum ex ipſis Teſtium dictis (etiamſi integra fides iis adhiberetur, nec ulla juſta adeſſet ſuſpicio, eos ad ſavendum prædictæ Sorori præcedenter inſtructos fuiſſe,) illius quidem vitam ad normam probitatis exactam, & gravibus exemptam criminibus agnoſcere Nobis viſi ſumus; nullam tamen heroicam virtutem, nullum ſignum, ſive miraculum ab omnipotenti Deo, ipſius interceſſione, patratum deprehendiſſe, ingenue fatemur.

Idem Operis SSmi D. N. de Canonizatione Sanctorum. §. 4. Non ignotum Tibi eſſe Opus *de Canonizatione Sanctorum* a Nobis conſcriptum, ex Fraternitatis tuæ Literis intelleximus. In quo Opere elaborando, poſtquam ultra viginti annos in munere Promotoris Fidei verſati fuimus, qualemcumque operam Noſtram conferre opportunum duximus; non ut doctrinæ laudem, ac nominis celebritatem conſequeremur; ſed ut certam, ac tutam methodum traderemus dirigendi ſeriem Cauſarum Beatificationis, & Canonizationis, quæ ob varias opiniones Scriptorum, qui in negotiis Congregationis Sacrorum Rituum non ſatis verſati fuerant, aliquo modo involuta, ac perturbata videbatur; atque omnium oculis pateret, quam caute, ac diligenter Apoſtolica Sedes in hujuſmodi Cauſarum examine ſe gereret.

Caute procedendum in conficiendis Proceſſibus ſuper fama ſanctitatis. §. 5. Inhærendo itaque Regulis in eo Opere expoſitis, quæ non equidem a Nobis conditæ, aut primum excogitatæ, verum ex præfatæ Congregationis diſciplina collectæ, & in aliorum uſum productæ fuerunt, ſatis agnoviſſe poterit Fraternitas Tua, hujuſmodi Cauſis initium fieri a conficiendis Proceſſibus propria, & ordinaria auctoritate Epiſcoporum, ſive aliorum ordinariorum Præſulum. In his tamen minime properandum eſſe in demandanda confectione hujuſmodi Proceſſuum, ſed expectandum eſſe congruum temporis intervallum ab obitu illius Dei Servi, ſive Ancillæ, de cujus virtutum, aut miraculorum fama inquirendum ſibi eſſe duxerint; neque vero admovendam eſſe operi manum, niſi præceſſerit vera, & legitima fama virtutis heroicæ, aut miraculi ad illius Servi Dei interceſſionem, ſive invocationem, a Deo patrati. Nihil enim frequentius eſſe, quam poſt mortem alicujus fidelis Viri, aut Mulieris, magnam Sanctitatis, vel miraculorum opinionem in populo oriri, ac potiſſimum ſi ab aliquibus de induſtria rumor foveatur; quæ tamen opinio, niſi veritate innixa ſit, vel ipſo temporis lapſu langueſcere, & interire, vel etiamſi hominum artificiis aliquandiu ſuſtentari pergat, perſpicuis tandem Divinæ Sapientiæ conſiliis deſtrui, & confundi conſuevit. *Quid potiſſimum obſervari ſuperſit.* In conficiendis autem hujuſmodi Proceſſibus, præcipue conſiderandum eſſe extremum mortis articulum; in quo niſi aliquid illuſtre, & ſanctitate conſpicuum ſe obtulerit, reliquæ omnes inquiſitiones ſupervacaneæ remanent. Denique ubi a Defuncto, vel ipſo jubente, & probante, ab alio quolibet, aliquid ſcriptum fuerit; ne in præfatis concinnandis Proceſſibus inutiliter tempus, aurumque inſumatur; ante omnia ad trutinam revocanda eſſe hujuſmodi ſcripta, ac diligenter inveſtigandum, an aliquid contra Fidei veritatem, aut contra morum integritatem contineant, vel ullam peregrinæ doctrinæ novitatem a communi Eccleſiæ ſenſu, & conſuetudine alienam exhibeant.

De iiſdem cautelis. §. 6. Porro Fraternitati tuæ in procuranda Proceſſus ad Nos tranſmiſſi compilatione, non id propoſitum fuiſſe putamus, ut Cauſam Beatificationis Sororis Creſcentiæ quandocumque promovendam inchoare volueris. Novimus, potiſſimum inquiſitionis peractæ ſcopum fuiſſe, ut de Monialis defunctæ moribus inſtructos Nos redderes, & an affectatæ ſanctitatis notam meruerit, Nos edoceres. Sed quoniam facile evenire poſſet, ut fervente adhuc plurium pio erga illam affectu, enixe a Te poſtularetur, ut conficiendis Proceſſibus initium fieret; idcirco inopportunum duximus, præmiſſa omnia Tibi in memoriam revocare, tutioremque agendi rationem paucis innuere; quum neceſſarium omnino putemus, per aliquod temporis ſpatium inquiſitiones differei, atque interim obſervari, quo res evadat; an ullum appareat artificii, humanæque machinationis veſtigium; an denique requiſitæ conditiones adſint pro inchoandis Proceſſibus ad beatificationis judicium inſtruendum profuturis.

§. 7. Quod etiam in caſu, de quo agitur, magis expedire cenſemus; tum quia in collectis nuper plurium Virorum, atque mulierum teſtimoniis, ut ſupra diximus, nulla elucet heroicæ virtutis, aut miraculorum probatio, nec in obitu Sororis Creſcentiæ ſplendidum ullum ſanctimoniæ indicium apparet, tum quia complura hujus ſcripta ſuperſunt, quæ ante omnia opus eſt ad examen vocari. Quod ſi etiam compilationis Proceſſus Ordinarii, ad inchoandam Beatificationis Cauſam locus eſſet; neceſſarium plane videretur exactam Inſtructionem pro recta illius confectione, juxta ea, quæ in prædicto opere Noſtro *De Canonizatione* conſcripſimus, hinc ad vos mittere; quum in prædicto Proceſſu Nobis oblato, noſtroque juſſu a peritiſſimis Viris diſcuſſo, animadverſum fuerit, Teſtes in eo inductos turmatim examinatos fuiſſe; nec prævium, ut par erat, juſjurandum præſtitiſſe; cumque non ita, ut oportebat, interrogati fuerint, generalia dumtaxat depoſuiſſe nihil de peculiaribus actionibus defunctæ Sororis enarrantes.

Imagines Spiritus Sancti ſub humana ſpecie effeminata. §. 8. Atque hæc, Venerabilis Frater, ſatis eſſe poſſent, ad accuratam illam, quam de commiſſa tibi inquiſitione Nobis reddidiſti, rationem, nec ulterius progrederetur Epiſtola Noſtra, niſi alia quædam Literis tuis Nobis indicanda judicaſſes; inter quæ præcipuum locum obtinet, quod ſcribis, de publicatis, lateque diffuſis quibuſdam Imaginibus Spiritum Sanctum ſub ſpecioſi Juvenis forma referentibus, ſubſcriptis verbis: *Veni Sancte Spiritus:* de quibus Imaginibus utpote ſtatim undequaque ſparſis, atque multiplicatis duo potiſſimum inquirenda ſunt: primum, an Soror Creſcentia eas invenerit, vulgaverit, approbaverit; alterum, an (prætermiſſa indagine de earum auctore) hujuſmodi Iconum uſus, expreſſio, & veneratio, ſive intra Eccleſias, ſive extra illas admitti poſſit.

§. 9. Nos autem de prima quæſtione minime verba faciemus, eamque intactam relinquemus iis, quibus forſan de virtutibus Sororis Creſcentiæ quandocumque inquirendum eſſe contigerit; ſive agendum fuerit de permittenda introductione cauſæ ſuper ipſius Beatificatione, ſive introducta jam Cauſa, de ipſis virtutibus æſtimandis, & comprobandis.

Epiſcopi prohibitio a Pontifice confirmatur. §. 10. De altera vero quæſtione dicturi, primum omnium Apoſtolicum Fraternitatis tuæ zelum, quo hujuſmodi Imagines huc illuc ſparſas, & per Cœnobium, per Eccleſiam, per Chorum palam expoſitas, auferri, & removeri juſſiſti, laudamus, atque probamus: Te hortantes, imo etiam auctoritate, qua fungimur, Tibi mandantes, ut in ſuſcepto propoſito firmiter, conſtanterque perſeverans, nullo pacto permittas hujuſmodi Icones ulterius multiplicari; quaſcumque vero ullibi exiſtere compereris, eas omnes, & ſingulas de medio tollas; adhibitis iis auctoritatis ſimul, prudentiæque tuæ remediis, quibus optatum finem ſine turba, ac tumultu conſequi poſſe judicaveris.

Divina natura pingi non poteſt. §. 11. Neminem profecto latet, impium, atque ſacrilegum errorem fore, divinæque Naturæ inju-

L rio-

riosum, si quis se putaret Deum Optimum Maximum, sicuti in se est, coloribus exprimere posse. Quum enim illius Imago depingi, atque oculis subjici nequeat, nisi tamquam materialis alicujus substantiæ, corporea figura, & partibus præditæ, si quis has qualitates Divinæ Naturæ tribueret, is profecto in Anthropomorphitarum errorem incideret.

Imagines Dei juxta apparitiones in Scriptura relatas licitæ sunt.

§. 12. Repræsentatur tamen Deus eo modo, eaque forma, quibus in Scripturis Sanctis legimus ipsum mortalibus apparere dignatum esse. Licet enim id ab Heterodoxis Scriptoribus improbe reprehendatur, inter quos Simonem Episcopium vidimus *suarum Institutionum Theologicarum l. 4. sect. 2. c. 10.* asserentem non licere Deum pingere, ne sub ea quidem forma, qua se hominibus videndum exhibuit; ex nostris vero etiam, Durandus opinatus fuerit bujusmodi Imaginum usum minime expedire; & Joannes Hesselius, Catholicus itidem Scriptor *Catechismi sui lib. 1. cap. 65.*, huic opinioni favere videatur, dum ait innocuas quidem fore bujusmodi picturas, si a doctis tantummodo Viris conspici deberent; sed quum sapientium, & insipientium oculis expositæ esse debeant, facile evenire posse, ut indoctis per eas male de Deo credendi occasio præbeatur.

Auctoritates Theologorum.

§. 13. Nihilominus communiter Catholici Theologi aliter docent. Petavius *Theologicorum Dogmatum l. 15. De incarnatione cap. 14. ut videre est ipsius Operum tom. VI.*, licitum esse demonstrat, Deum sub ea forma depingere, qua ipsum accepimus semetipsum conspiciendum præbuisse: *Communi Catholicorum assensu inveteravit opinio, nimirum ut eatenus figurari Deus possit, qua sub externa aliqua specie aspectabilem se prabuit hominibus.* Molanus doctus auctor, *Historiæ sacrarum Imaginum l. 2. c. 3.* hanc ipsam sententiam confirmat: eamdemque quæstionem duo alii clari nominis Theologi egregie illustrarunt, nimirum Suarez *in 3. part. D. Thomæ tom. 1. quæst. 25. art. 3. disput. 54. sect. 2. pag. 793.* Valentia *tom. IV. suorum Operum pag. 384.* Quibus addendi sunt duo S. R. E. Cardinales, Bellarminus, & Gotti, a Nobis alias citati in Opere Nostro *De Canonizatione Sanctorum lib. IV. part. 2. c. 20. num. 2.*

Concilii Tridentini, & Sedis Apost. decreta.

§. 14. Imagines Deum ita repræsentantes minime reprobat sacra Tridentina Synodus *sess. 25. De invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus*; sed Episcopis mandat, ut Populos edoceant, per hujusmodi picturas erudiri, & confirmari Gregem Christi *in articulis Fidei commemorandis, & Assidue recolendis*. Si quis vero privatus hujusmodi Imaginum usum opinione sua reprobare ausus est, Ecclesiastico judicio damnatus fuit, ut indicat propositio XV. inter damnatas a fel. rec. Prædecessore nostro Alexandro Papa VIII. die 7. Decembris 1690., quæ sic habet: *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano* in *templo collocare*.

Ratio.

§. 15. Et profecto quum in Sac. Literis legatur, Deum ipsum sub hac, aut illa forma hominibus se videndum exhibuisse, cur sub eadem forma eumdem pingere non licebit? *Si ergo litera legentibus permittuntur; cum tamen sacræ Literæ in maxima veneratione habeantur, cur non etiam Imagines permittentur?* Verba sunt Alphonsi de Castro *l. 8. adversus Hæreses*; quo etiam argumento strenue usus est Cardinalis de Richelieu in suo Tractatu: *De faciliori ratione reducendi eos, qui se ab Ecclesia segregarunt lib. 3. pag. 419.*

Spiritus Sanctus licite pingitur I. sub specie Columbæ.

§. 16. His positis principiis minime dubiis, facile patebit, qua ratione Imago Spiritus Sancti a Pictoribus efformari debeat, & quænam ipsius Imagines approbari debeant, aut reprobari. In Sanctis Evangeliis a BB. Matthæo, Marco, & Luca conscriptis, ubi Baptismus enarratur, quem Dominus Noster Jesus Christus a Joanne accipere voluit, legitur, apertum fuisse Cœlum, & Spiritum Sanctum corporali specie, sicut columbam, super eum descendisse. Quod cur factum fuerit, mirifice explicat Dionysius Alexandrinus in Epistola adversus Paulum Samosatenum, quæ extat in Collectione Conciliorum Labbei *tom. 1. pag. 867.* ita: *Cur vero in specie Columbæ Spiritus Sanctus descendit? scilicet ut nos doceret, qui misit illum, quique eum, quem misit, accepit. Sicut enim Noe dimisit ex Arca Columbam, & ipse illam recepit; ad eam similitudinem intelligendum Nobis est, ipsius Christi esse Spiritum Sanctum coæternum, & quod erat ipsius, hoc dedisse Nobis; dividens, & effundens super omnem carnem credentium, quia Deus est, & Dominus, qui divisit Nobis suum Sanguinem, & Spiritum.*

De natura Columbæ in Jordane visæ, remissive.

§. 17. Non hic opus est in eam controversiam ingredi, quæ inter eruditos Criticos agitur, super illius Columbæ natura. De hac olim egimus in Nostro Tractatu *De Festis Domini Nostri Jesu Christi, Editionis Patavinæ* §. LIV. qua editione absoluta, recentiorem quamdam super hoc argumento vidimus Dissertationem inter *Discursus Historico-Criticos ad illustrationem veteris, & novi Testamenti* Typis editos *Hagæ Comitum an. 1737. pag.* 148.

Antiquus in Ecclesia mos pingendi Spiritum Sanctum in specie Columbæ.

§. 18. Quod autem ad præsentem quæstionem attinet, quum Spiritus Sanctus in Columbæ specie olim visibiliter apparuerit; profecto illius Imago sub eadem specie depingi debet. Qua in re vetus Ecclesiæ disciplina nostrorum temporum consuetudini adstipulatur. De ea liquidem testatur Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus, qui, seculo Christi quinto ineunte, in epistola ad Severum, describens Picturas in Basilica Sancti Petri jam tunc existentes, ita cecinit;

Pleno coruscat Trinitas Mysterio:
Stat Christus Agno, vox Patris cœlo tonat,
Et per Columbam Spiritus Sanctus fluit.

In Conciliis assertus.

§. 19. Pariter Christi anno DXVIII. Antiocheni Clerici, & Monachi, in precibus Joanni Patriarchæ, & Synodo adversus Severum congregatæ exhibitis, hæc habent, apud Labbeum *Conciliorum tom. 5. pag. 159. Columbas aureas, & argenteas in figuram Spiritus Sancti super Divina Lavacra, & altaria expensas, una cum aliis, sibi appropriavit, dicens, non oportere in specie Columbæ Spiritum Sanctum nominare.* Damnatus etiam fuit in Concilio Nicæno Secundo habito anno Domini DCCLXXXVII. Xenajas Catechumenus, quum ausus esset asserere, non licere Spiritum Sanctum sub Columbæ forma repræsentare: *Inter cetera autem dicebat, & hoc esse puerilis animi factum, fingere in Columbæ Idolo ter adorabilem Spiritum Sanctum*: ut videre est in Collectione Conciliorum, Regia nuncupata, Parisiis impressa anno 1644. *tom. 18. pag. 458.*, & apud Cardinalem Baronium ad annum Christi 485.

Et ex antiquis monumentis comprobatus.

§. 20. In Opere quoque Italica lingua scripto Philippi Bonarotæ Senatoris Florentini, quod inscripsit, *Observationes in antiqua vitrea vasa*, ex Urbis Cœmeteriis effossa *pag. 125.* plures afferuntur Imagines Spiritus Sancti, sub Columbæ specie in nobilibus sacræ antiquitatis fragmentis expressæ. Cum vero recentiores sectarii, Calvinus, Lutherus, Zuinglius, mox relatum Severi errorem renovare contenderint, neminem latet, quid de illorum deliriis Ecclesia judicaverit; quorum ampla refutatio videri potest apud Gretserum in Tractatu *De Sacris Imaginibus cap. 9.* impresso *in tom. 17.* novissimæ Editionis ipsius Operum.

II. In figura Linguarum Ignearum super Apostolos descendentium.

§. 21. Legitur insuper in Sacris Novi Testamenti paginis, quod quum post Christi in Cælum Ascensionem congregati essent Apostoli, & Discipuli, una cum Maria Matre Jesu, solemni die Pentecostes *apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* De quo Mysterio fuse egimus in prædicto Opere nostro *De Festis Domini Nostri Jesu Christi* §. 480. *& sequentibus*, Editionis Patavinæ; ubi *sub* §. 492. docuimus, licere Pictoribus, ad repræsentandum id, quod in solemniis Pentecostes ab Ecclesia recolitur, Apostolos pingere, aliosque eum iis in Cœnaculo congregatos, & flammulas ignis in linguarum figuram e Cælo demissas, eorum omnium capitibus implentes: quoniam in sacra Apostolicorum Actuum Historia *cap. 2.* refertur, Paraclitum Spiritum Sanctum hoc visibili signo adventum suum ea occasione hominibus manifestasse. Verum si quis extra hanc occasionem eumdem Spiritum Sanctum pingere ve-

Idque duntaxat in repræ-

Sententione Mysterii Præcipster.

velit, non aliter ipsum quam sub Columbæ forma poterit repræsentare; ut etiam recte monuit eruditus auctor Ayala in Tractatu, cui Titulus est *Pictor. Christianus*, ubi *lib. 2. cap. 3. num. 7.* scribit: *cum vero Spiritus Sanctus depingendus venit, non alia specie pingendus est, nisi illa, qua in Jordane nimirum apparuit, quamque docet divinus Textus his verbis: Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut Columba in ipsum.* In Cathechismo autem auctoritate sacri Concilii Tridentini edito, super eo Decalogi Præcepto: *Non habebis Deos alienos coram me:* ubi agitur de pingendis Divinis Personis, hæc habentur: *Columbæ vero species, & linguæ tanquam ignis, in Evangelio, & Actis Apostolorum, quas Spiritus Sancti proprietates significent, multo notius est, quam ut oporteat pluribus verbis explicari.*

Imago Divinæ personæ præter formam ab ipsa assumptam, effingi nequit.

§. 22. Quod si dicatur, minime reprobari, imo libenter admitti usum pingendi Spiritum Sanctum in Columbæ specie; verum id agi, ut præterea possit sub speciosi Juvenis, aut Viri forma repræsentari; Nos contra jure responderi posse contendimus, quod quum aliter non liceat Divinæ Personæ Imaginem humanis oculis intuendam exhibere, quam sub ea forma, sub qua in Scripturis Sanctis narretur eandem Personam se olim hominibus aspectabilem præbuisse; sequitur inde, non modo licitum esse Spiritum Sanctum, vel die Pentecostes in mystica figure linguarum ignis super Apostolos descendentium, vel alias in Columbæ specie, depingere; propterea quod uterque ejusdem pingendi modus in Divini Textus historia, & auctoritate fundantur; sed hoc insuper recte colligitur, minime licere, eumdem Spiritum Sanctum sub Adolescentis, aut Viri specie figurare; quum nullibi inveniatur in Divinis Scripturis ipsum sub hujusmodi forma hominibus apparuisse.

Imagines erroris occasionem præstantes & insolitæ, a Concil. Trid. vetantur.

§. 23. Huic autem rationi addenda est auctoritas sacrosanctæ Tridentinæ Synodi, quæ *loco superius citato*, prohibet fidelium oculis exhiberi *ullas falsi dogmatis Imagines, aut rudibus periculosi erroris occasionem præbentes*; & generaliter ullam insolitam poni, aut ponendam curari Imaginem, tam in Ecclesiis, quam in aliis quibuscumque locis, districte vetat. Imago autem, de qua agimus, præterquam quod insolita est, impium etiam, atque damnatum a Patribus errorem in animos intuentium

Error, qui ex prædicta Imagine oriri posset.

revocare posset; eorum videlicet, qui asseruerunt, Divinam Spiritus Sancti Personam humanæ conditionis naturam assumpsisse, de quibus loquitur Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* XVI. *tomo 4. Bibliothecæ Maximæ SS. Patrum Lugduni impressæ anno 1677. pag. 523.*, & S. Isidorus Pelusiota *Lib. 1. Epist.* 243. ejusdem Bibliothecæ *Tomo* VII. præter auctorem Notarum ad Concilium Constantinopolitanum I. in *Collectione Conciliorum Labbei tom. 2. pag. 976.*

Objicitur exemplum Imaginis SS. Trinitatis sub figura trium hominum æqualium, & similium.

§. 24. Equidem ex Epistola Fraternitatis Tuæ satis intelleximus, hujusce argumenti vim ab iis quoque agnitam fuisse, qui de præsenti quæstione apud te verba fecerunt, qui tamen eam se declinare posse putarunt, adductis exemplis quarumdam Imaginum Sanctissimæ Trinitatis, quibus ea sub figura trium hominum æqualis, & undequaque similis aspectus repræsentatur. Id, quod alterius disquisitionis occasionem Nobis aperit: ut scilicet examinemus, an liceat sanctissimam Trinitatem coloribus pingere, &, quatenus id licitum sit, quænam illius Imagines damnatæ sint; quænam haud omnino reprobatæ, quænam demum approbatæ, & permissæ: denique an ex hujusmodi Picturis ullum argumentum trahi possit, ut Imago Spiritus Sancti, de qua nunc agimus, vitio carere ostendatur.

Licitum est pingere SS. Trinitatem.

§. 25. Porro licere Sanctissimam Trinitatem coloribus pingere, communis est Theologorum opinio, quam copiose propugnant Valdensis, Molanus, Catharinus, Conradus Brunus, Nicolaus Sanderus, Franciscus Turrianus, Suarelius, Vasquez; quos sequitur Theophilus Raynaudus in Libro, cui Titulus *Heteroclita Spiritualia Cælestium, & Infernorum pag. 23.* inter ipsius Opera *Tomo* 15., ita scribens: *Ex usu Ecclesiæ, & ex consensu potiorum Theologorum, fas est pingere Sanctissimam Trinitatem*, ubi etiam Durandum impugnat inter Scriptores Catholicos contra opinantem. Thuanus quidem *lib.* 18. refert Decretum quoddam, cujus Auctorem Espensæum fuisse asserit: *Ut Sanctæ Trinitatis Effigies, tamquam Sac. Scripturæ, Conciliis, & Veterum Patrum testimoniis probibita tollatur:* ac reprehendit Decanum Collegii Theologici Parisiensis, Nicolaum Malardum, eo quod hujusmodi Decreto obstitisset. Verum hac in re Thuani dicta refellit Gretserus *in Thuano Pseudo-theologo pag.* 57. *tom.* 17. novissimæ editionis Ratisponensis Operum ejusdem Gretseri. Christianus Lupus Vir non vulgaris eruditionis *in notis ad Canonet septimæ Synodi cap.* 5., admittens piam consuetudinem pingendi Sanctissimam Trinitatem, quærit, quo tempore eadem introducta fuerit, seque id reperire non potuisse ingenue fatetur, quod idem Nos quoque pari sinceritate professi sumus *lib. 4. de Canoniz. Sanctor. p. 2. cap.* 20. *n.* 3.

Non tamen sub qualibet forma.

§. 26. Illud tamen a Theologis Nostris communiter traditur, minime permittendum esse Pictoribus, ut Sanctissimam Trinitatem qualibet forma pro ipsorum libito repræsentare audeant: quin adversus eorum licentiam invehuntur Vasquez *Tom. 1. pag.* 676., & Cardinalis Bellarminus *Controversiarum tom. 2. cap. 8. de Imaginibus Sanctorum*: qui sic ait: *Notandum non debere ejusmodi Imagines multiplicari, nec tolerandum esse, quod Pictores audeant ex capite suo confingere Imagines Trinitatis; ut cum pingunt unum hominem cum tribus faciebus, vel unum hominem cum duobus Capitibus, & in medio eorum Columbam: ista enim monstra quædam videntur, & magis offendunt deformitate sua, quam juvent similitudine;* eademque docet Sylvius *Tom. 4. in tertiam partem Divi Thomæ quæst. 25. art. 3. quæst. 2. pag.* 111. *editionis Antuerpiæ anni* 1714.

Non in utero B. Virginis.

§. 27. Inter reprobatas Imagines Sanctissimæ Trinitatis ea procuIdubio recensenda est, quam pluribus insectatur Joannes Gerson *Tom. 3. ipsius Operum Antuerpiæ editorum anno* 1706. quamque narrat se vidisse in quadam Domo Regularium; ubi nimirum repræsentabatur Deipara Virgo Trinitatem ipsam in utero gerens, quasi vero tota Trinitas humanam carnem ex Virgine assumpsisset. Addit vero Molanus *Historiæ Sacrarum Imaginum lib. 2. cap.* 4. se numquam satis intellexisse, id quod apud Gersonem legerat, donec hujuscemodi Sanctæ Trinitatis Imagines in Belgio pluribus locis expositas conspexerit; quas quidem se quoque damnare, & reprobare profitetur.

Non sub figura hominis tricipitis.

§. 28. Humani corporis figuram tribus capitibus instructam, tamquam Imaginem Sanctissimæ Trinitati repræsentandæ aptam, tueri quodam modo conatur Valentia *Tom. II. ipsius Operum pag.* 389. Verum super hujusmodi Imaginibus solemne Judicium fel. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris Nostri prodiisse referunt Macri in *Vocabulario Ecclesiastico*, verbo, *Icona*, & Episcopus Sarnelius *Epistolarum Ecclesiasticarum Tom. IV. Epist.* 13., qui testantur prædictum Urbanum comburi jussisse Picturas quasdam, Sanctissimam Trinitatem exhibentes sub specie hominis triplici facie instructi; idque factum fuisse *die* 11. *Augusti anno* 1628. Sed & longe ante ipsius Urbani, & Bellarmini supra laudati tempora, S. Antoninus *in summa Theologica part. 3. tit. 8. cap. 4. §. 11.*, ita scriptum reliquit. *Reprehensibiles etiam sunt*, Pictores videlicet, *cum pingunt ea, quæ sunt contra Fidem; cum faciunt Trinitatis Imaginem unam personam cum tribus capitibus, quod monstrum est in rerum natura.*

An sub figura trium hominum æqualium & similium, disputatur.

§. 29. Sequitur, ut videamus, quid sentiendum sit de Imagine Santissimam Trinitatem exhibente in Tribus Personis, statura, ætate, omnibusque aliis lineamentis omnino æqualibus. Thomas Valdensis suorum *Operum Tomo* III. *Tit. 19. de Sacramentalibus cap.* 151. hujusmodi Picturam approbare non dubitat. Nec dissentit Molanus *Historiæ Sacrarum Imaginum lib. 1. cap.* 3. Verum Ayala in aliam abire videtur sententiam, in præcitato opere *Pictor Christianus lib. 2. cap. 3. num.* 8. de ea Imagine sic loquens: *Aliam alicubi conspeximus pingendæ Sanctissimæ Trinitatis rationem, hanc scilicet: Depingebantur in tabula tres Viri per quam*

Acta & Decr. Canoniz.

L 2 simi-

similibus faciebus, aequali prorsus statura, & aequalibus, atque omnino similibus coloribus, vestibus, ac lineamentis. Non quidem hoc tam absurde; sed tamen non omnino recte: etsi enim has ratione servetur repraesentatio aequalitatis, & coaeternitatis Divinarum Personarum, deficit tamen character, & notio, ut ita loquamur, Divinae Personae, praeterquam quod in his rebus, quae sunt dignitate sua gravissimae, vitanda, & fugienda est omnis, & quaecumque novitas.

Argumentum pro affirmativa ex tribus Angelis Abrahamo visis.

§. 30. Ut autem variarum hujusmodi opinionum fundamenta paullo accuratius exploremus, innititur sententia Valdensis apparitioni Abrahamo factae, quae *Genes. cap.* 18. refertur his verbis: *Apparuit ei Dominus in Convalle Mambrae sedenti in ostio Tabernaculi sui, in ipso fervore diei*; statimque subjicitur: *Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres Viri stantes prope eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio Tabernaculi, & adoravit in terram:* Post quae animadvertere licet, quod Abraham unum tantummodo alloquitur. *Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum*; atque vicissim unus dumtaxat Abrahamo respondet. *Dixit autem Dominus ad Abraham, &c.* In hac itaque apparitione S. Augustinus *l.* 11. *de Trinitate cap.* 20. *tom.* 8. *pag.* 784. *Editionis Monachorum Congregationis Sancti Mauri*, agnoscit Sanctissimae Trinitatis Imaginem: ita scribens: *Cum vero tres Viri sunt, nec quisquam in eis vel forma, vel aetate, vel potestate major ceteris dictus est, cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis aequalitatem, atque in tribus Personis unam, eamdemque substantiam?* Augustini opinionem amplexi sunt Rupertus *Lib. V. Commentariorum in Genesim cap.* 37., Suarez *de Angelis lib.* 6. *cap.* 20. *num.* 10. *& sequentibus*, Cornelius a Lapide, & Du-Hamel in idem *Cap.* XVIII. *Geneseos*, aliique.

Et in interpretatione S. Augustini, aliorumque.

Hebraeorum opinio diversa.

§. 31. Sunt tamen, a quibus eadem S. Doctoris interpretatio non recipitur. Praetermissa siquidem Hebraeorum opinione, qui putant tres illos Abrahamo visos, non alios fuisse, quam Angelos Michaelem, Gabrielem, & Raphaelem, quorum primus, Dei partes gerens, venerit, ut inquireret in scelera Sodomae, & justum in meritam Civitatem supplicium statueret; at reliqui duo, jussu prioris, Civitatem ipsam everterint, Lot vero liberaverint; uti narratur *sequenti Capite ejusdem Libri Geneseos* XIX.; quam Hebraeorum opinionem referentes Tostatus, atque Tirinus, in eamdem propendere se ostendunt; ut videre est in ipsorum Commentariis in praemissum Genesis *Caput* XVIII. Sane non pauci ex Sanctis Patribus existimarunt, duos, ex tribus, qui tunc Abrahamo apparuerunt, Angelos extitisse, tertium vero fuisse Filium Dei; Secundam nimirum Sanctae Trinitatis Personam; atque hanc sententiam frequenti Expositorum calculo comprobatam, ab ipsa Ecclesia adoptatam fuisse putat Augustinus Calmet; idque deducit ex iis verbis, quae licet non habeantur in Sacro Textu, in Divinis tamen Officiis leguntur, videlicet: *Tres vidit, & unum adoravit.* Videatur ipse Calmet in praecitatum *Genesis caput* XVIII. necnon *discursus* XVII. *in eodem caput* XVIII. *Genesis*, inter *Discursus Historico-Criticos Theologico-Morales in Vetus, & Novum Testamentum*, Antuerpiae editos *anno* 1736. *Tom. II.*

Alia SS. Patrum interpretatio.

Imagines SS. Trinitatis tuto permittendae.

§. 32. Imagines itaque Sanctissimae Trinitatis communiter approbatae, & tuto permittendae, illae sunt, quae vel personam Dei Patris exhibent in forma Viri senis, desumpta ex *Dan. cap.* 7. *vers.* 9. *Antiquus dierum sedit*; in ejus autem sinu Unigenitum ipsius Filium, Christum videlicet Deum, & hominem; & inter utrosque Paraclitum Spiritum Sanctum in specie Columbae, vel duas Personas modico intervallo sejunctas repraesentant, unam Senioris Viri, nimirum Patris, alteram Christi, medium autem inter ipsos Spiritum Sanctum, in Columba, ut praefertur, expressum: *Imagines ergo Trinitatis, quae ab Ecclesia probantur, sunt illae, quae Deum Patrem continent in forma hominis Senis, in cujus sinu sit Christus, & inter utrumque Spiritus sanctus in forma Columbae; vel Imagines, in quibus seorsim Deus Pater in forma Hominis senis, & seorsim Christus, sed propinqui ambo, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma Columbae efformentur.* Verba sunt Cardinalis Capisucchi, qui plures annos munere Magistri Sacri Palatii Apostolici laudabiliter functus fuit, *in Controversiis Theologicis, Controv.* XVI. *de Cultu Sacrarum Imaginum* §. 11. *circa finem*. Similia peti possunt ex praedicto Opere Nostro *de Canonizatione Sanctorum l.* 4. *pars.* 2. *c.* 20. *n.* 3. Et quamvis Molanus loquens de hac ratione repraesentandi Sanctissimam Trinitatem, ac praesertim, ubi Christus in Sinu Patris, veluti mortuus, depingitur, dubitare videatur, an approbari possit, propterea quod Christum mortuum nemini apparuisse legitur: attamen facile dignoscitur, quam levis momenti sit hujusmodi difficultas. Licet enim Salvatoris nostri mortui nullam apparitionem factam fuisse legamus; mortuus est tamen, & palam in conspectu innumerabilis Populi expiravit. Cur igitur ea forma, qua olim Hierosolymis a tot millibus hominum visus est, depingi nequit etiam in sinu Patris? aut cur sub eadem specie exponi nequit publicae adorationi Fidelium? Quocirca facile Molani dubium resolvitur, ut observat etiam laudatus Ayala, supradicto Libro, cui Titulus *Pictor Christianus l.* 2. *c.* 2. *n.* 12.

De imagine Christi mortui.

§. 33. His itaque praemissis, quoniam potissimum fundamentum pro sustinenda imagine Spiritus Sancti sub humana juvenis specie, in usu praedictarum Tabularum statuitur, quae Sanctissimam Trinitatem exhibent in tribus personis, statura, vultu, & lineamentis aequalibus; harum vero Tabularum legitimus usus desumitur ex trium Virorum apparitione Abrahamo facta, de qua *Genesis c.* 18.; juvat nunc ita ratiocinari. Aut usus pingendi Sanctissimam Trinitatem in tribus Personis undequaque similibus canonicus est, & in Ecclesia pacifice receptus; sicuti etiam sententia de indicato Trinitatis Mysterio in tribus Viris, qui Abrahamo apparuerunt, satis tuta est, & solidis rationibus innixa; aut usus hujusmodi, ut nonnulli putant, canonicus non est, nec ab Ecclesia probatus; & relatae pariter opinionis fundamenta nutant, ut aliqui superius citati arbitrantur. Si nec canonicus est memoratae Imaginis usus, nec opinio de figurato in praedicta apparitione Trinitatis mysterio tuta est, nec solidis rationum momentis suffulta; nequaquam permitti potest, ut super debilibus hisce, infirmisque fundamentis tamquam certum stabiliatur, quod licitum sit sub Viri, aut Juvenis specie Spiritus Sancti Imaginem exhibere.

Effigies trium hominum similium, si approbata non est, frustra allegatur.

§. 34. Quod si usus pingendi Sanctissimam Trinitatem in tribus personis aequalibus, & similibus, canonicus esset, legitimus, & ab Ecclesia probatus; atque etiam tutissima foret praefata opinio, quod apparitio trium Angelorum Abrahamo facta mysterium adorandae Trinitatis significaverit; nil aliud inferri posset, nisi praedictum Trinitatis repraesentandae modum, hoc est pingendi tres Viros aequali specie, & simili vultu, licitum esse, & tolerandum; nunquam vero ex iisdem erte colligeretur, licere Spiritum Sanctum, seorsim a duabus aliis Personis humana facie, & sub speciosi Juvenis forma depictum exhibere. Nec enim apparitio Abrahamo facta unius Angeli fuit, sed trium; nec ullibi in Sacris Literis narratur, Spiritum Sanctum in forma Viri, aut juvenis seorsim a duobus aliis, qui reliquas duas Trinitatis Personas repraesentarent, hominibus apparuisse. Singulas vero Sanctissimae Triadis Personas non alio modo pingi posse, quam quo earum quaelibet hominum se aspectibus exhibuerit, jam supra a Nobis probatum est; idemque in Catechismo Romano, *loco superius citato*, his verbis traditur; *Nemo tamen propterea contra Religionem, Deique legem quidquam committi putet, cum Sanctissimae Trinitatis aliqua persona quibusdam signis exprimitur, quae tam in Veteri, quam in Novo Testamento apparuerunt.*

Et etiamsi toleranda sit, non favet picturae, de qua hic agitur.

§. 35. Denique Imago Spiritus Sancti, de qua est quaestio, insolita est, & inusitata in Ecclesia; & consequenter nullo modo recipienda; juxta mentem Sacrae Tridentinae Synodi supra relatae, &

Quae etiam tamquam insolita, rejicienda est.

Con-

Conciliorum Provincialium post Tridentinum coactorum, quorum Decreta colligit Thiers in suo Tractatu *de Superstitione tom. 1. lib. 2. cap. 1. pag.* 214.

De ratione ente pingenda SS. Trinitatis. §. 36. Pingitur Imago Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, repræsentando vel Patrem juxta Filium, vel Filium in sinu Patris; simulque cum iis, Spiritum Sanctum in Columbæ forma, ut antea diximus. Pingitur & Pater solus, seorsim ab aliis Personis, quoniam vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso audivit Adam, *Genesis cap.* III., innixus mysticæ scalæ, visus est Jacob, *Genesis* XXVIII. 13., Moysi quoque miro modo conspicandum se præbuit, *Exod.* XXXIII. 23. tum etiam Isaiæ, tamquam Rex in Solio sedens, *Isaiæ* VI. 1., & Danieli, veluti senex albo vestimento amictus, *Dan.* VII. 9. Pingitur etiam æternus Filius seorsim a Patre, & Spiritu Sancto, quoniam is homo factus, in diebus carnis suæ cum hominibus conversatus est, atque etiam postquam a mortuis resurrexit, non semel Apostolis, aliisque manifestus apparuit. Repræsentatur dum Cruci, quam pro Nobis pertulit, affixus, quam quidem Crucifixi Effigiem nec impius Lutherus e medio tolli posse putavit; & Elisabetha Angliæ Regina nuncupata, Henrici VIII., & Annæ Boleoæ Filia, licet Sac. Imaginibus bellum indixerit, eam tamen in Regio suo Oratorio retinere voluit; ut videre est apud Bossuetum Meldensium quondam Episcopum tom. 2. *ipsius Operum, Gallico Auctoris Idiomate Venetiis editarum anno* 1738. *pag.* 137. *&* *pag.* 460. Pingi quoque consuevit forma Agni; atque huic Imagini fundamentum præbet Prophetia Isaiæ, Testimonium Baptistæ, Evangelistarum dicta, Apocalypsis Joannis Apostoli, & Epistula prima Beati Petri; quapropter eamdem Salvatoris Nostri Imaginem approbat Hadrianus Pontifex in Epistola ad Tarasium conscripta, quæ lecta est in Synodo septima *Actione* II.; & vetustissima occurrunt hujusmodi picturarum exempla in Sacris Cœmeteriis, & in Basilicis hujus Nostræ Romanæ Urbis expressa. Pingitur

Tum Patris.

Tum Filii.

Et Spiritus Sancti. denique Spiritus Sanctus, vel tamquam de Cælo descendens die Pentecostes in figura linguarum ignis, vel alias in Columbæ specie, seorsim pariter ab aliis Divinis Personis; quia sub his figuris factæ sunt ejusdem apparitiones, quarum scriptura meminit. Nusquam vero invenire est in Sacris Literis, Tertiam Personam absque aliarum consortio, in similitudinem Viri, aut Juvenis apparuisse. Quapropter argumenti superius expositi vis immota manet; omittimus quod etiamsi per tres Angelos Abrahamo visos Divina Trinitas repræsentata fuerit, non ideo tamen Spiritus Sanctus seorsim a duabus aliis Personis, humana specie, seu Viri, seu Juvenis, depingi potest.

Traditur Episcopo constantia in proposito, cum exhibitione pontificiæ Auctoritatis &c. §. 37. Atque hæc privatis Nostris studiis colligere, & paucis illis subcisivis horis, quæ Nobis ab ingruentibus undique negotiis publicis vix supersunt, ut peculiarem Bibliothecam nostram ingredi possimus, præsentibus ad Fraternitatem tuam Literis complecti volumus; ut initam abs te rationem prohibendi prædictas Imagines Spiritus Sancti, eorumque usum, & cursum intercipiendi, comprobaremus. Neque porro dubitamus, quin, pro magna laudis existimatione, quam tibi peperit egregia tua Apostolici muneris administratio, & pro ea rationum gravitate, cui innititur hujusmodi Imaginum prohibitio, debita mandatis tuis obedientia ab omnibus exhibeatur. Verum ubi, instigante humani generis hoste contrarium eveniret, tuum erit de omnibus Nos certiores facere; Nos etenim ministerii Nostri partes esse reputabimus, Apostolicam, qua Deo volente fungimur, auctoritatem interponere, ut & refractarii meritis pœnis afficiantur, & pravæ consuetudines adversus Ecclesiæ instituta, ac disciplinam invectæ, penitus eliminentur.

De aliis superstitionibus dissignatis. §. 38. Prætermittenda autem non sunt alia quædam, quæ in eadem Epistula tua legimus; spargi nimirum, ac dispensari complures præfatæ Sororis Crescentiæ effigies, nec non coronas precatorias, earumque grana, Cruces, Scapularia, oleum, pulverem, Aquam, Manus denique, vel pictas, vel ex ligno efficitas, cum pollice inter indicem, & medium inserto; existimantibus plerisque de vulgo, prædictas Cruces, & Coronas a Deo benedictas, & Indulgentiis ditatas fuisse; earum vero Manuum simulacra ad fugandos Dæmones plurimum valere; cum aliis hujusmodi nugis, quæ ab iis disseminantur, qui venditandis hujus generis superstitionibus temporalia sibi lucra comparare student.

Prudentia Episcopi commendatur. §. 39. Et quidem ex eadem Epistola tua optime agnoscimus, Tibi satis consilii, & prudentiæ in temetipso esse, ad rectum de hujusmodi rebus judicium ferendum: nec aliud Nobis reliquum esse videtur, quam ut Fraternitatem tuam hortemur, ut quam ingressus es viam, insistere pergas; inepta nimirum, quæ diximus, deliria non approbando; sed fidem, auctoritatemque omnem iis derogando.

De Indulgentiis falso jactatis judicium S. Sedis. §. 40. Ut tamen circa similia Apostolicæ hujus Sedis sensum, utque judicium agnoscas, consilio, judicioque tuo per omnia consentaneum; notum Tibi esse volumus, fuisse olim piam Dei Ancillam, nomine Joannam a Cruce, magna Sanctitatis fama illustrem, cujus vita conscripta est ab Antonio Daça. Ferebatur in vulgus, quædam Coronarum precatoriarum grana, ipsius intercessione a Jesu Christo benedicta fuisse, pluribusque aucta Indulgentiis. Verum hujusmodi Indulgentiæ ab hac Sancta Sede apocryphæ declaratæ fuerunt, quemadmodum videre est apud præcitatum Thiers *de Superstitione tom. 2. cap.* 12., qui etiam refert Decretum de iis prolatum anno 1678. a Congregatione S. R. E. Cardinalium Sacris Indulgentiis præposita, eodem *tom. 2. cap.* 12. *pag.* 17. *& sequentibus*; & signanter *pag.* 25. Cumque introducta esset Causa de illius Ancillæ Dei Beatificatione, & ob ejusdem præclara merita, eo usque feliciter processisset, ut jam ab Auditoribus Rotæ confecta esset ipsius Relatio juxta morem ea ætate vigentem; quum deinde eadem Causa post Decreta Urbani Papæ VIII. reassumenda esset, cito consepulta remansit, propter excitatas objectiones ex præfatis granis benedictis, & prætensis Indulgentiis eisdem adnexis desumptas; ut ostendit Pontificium Decretum anno 1664. editum, & a Nobis relatum in *Opere de Canonizatione Sanctorum lib. 2. c. 36. num.* 18. *Editionis Patavinæ*: præter ea, quæ in Regestis Congregationis Sacrorum Rituum adnotata reperiuntur, quæque eo loci in medium afferre opportunum non duximus.

Item de Imaginibus eorum quorum cultus nondum approbatus. §. 41. In eodem tamen Opere *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 3. videre poteris Decretum Prædecessoris Nostri Urbani Papæ V., prohibens distribui numismata in eorum honorem conflata, quibus ut Beati, aut Sancti cultus ab Apostolica Sede tributus antea non fuerit.

Naturalia remedia ad fugandos dæmones inutilia. §. 42. Demum quod attinet ad expulsionem Dæmonum a corporibus obsessis, inter plura remedia in eum finem ab Ecclesia recepta, quorum copiosam seriem exhibet diligens Scriptor Martinus del Rio *Disquisitionum Magicarum cap. 2. sect. 3. qu.* 3. locum profecto non habet incompositus ille, & parum verecundus gestus, in præfatis manuum figuris expressus. Porro an Dæmones naturalium rerum virtute a Corporibus obsessis expelli queant, Nos etiam disputavimus in sæpecitato Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 1. c. 29. n.* 7.; partemque negantem amplexi sumus, cum majori Theologorum numero, quorum auctoritates ibi retulimus; quibusque addi potest Theophilus Raynaudus in libro inscripto *Theologia Naturalis, Tom. V. ipsius Operum pag.* 55., quem Librum videre Nobis contigit, dum hanc ipsam Epistolam dictaremus.

Disciplina Ecclesiæ in exorcismis servanda. §. 43. In exorcizandis energumenis, illud potissimum interest, ut ante omnia dignoscatur, an revera obsessus sit a dæmone is, qui talis esse affirmatur: ubi vero ita esse constiterit, eligatur ab Ordinario Sacerdos perspectæ pietatis, vitæ integritatis, atque prudentiæ; hic autem ad expellendum dæmonem, non quidem picta, vel lignea manu, aliisve ineptis hujusmodi nugis utator; sed præscriptas in Rituali Romano regulas adamussim servet. Magnus ille Mediolanensis Antistes Sanctus Carolus Borromæus, quum rectam exorcizandi rationem in Libro a se probato tradidisset, in quarta Diœcesana

cesana Synodo a se habita anno 1574. *Decreto* 18., prohibuit, ne quis, occasione oblata, aliis quibuscumque exorcismis, precationibus, aut ritibus uteretur, quam quæ haberentur in prædicto libro; *cui nihil ab eo*, nimirum ab exorcizante, *addi, detrahi, ac ne mutari quidem fas sit*. Postmodum vero a recol. mem. Paulo Papa V. Prædecessore Nostro, anno Domini 1614. publicatum fuit Rituale Romanum, in quo adest peculiaris Titulus *de exorcizandis obsessis*. Ac fel. record. Prædecessor pariter Noster Clemens Papa XI. in quadam Epistola Encyclica data die 21. *Junii* 1710. distincte mandavit, ut nemo exorcizans a norma in prædicto Rituali Romano præscripta ulla ex parte discedere præsumat.

Collaudatur Episcopi cura in sacris studiis fovendis, & promovendis.

§. 44. Præclarum tandem Fraternitatis tuæ propositum, Nos satis pro merito commendare, & collaudare non valemus; quod scilicet scribis, operam Te daturum, ut in Clero regimini tuo commisso, una cum Religionis, ac pietatis cultu, Sacratum Literarum studia conserventur, atque in dies incrementum accipiant, additis ad Theologiam Scholasticam, Ecclesiasticæ Historiæ, & Canonicæ Jurisprudentiæ disciplinis. Sane hoc tibi non exiguam in præsentia laudem, perennem vero in Ecclesiæ monumentis nomini tuo gloriam comparabit; quodque pluris est, ingens apud Pastorum Principem meritorum pondus tibi acquiret. Nec illud prætereundum est, quod si Clerum ita instructum, sanaque doctrina eruditum habueris, non ita facile te hujusmodi molestiis vexari continget, quales nuper ex tuis Literis intelleximus, animum tuum veritati, & Ecclesiasticæ Disciplinæ integritati inhærentem fatigasse. Interea Fraternitatem tuam sincero caritatis affectu complectimur, ac Tibi, totique Gregi tibi concredito, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Dat. Die 1. Octob. 1745.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die prima Octobris MDCCXLV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

SUPER CULTU SANCTI LUCÆ CASALII.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Messanen.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Adducitur causa moræ in respondendo.

JAMPRIDEM epistola est reddita Nobis tua IV. Idus quintiles superioris anni conscripta, cui nunc dumtaxat licuit respondere, propter gravissimas Ecclesiæ res, quibus undequaque sumus occupatissimi. Non enim, de qua scribis, materia Nos deterruit, quippe qui adhuc in minoribus cum versaremur, octo supra viginti annorum spatio ejusmodi de rerum genere pertractavimus, nunc Advocati Personam in Sacræ Consistorialis Aulæ muneribus sustinentes, nunc gravissimum Fidei Promotoris officium exercentes; amplissimo demum Purpuræ ornamento, & Bononiensis Ecclesiæ Infulis illustrati quatuor volumina in lucem edidimus, quæ benigna omnium voluntate excepta sunt, quorum si nullum in Siciliam exemplum pervenit (quod vix credibile existimamus) istbuc facile transmitti potest.

Compendium Epistolæ, cui respondetur, cultum nimirum Sancti Lucæ non esse modificandum, nec amplificandum.

2. Res porro, de qua epistola agit tua, ad cultum S. Lucæ Casalio tribuendum attinet, de quo Nicosiæ dissensio est, cum illum alii delendum, alii contra amplificandum censeant; ideoque enixe id expetunt, ut Officium proprium concedatur, & Civitatis patrocinium, quod eidem S. Casalio jampridem collatum fuit, auctoritate Apostolica confirmetur. At sententiam ut nostram libere proferamus, ingenue fatemur, utramque partem in errore versari: nec enim S. Lucæ Casalio Cultus omnino negandus, nec augendus, aut lectionibus propriis, aut patrocinii confirmatione.

In Oppido Nicosia variis actibus

3. Anno 1575. Nicosiæ Civitas cum peste teterrima laboraret, Senatus, Populusque consilio sancitum fuit, ut sacra ædes S. Lucæ Casalio conderetur: Item ann. 1586. decretum est, ut gratia a Summo Pontifice imploraretur, unde liceret eo plane solemni ritu, quo celebritates ex præcepto solent, dies festos colere Sanctorum Josephi, Cosmæ, & Damiani, tum Francisci de Paula, & Lucæ Casalii; deinceps anno 1589. statutus est locus, ubi prædictum Templum ædificaretur, quod tamen postea conditum non fuit, ne nova ædes Sancti Josephi Sacello obesset. Publica quoque auctoritate latum fuit anno 1662., ut S. Lucæ celebritas expensis publicis recoleretur: pecuniam vero ex ærario usque ad annum 1744. depromptam fuisse constat. Demum cum ejusdem S. Lucæ Corpus in Templo S. Philippi de Argyrio servaretur, cumque Cœnobii Abbas Commendatarius esset bo. me. Cardinalis Carolus Columna, Nicosiæ Senatus enixe ab eo postulavit, ut insignes aliquæ sibi ejus Corporis Reliquiæ concederentur, quo scilicet majori pompa, & religione ejusdem dies festos celebraretur. Concessa petentibus perbenigne fuit Costa, quæ consuetis est ritibus, ac cæremoniis tum recognita, tum tradita, ac demum facultate a Prædecessore tuo Præsule Alvarez Messanæ Archiepiscopo impetrata, die Dominico Augusti tertio magna Populi frequentia per Civitatem translata fuit, cum icone ejusdem S. Lucæ Casalii; cujus in laudem aram quoque erectam scimus in oppido Sancti Michaelis.

Sanctus Lucas honoratur.

Ex quibus evincitur ejus publicus cultus.

4. Quæ sunt hactenus commemorata, publici sane cultus, & quidem inveterati, testimonia, & argumenta esse nemo negaverit. Id enim prorsus a consuetudine abhorret, ut publicis in consiliis de Templo agatur illius in gloriam erigendo, qui non apud Populum venerationem habeat, & cultum publicum. Nec minus absurdum esset, si non Reliquiæ modo expeterentur, sed etiam a Summo Pontifice facultas imploraretur diei festi ex præcepto ejus in laudem instituendi, qui nullo sacello, nullo cultu, nulla sanctitatis fama præclarus esset, atque admirandus. Ex quo fit, ut intelligere non possimus, quonam jure a certis hominibus contendatur venerationem, & cultum publice denegandum huic Servo Dei, qui jampridem & supremis honoribus celebratur, & Sanctus consensu populorum unanimi appellatur.

Casus, in quibus ablatus fuit cultus iis, qui jam publice colebantur.

5. Quanquam vero in rescripto quodam ad Nos transmisso legatur, publicam aliquibus venerationem sublatam fuisse, tamen libere respondemus hoc minime Nos latere, cum in *nostro lib.* 1. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 4. *num.* 1. & multo etiam clarius *lib.* 2. *c.* 8. *num.* 5. *& seqq.* id probaverimus exemplorum auctoritate. Illud autem a Nobis adnotatum animadvertas velim, cultum scilicet aut iis sublatum esse, quibus & recens datus, & inconsulto erat, aut iis, qui ad Sanctorum honores ascenderant, acclamatione Populi, quam falsa quædam portenta fefellerant, & virtutes inanes, utpote ab hypocrisi non alienæ, & interdum ab erroribus ad fidem spectantibus non sejunctæ. Rem vero ejusmodi nullam penitus deprehendis in causa, qua de nunc egimus, quin imo momenta occurrunt plurima tum sanctitatis claritatem, tum cultus justitiam publici comprobantia, ut paulo post videbimus, ac propterea nihil Sancto Casalio obesse hoc debet, quod nonnullorum memoriæ cultus publicus interdum sit abrogatus.

Opponitur quoque cultum Sancti Lucæ non fuisse a S. Sede probatum.

6. At enim iisdem in scriptis opponitur, cultum hunc publicum auctoritate Sedis Apostolicæ neque probatum, neque concessum esse, sine qua nullo modo licet quempiam vel Beatum, vel Sanctum hominem publice venerari. Id quidem & fatemur, & scimus: in nostro siquidem jam citato *de Canonizatione* Libro Primo non exiguo sane labore id copiose, ac evidenter probavimus, jus esse Romani Pontificis privativum, aliquem, aut Beatorum, aut Sanctorum Albo adscribere, nec absque ejus consensu posse cuiquam cultum publicum exhiberi, quem præbet iis Ecclesia viris, quorum in æternitate memoria est. Abunde scribunt de S. Luca Casalio multi Siciliæ historici, & auctores. Nos quidem scripta perlegimus Carreræ, Perdicari, Novarini, Aprilis, & Mennati. Hi vero cum recentiores sint, salva, & integra eorum fama, non

Licet contrarium ab Auctoribus affirmetur.

præ-

prætermisimus antiquiores etiam consulere, utpote auctoritate præstantiores, ac fide. Pater Octavius Cajetanus, qui vitas exornavit Sanctorum Siculorum, cum omnia illius regni Tabularia excusserit, auctor est fide quidem dignissimus, quem propterea multa cum laude memorat Antonius Mongitorius *pag.* 110. *tom.* 2. *Biblioth. suæ de Scriptoribus Siculis*. Eumdem plurimi facit Philippus Labbe in Chronologica Pinacotheca Scriptorum Societatis Jesu *ann.* 1620. *pag.* 236. tum etiam qui scribunt acta Eruditorum Lipsiæ *ad mens. Aprilis ann.* 1710., quorum testimonium omni suspicione carere debet, in examine Isagoges ad Cajetani Historiam Sacram Siculam, hæc habent: *Morum pariter innocentia, & eruditione conspicuus dicitur*. Cajetanus porro in Actis Sancti Lucæ Casalii ita scribit: *In Sanctorum numerum a Summo Pontifice relatus est, efflagitante Oppido Argyrio*, quod videlicet in ejus *tom.* 2. *Sanctorum Siculorum pag.* 184. itemque ejus in Martyrologio *die* 2. *Martii*: *In Nicosia S. Lucæ Abbatis cognomento Casalis Ordinis S. Benedicti*; additque in margine, ubi ejusdem de cultu mentionem facit; *ex Sedis Apostolicæ concessu*. Si quis Rocchi Pyrrhi, qui *notitiam Ecclesiarum Sicularum* edidit, doctrinam habere cognitam velit, is citatum adeat Mongitorem in *supradicto tom.* 2. *pag.* 202. & Pyrrum ipsum in *tom.* 1. *ultimæ Editionis pag.* 540. ubi de S. Luca Casalio hæc profert: *Pontificio permissu apud suos Nicosienses celebrior est dies festus*. Ferrarius, ut nemo ignorat, auctor advena, Lectorque olim in Archigymnasio Papiensi, Catalogum composuit Sanctorum, qui in Martyrologio Romano desiderabantur, & die 2. Martii nomen inserit S. Lucæ Casalis: *Nicosiæ in Sicilia S. Lucæ Abbatis Ordinis S. Benedicti cognomento Casalis*: In notis autem addit: *Ex tabulis, & monumentis Ecclesiæ Nicosiensis ex Martyrologio Siculo, fuit ex ordine S. Benedicti circa annum 890., colitur ibi præcipue ex Romani Pontificis auctoritate*. Bollandistæ demum die Martii 2. vitam non prætermittunt S. Lucæ typis a Cajetano editam; ubi ejusdem cultus dicitur a Sede Apostolica approbatus. Eamdem præterea vitam Cajetani studio exornatam, & apud Pyrrhum, ac Bollandistas laudatam. Mabillonius etiam inseruit Actis Sanctorum Ordinis Benedicti *sæculo IV. part.* 2. *pag.* 93. *editionis Venetæ ann.* 1738.

Porum tamen dictum non sufficere nisi afferatur documentum.

7. Verum dicet quispiam, non satis esse, auctores etiam gravissimos attestari, nutu Sedis Apostolicæ alicui Servo Dei cultum publice exhiberi, sed oportere insuper proferri certissimum facultatis Apostolicæ documentum. Itaque non abs re erit, si Nos hic breviter repetamus, quæ susius explicavimus in libris Nostris *de Canonizatione Sanctorum*. Sedente Prædecessore Nostro Clemente VIII. actum fuit de veneratione, cultuque publice exhiberi quandoque solito eorum meritis, quos nec Beatorum, neque Sanctorum numero Pontificia Sedes adscripserat. En quidem tempore nulla est lata lex; sed quod tunc prætermissum fuit, statutum est postea in Pontificatu Prædecessoris Nostri Urbani VIII., atque a Sancti Officii Congregatione Decreta saluberrima emanarunt, quorum ut interdictum fuit, ne Sanctorum honores iis publice præstarentur, quos Vaticani auctoritas nec Beatos appellaverat, neque Sanctos. Omnem Nos historiam tulimus, & comprobavimus *lib.* 2. *de Canonizatione Sanctorum cap.* 10. & 11. At vero cum supradictæ regulæ generali deesse aliquid videretur, ideo ejus Decretis nonnullæ declarationes additæ sunt, quarum una ad cultum immemorabilem spectat, quem si quis Dei servus consecutus sit, eo privari nullo modo debet, etiamsi probari non possit, eum a Sede Apostolica vel Beati, vel Sancti nomine nuncupatum fuisse, quod videre aperte licet in citato nostro *lib.* 2. *cap.* 17. Tum quoque controversia exorta est, quantum temporis necesse esset, ut cultus publicus diceretur immemorabilis, ac idcirco idem Urbanus VIII. anno 1634. decrevit, Cultui immemorabili constituendo tempus requiri, quod centum annorum spatium excederet, ut Nos notavimus in supradicto *lib.* 2. *c.* 22. Quare si cultus publicus, scientibus, nec repugnantibus Ordinariis Sancti Lucæ Casalio, statuto temporis spatio superior est, jam nemo existet tam injustus rerum existimator, qui hunc cultum aut illicitum putet, aut a Sede Apostolica improbatum ducat, quamvis documentis evinci nequeat, hunc Heroem Pontificia auctoritate vel Beatorum, vel Sanctorum laurea exornatum fuisse.

Quo modo introduci possit cultus absque S. Sedis approbatione juxta Decreta Urbani VIII.

A quo tempore numerari debeat centenarius cultus.

8. Fidei Promotoris officium, quod diu sustinuimus, Nos quidem admonet, ubi difficultatis nodus existat maximæ, quam dissimulare non possumus. Centum annorum spatium ab Urbano VIII. statutum, debet ann. 1634. præcessisse, quo tempore Literæ Apostolicæ emanarunt; tempus autem, quod ab ann. 1634. infra decurrit, probat quidem cultus continuationem, sed non centenarium spatium ab Urbano Pontifice constitutum, ut Nos docemus *in cit. lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 3. *& seq.* Quotquot autem vel auctores, vel documenta supra retulimus, nullum extat, unde probetur Cultus Centenarius ante ann. 1634. Hinc concludere quispiam poterit, absque ullo jure, ac sine permissu Sedis Apostolicæ Cultum Sancto Lucæ Casalio præstitum fuisse.

9. Argumenti vim probe agnoscimus, sed hoc & fateri adversarii debent, cultui publico, ac legitimo juxta Sedis Apostolicæ regulas constituendo nihil plane deesse, quotiescumque documenta non desint cultus publice exhibiti S. Lucæ Casalio, non tantum uno, sed aliquot etiam seculis ante annum 1634., cui tempori si anni posteriores addantur, ac rumor, & fama jam inveterata consensum indicans a Summis Pontificibus præbitum, non video, quid possit amplius desiderari.

Monumenta obitus, & sepulturæ S. Lucæ.

10. S. Lucas Casalius multis ab hinc seculis obiit, ac post mortem tam late cœpit ejus Sanctitas celebrari, ut ejus Corpus in Monasterio, & Arca S. Philippi Argyreorum honorifice sepultum fuerit. *Migravit ad Dominum Lucas in senectute bona vi. nonas Martii in Monasterio S. Philippi Argyreorum, ubi Corpus ejus servatur in eadem cum Sancto Philippo Presbytero Arca*. Ita legitur in S. Lucæ Actis. Et in Breviario Gallo-Siculo Matthæi Caldi opera castigato, typisque Venetiis edito anno 1527., quod forte invenimus inter Codices Venerabilis Cardinalis Tramallini in Sancti Silvestri Collegio Clericorum Regularium, in sexta lectione S. Philippi Argyreorum pag. 347. legitur, ipsum Belisario cuidam civi apparuisse, eidem imperavisse, ut templum ad Crucis imaginem ædificaret, ubi deinceps ejus Corpus collocatum fuit una cum Sancto Eusebio, qui miracula Sancti Philippi ope, ac patrocinio divinitus perpetrata descripsit, *Apparuitque uni Civium regionis illius, qui dicebatur Belisarius, venitque in Montem Argyrionem, ostensumque est ei in somnis, quasi ædificata esset Ecclesia in formam Crucis, ædificatæ sunt ab eo duæ Cellæ, superior quidem Eusebio, qui scripsit vitam, & inferior Sacris Reliquiis Philippi*.

De translatione Ecclesiæ a Ritu Græco ad Latinum.

11. Nec mirum tu existimes velim, tanta Nos diligentia usos esse, ut Breviarium Gallo-Siculum inveniremus, Saracenis e Sicilia expulsis virtute, ac fortitudine clarissimi Ducis Roberti, & Comitis Rogerii, qui illuc e Gallia profecti fuerant, in eo viri principes post victoriam cogitationibus, & consiliis invigilarunt suis, ut antiquam Christianæ Religionis gloriam, & Ecclesiasticam disciplinam jam fere ubique jacentem extollerent, & ad primæva revocarent; cujus ut voti compotes fierent, diligenter curarunt, ut Episcopi e Gallis Sacerdotibus deligerentur, inter quos adnumerantur in primis Robertus antea Episcopus Trojanensis postea Messanæ: Ansgerius Cathanæ, Girlandus Agrigenti, Stephanus Mazariæ, & Rogerius Siracusarum. Hinc paulatim istius Insulæ Ecclesiæ a Græcis Ritibus desciverunt, qui ab octavo seculo isthic invaluerant, & linguæ latinæ usu Ritus, & Liturgias Gallicas sequutæ sunt, nec primis iis temporibus alios libros, quam Gallicos, ad Sacra Officia adhibuerunt, ut animadvertit, qui Bollandi historiam continuavit, Papebrochius *in act. Sanctorum mens. Junii tom.* 4. *festo S. Agrippinæ Virginis, & Martyris*; ac præter Papebrochium id ipsum erudite ostendit Canonicus Joannes a Joanne in perpolito tractatu suo de Divinis Siculorum Officiis Panormi edito *ann.* 1736. *cap.* 12. *num.* 1. *& seqq.* Temporum

pro-

progreſſu Gallicis ritibus quidam alii Siciliæ proprii, ac peculiares admixti ſunt, Breviario quoque nonnulla Sanctorum Officia particularia ſunt addita, unde paruit confuſioni locus, ac ideo oportuit Officium Gallo-Siculum reformari, emendarique; quam ſibi curam ſumpſit ſupracitatus Matthæus Caldus, quem honoris gratia commemorat Mongitorius in ſua Bibliotecha Sicula *tom. 2. pag.* 55.

Aliqua acta Sancti Lucæ. 12. Dum Lucas Caſalius adhuc in vivis erat, lucis uſuram amiſit, ac propterea Argyrio diſcedere ſtatuit, Nicoſiam profecturus, inviſuruſque affines ſuos: Tum Monachis eum comitantibus in mentem venit ipſum illudere. Dixerunt itaque, in quemdam locum magnam Populi multitudinem conveniſſe, ſacræ ut concionis pabulo enutriretur, Vir optimus verba facere non recuſavit, & cum orationem id temporis uſitata formula concluſiſſet *Per omnia ſecula ſeculorum*, ſaxa, & lapides mirifice reſponderunt, *Amen*. Tum vero Monachi ipſa admiratione obſtupefacti, ac perterriti, in genua prolabi lacrymas fundere, veniam implorare, quam iis vir Sanctiſſimus perbenigne conceſſit. Ad Argyrii Monaſterium reverſi hoc prodigium unanimes prædicarunt, cujus claritate commoti Nicoſiæ Cives in eo loco Templum poſtea erexerunt in honorem S. Lucæ Caſalis, quod ejus in Actis legitur: *Sed Nicoſienſes honeſtare Patriam, ac Civem volentes, Eccleſiam, quo in loco concionem habuerat, inclamantibus ſaxis, Divo Lucæ conſtituerunt; quæ prodigium poſteris prædicaret ad Dei gloriam, qui regnat per ſecula*. Quamvis autem per hoſce dies id Templum deſideretur, Nobis tamen ſignificatum eſt, viam quaodam S. Lucæ nomine decoratam, lapide inſignem eſſe, in quo imago impreſſa eſt ipſius S. Lucæ eodem in loco, ubi quondam Templum extiterat. Ad hujus portenti memoriam ſempiternam in S. Lucæ ſtatua Nicoſiæ poſita, hæc ſunt, quæ ſequuntur, inſcripta carmina:

Civibus exultant urbes, magis Herbita Sancto
Luca Caſali Patria clara ſuo.
Fratribus eluſus ..... prædicat orbus:
Facto fine, Amen, res nova! ſaxa tonant.

Hiſce verbis tute vides exiſtimari, Caſalium Herbitæ fuiſſe Civem, cujus Urbis nunc plane dirutæ mentionem faciunt, præter Ciceronem, Plinius, & Diodorus Siculus.

Mentio S. Lucæ apud Cajetanum. 13. Apud Cajetanum *tom. 2. de Sanctis Siculis* in perveteri Chronico Benedictino, quod Bollandiſtæ in S. Lucæ Caſalii vita deſcriptum putant *an.* 1483., inter ceteros egregios ſanctitate Viros S. Noſter Caſalius recenſetur: *S. Lucas Abbas Monaſterii S. Philippi de Aggyrio poſiti in Sicilia, admirandæ ſanctitatis Vir, Kalendis Martii, ſecundum Uſuardum, Cælos petiit*. Et quamvis in Uſuardi Martyrologio non id occurrat, prudenter tamen, ſciteque animadvertit Cajetanus in Sicilia Uſuardi Martyrologium uſui apud omnes fuiſſe, cui vero quodlibet Monaſterium Sanctos addebat ſuos. Hinc orta confuſio eſt aliqua, vel potius varietas Martyrologiorum, quæ Uſuardi nomine legebantur, unde Abbas Maurolicus coram ſuſcepit corrigendi Martyrologii, ut notat laudatus Joannes a Joanne *ſuo in Tractatu de Divinis Siculorum Officii cap.* 23. *n.* 5.

Inventio ejus Corporis. 14. Demum invidia temporum jam nulla erat reliqua memoria, vel notitia ſitus, ubi S. Lucas ſepultus fuerat; ſed *an.* 1596. dum quoddam ædificium in Templo ſubſtrueretur, non ſine Divino Conſilio inventum fuit Caſalii Corpus una cum S. Philippi de Argyrio, & Euſebii corporibus, qua quidem occaſione multo in dies magis exarſit pietas in Sanctum Lucam. Idem plane Bononiæ accidit, ubi poſtquam aliquot ſeculis latuerat, inventum denique fuit S. Petronii Corpus in S. Stephani Templo ſepultum; noſtris civibus locum, ubi is theſaurus jaceret, penitus ignorantibus, uti enarravimus in noſtro Opuſculo de hiſtoria, ac vita Sanctorum Bononienſium.

15. Quidquid paulo ante diximus de S. Luca Caſalio, id ejuſdem in actis legimus, a Patre Cajetano memoriæ traditis *tom. 2. vit. Sanctor. Sicul.* ubi hæc habet *in Animadverſionibus pag.* 63. *Vitam hanc S. Lucæ barbara dictione ſcriptam accepimus ex libris Nicoſienſibus manu exaratis: eam ob cauſam paulo a nobis concinnatum oportuit*. Eadem Acta ſunt quoque in lucem edita a Bollandiſtis *die* 2. *Martii*. Quod ad hujus præclari Heroi Corpus, ejuſque inventionem pertinet, ediſcere hoc etiam licet prædicto ex Cajetano *tom.* 2. *Sanctorum Sicil. in Animadverſ. pag.* 15. itemque ex Pyrrho *in notitia Eccleſiæ Catanien. pag.* 589. §. 5. & 6. Hæc monimenta luculenter, planeque oſtendunt antiquam venerationem publice virtuti exhibitam Sancti Lucæ Caſalis, & multa quidem ſecula ante Decretum Urbani VIII. Separato enim, ac peculiari ſepulcro mandari, & inter Sanctorum Corpora condi non ſolet, niſi qui eximiæ ſanctitatis fama clareſcat, & publica populi veneratione digniſſimus habeatur; quæ quidem S. Lucæ debita omnino fuit. Licet enim quo præſertim tempore e vivis ceſſerit, ignotum ſit, liquido tamen conſtat, multo poſt SS. Philippum, & Euſebium, quibuſcum una ſepultus eſt, mortem ejus fuiſſe in conſpectu Domini pretioſam. Templa vero, ac ſacella numquam in eorum honorem publice dicata ſunt, qui non tamquam Divini, Sanctique homines colerentur; neque eorum ulla in Martyrologiis, vel Chronicis cum clariſſimis Sanctorum nominibus mentio habita fuit. *Ex quibus educitur ejus cultus public. ante decretum Urbani VIII.*

Quæritur cum quo ex duobus SS. Philippis erit S. Lucæ ſepultus. 16. Quæret hic vero quiſpiam, cum duo ſanctitate celebres Philippi fuerint Argyrienſes, uter eorum ſit, quocum ſepultus colitur S. Lucas Caſalius. Huic autem quæſtioni ſatisfacere haud inſtituti eſt noſtri; quamquam enim non ignoremus duos cognomine fuiſſe Viros ſanctitatis gloria immortales, tamen non oportet id a Nobis decerni, utri eorum cum S. Luca ſepulchrum commune fuerit. S. Philippi Argyrenſis primi memoria celebratur in Martyrologio Romano *die* 12. *Maii*, & de hoc vetus eſt controverſia, miſſus ne ſit in Siciliam *a* S. Petro, Evangelium ut nuntiaret (quod nimis fortaſſe mordicus Faxellus ſoſtinet clarus Siciliæ Hiſtoricus *in decade* 1. *lib.* 10.) an fidei propagandæ cauſa Siciliam adierit quarto ſeculo, Arcadio imperante, uti prolixe, eruditeque probat Placidus Reina *in Notitiis Hiſtoricis Civitatis Meſſanen. par.* 2. *pag.* 362. *& ſeqq.* De altero S. Philippo, vulgo Philippello, ſcribunt Cajetanus *tom.* 1. *Vit. Sanctorum Sicil. pag.* 33. tum Ferrarius *in Catalogo Sanctor. Ital.* 12. *Maii pag.* 276. Sermo quoque de Philippello habetur in vita S. Philippi a S. Euſebio deſcripta, quam Bollandiſtæ anteponendam judicant alteri ejuſdem vitæ apocryphæ, & temere tributæ S. Athanaſio Epiſcopo Alexandrino: *Proferunt*, hæc ſunt Bollandiſtarum verba *die* 12. *Maii*, *Vitam aliam ejus, quaſi a S. Athanaſio Epiſcopo Alexandrino ſcriptam, quam, ut ſatisfiat horum clamoribus, licet apocrypham, ſubjungimus*: In lucem prodiiſſe legitur patrocinio S. Philippi, ac ſeveriori ſe inſtituto ejuſdem in Monaſterio devoviſſe, ibique Diaconi munere functum eſſe. His de utriuſque Philippi notitia conſtitutis, ea eſt reliqua difficultas, ac dubitatio, utri ſcilicet eorumdem S. Lucas Caſalius conjunctus tumuli fuerit, ac ſepulchri honore. Cajetani acta ſi comprobentur, ſentiendum eſt, Caſalium fuiſſe cum ſeniori Philippo, qui ſacerdos extitit, conſepultum: *Corpus ejus aſſervatur in eadem cum S. Philippo Presbytero Arca*. Animus autem ſi convertatur ad Pyrrhum in notitia Eccleſiæ Catanienſis; veriſimilius videtur, conditum fuiſſe in Philippi Junioris, ac Diaconi monumento. Nam ubi is agit de corporis inventione *an.* 1596. hæc habet. *In Cella ſuperiore inventa fuerunt Corpora Beatorum Philippi junioris Diaconi, Euſebii Monachi, atque Lucæ Abbatis*. Cajetanus *tom.* 2. *pag.* 33. Beliſarii hiſtoriam retexens ſcribit: *In ea* (Ædem nimirum ejus opera ædificata) *thecas duas extruxit, ſuperiorem quidem B. Euſebio, inferiorem S. Philippo Presbytero. In præſentiarum Corpora Sanctorum Euſebii, & Philippi Diaconi, & Lucæ Abbatis eadem in arca ſervantur; ſed Caput Euſebii argento tectum oſtenditur feſto die S. Philippi ad IV. Idus Majas, quo die Euſebius una cum Philippo Argyrii colitur*. Nos autem hoc loco cum id unice contendamus, uti divinos honores antiquitus, ac publice S. Caſalio præſtitos comprobemus, cumque hujuſmodi cultus argumentum ex eo potiſſimum deduxerimus, quod ejus Corpus in SS. Philippi, & Euſebii urna inventum

tum est, nemo non videt nostrum nequaquam esse id constituere, ac definire, senioris ne, an junioris Philippi sepulchro mandatus fuerit S. Lucas. Nam utriusque memoria cultu publico, atque immemorabili celebratur, quemadmodum & S. Eusebii, quorum omnium hoc quoque tempore dies festus in Sicilia recolitur 12. *Maji*. Quare si tres clarissimi Heroes S. Lucæ præmortui Sanctorum in Sicilia honoribus colebantur, & id temporis etiam coluntur, illud jam sequatur necesse est, ut quocumque cum Philippo sepultus sit S. Lucas, eumdem credamus venerationi publicæ, atque immortalitati a populo consecratum fuisse. Communis enim ei fuit non sepulchri minus, quam cultus, & celebritatis honor, qui tribus viris sanctissimis jampridem est habitus, & nunc habetur.

Memoria S. Lucæ in Chronicis Benedictinis.

17. Illud quoque Nobis objici fortasse potest, quod in prædictis Chronicis Benedictinis *an.* 1483. sermo habetur de S. Leone Luca, cujus memoria celebratur die prima Martii, non de S. Luca Casalio, cujus dies festus est postridie Kal. ejusdem Mensis; hæc sunt enim Chronicorum verba: *S. Lucas Abbas Monasterii S. Philippi de Agyrio positi in Sicilia, admirandæ Sanctitatis vir, Kalendis Martii secundum Usuardum Cælos petiit.* At enimvero Vir sanctissimus, quem Chronica memorant, non Leo Lucas, sed Lucas nuncupatur; deinde Abbas dicitur Monasterii S. Philippi Agyriensis; cui quidem Cœnobio præfuit Abbas Casalius, numquam Leo, quippe qui eodem ex Monasterio profectus, in Calabriam secessit, ubi & Abbas fuit, & in pace quievit, juxta Bollandistas *ad primam diem Martii cap.* 3. Hinc ergo colligi, & concludi merito debet in Chronicis agi de S. Luca Casalio, non de S. Leone Luca. Neque obstat ibidem scribi *Kalendis Martii*; nihil enim facilius, quam Amanuenses prætermisisse per negligentiam vocem *postridie*, scripsisseque *Kalendis Martii*, non *postridie*, uti necesse erat, *Kalendas Martii*, quod prudenter Bollandistæ notant in Commentario vitæ prævio Sancti Lucæ Casalis. *Quidni Chronicum Benedictinum manuscriptum circa annum 1485? exaratum ... censendum de hoc Sancto agere his verbis: S. Lucas Abbas Monasterii S. Philippi de Agyrio positi in Sicilia admirandæ sanctitatis vir, Kalendis Martii, secundum Usuardum, aut certo Usuardi Martyrologium ibidem auctum, Cælos petiit: forsan postridie Kalendas Martii scriptum*: Iidem interpretes cum prædicta Chronica memorant in vita S. Leonis Lucæ, hæc addunt: *Forsan ea omnia de Sancto Luca Abbate ibidem, de quo secunda Martii agemus, intelligenda*. At id opponere quispiam potest, Chronica hoc loco agere de tertio S. Luca Abbate, itemque Monacho in Cœnobio S. Philippi Argyriensis. Verum tertius hic Lucas numquam fuit prædicti Monasterii Abbas, quin imo inde in Calabriam transiit, & Monasterio præfuit Carbonæ, ubi mortuus est, cujus dies festus recolitur 13. *Septembris* auctore Cajetano *tom.* 2. *pag.* 96. & *in Animad. pag.* 34. Jure itaque sentiendum est, sermonem in Chronicis non de alio haberi, quam de Sancto Luca Casalio.

Concluditur non esse auferendum cultum, sed non debere Officium concedi.

18. Ex privatæ nostræ Bibliothecæ voluminibus hæc colligere Nobis licuit, & hæc tanti esse ducimus, ut pro religiosa quorumdam petitione cultus, ac veneratio S. Lucæ Casalii jampridem præstita conservetur. Altera petitionis pars eo spectat, Officium ut proprium concedatur, & S. Lucas decreto nostro Patronus Civitatis Nicosiæ confirmetur, adeoque cultus ejusmodi auctoritate Apostolica augeatur. At ingenue fatemur ad cultus incrementum Officii proprii concessione, hoc præsertim inter alia necessario requiri, ut ab Ordinario processus formalis fiat, evincatur nempe cultus immemorabilis illi præstitus, cujus in laudem Officium petitur.

Requisita pro concessione Missæ, & Officii proprii.

Debent in processum præterea congeri monumenta cultum probantia una cum testium jurejurando; qui sese quadraginta annorum spatio cultum vidisse publicum attestentur, ejusque memoriam accepisse a suis Majoribus, quibus ipsis hanc quoque notitiam tradiderint Majores sui. Demum Ordinarius processu diligenter examinato, debet ipse hoc de cultu sententiam ferre, quam & oportet a Sede Apostolica confirmari, ut Nos deferte ostendimus in *libro secundo de Canonizatione Sanctorum cap.* 23. Quamquam modo diximus plerumque non concedi solere Officium, neque Missam, quin processus formalis de cultu immemorabili proferatur: non ignoramus tamen interdum ejusmodi privilegium concessum fuisse, propter peculiares aliquas circumstantias, quæ huic petitioni accommodari non possunt, ut Nos alias declaravimus in *nostro lib. 4. de Canonizatione part. 2. cap. 5.*

Quæ non conveniunt in casu.

19. Quoniam vero non Officium de Communi, sed proprium, lectiones nimirum secundi nocturni proprias libello a Nobis supplici postulasti, videre tu ipse poteris *in nostro lib. de Canonizat. cap. 8. num. 8. & seq., ac lib. 4. part. 2. cap. 10. num. 6.* quantæ auctoritatis esse historicum deceat, cujus ex monumentis lectiones Officii proprii desumuntur pro Ecclesiæ usu sive universalis, sive particularis; consilii, ac prudentiæ erit tuæ etiam, atque etiam considerare, num tales Tibi historici faveant, quales ii debent esse, ex quorum scriptis pro S. Lucæ Officio desumere lectiones proprias meditaris. In actis, Cajetani studio in lucem editis, legitur, Monachum nescio quem nomine Bonum vitam S. Lucæ Casalii exornavisse; sed hæc historia præsens temporum injuria desideratur, ut conjiciunt Bollandistæ. Quidquid Cajetanus memoriæ tradidit, quibusdam Nicosiæ de manuscriptis hausit, stylo quidem rudi admodum, ac plane barbaro exaratis. Nihil ibidem de Casalii parentibus, nihil de nativitatis tempore, nihil de Principe dicitur, quo regnante vitam aut duxerit, aut inchoaverit. Annus vero, quo fuit in lucem editus, cum ignoretur, ne cognoscere quidem licet, instituto ne Basiliano, an Benedictino se devoverit, qua certe in re non Te latet, historicos etiam Siculos dissentire. Pyrrhus supplere contendens, quæ in Cajetano desiderantur, scribit, Leonem quemdam S. Lucæ Casalii Patrem, & Theotistam fuisse Matrem; vixisseque ad centum annos, & morti proximum successorem suum quemdam Theodorum designavisse; sed Pyrrhi errorem nemo non deprehendit, cum S. Lucæ Casalio tribuat, quæ S. Leoni Lucæ sunt adscribenda, uti acta probant a Cajetano diligentissime exornata. Iisdem ex Cajetani actis colligitur, S. Lucam Casalium Abbatis dignitatem diu recusavisse, eamque deinceps jussu Pontificis accepisse, quin ejus nomen Pontificis declaretur. Illud quoque miraculum memoratur, quo saxa, mutique lapides responderunt *Amen*. Constanter autem Nos credimus Deum facere plane posse quæcumque velit, ut magnifice servos illustret suos, nec Nobis in mentem venit inficiari hoc portentum S. Lucæ Casalio tribuendum esse, cum ejus memoriam prædictis in actis, eidemque plausum Nicosiæ datum legamus. At hoc miraculum, quod pars esset omnium honorificentissima Lectionibus propriis inserenda, prætermittendum omnino esset. Actorum enim, quæ Cajetanus edidit, non solum auctor ignoratur, verum etiam latet, an S. Lucæ coævus extiterit, aut a coævis saltem, atque contemporaneis hoc portentum acceperit. Ætate hac nostra criticen fatemur ad gradum altissimum pervenisse, quæ si prudens, si moderata, si talis plane sit, qualem in Cardinali Baronio admiramur, nemini non videbitur cognoscendæ rerum veritati apprime utilis, & opportuna.

Exemplo concluditur Officium proprium non esse concedendum.

20. Octavo seculo vixit, ac floruit Beda, de quo id prorsus scribitur, quod de S. Luca Casalio: *Cum ex nimia senectute oculis caligasset, & discipulo duce ad lapidum congeriem pervenisset, discipulus ei suadere cœpit, quod magnus illic esset populus congregatus, qui summa affectione, & silentio ejus prædicationem expectabat; cumque Sanctus ferventi spiritu elegantissimum sermonem fecisset, & conclusisset, Per omnia secula seculorum, lapides responderunt Amen. Ven. Beda.* Hoc factum postquam diu perpendit Card. Baronius ad an. 731. n. 25. ita concludit. *De his cum nihil Bedæ assectator discipulus dicat, post ipsum ista excogitata esse videri possunt, quæ nec a Trithemio recepta esse noscuntur.* Multa hic addi profecto possent, quæ silentio involvuntur: ceterum id videtur opportune statuendum, ut S. Lucæ Casalio cultus, qualem &

Acta & Decr. Canoniz. M vene-

veneratio, quæ nunc habetur, in posterum præbeatur; Officium tamen proprium denegetur, cum tanti ponderis acta desint, ex quibus liceat absque erroris periculo lectiones sumere peculiares. Neque id vero nunc primum accidit, sed sæpe alias: Nam cetera ut missa faciamus, celeberrimum est exemplum S. Crescii, Sanctorumque Sociorum Martyrum. Erat eorum cultus immemorabilis: Sacella iisdem, & templa dicata fuerant: Aderant Rituales, præterea libri veteres charta pergamena descripti, unde cognosci plane poterat, nedum conjici, usum olim invaluisse, ut Metropolitana Florentina eorum in honorem Officium proprium recitaret, quod postea desueverat: Acta demum Martyrii in promptu erant. Orta vero inter eruditos iis de actis controversia, non defuit, qui nimis audacter senserit, omnem cultum dictis Martyribus denegandum. Nimis asperum, atque absurdum hoc visum est. Quid ergo? Cultus fuit in statu pristino conservatus, & Sanctis Martyribus eadem est habita, quæ antea, veneratio. At propter graves difficultates, quæ in Actis occurrebant, Congregatio Rituum concedere Lectiones proprias recusavit, ut ex Decreto constat, quod emanavit *die 1. Octobris*.

De concessione Patrocinii S. Lucæ pro Oppido Nicosiæ.

21. Reliquum est, aliqua ut addamus de patrocinio S. Lucæ Casalii. Scripta ad Nos translata significant, Nicosiæ Civitatem in duas partes divisam esse, quarum altera S. Lucam Patronum Urbis Principem esse cupit, altera renuit. Id autem a Nobis enixe petitur, ut S. Casalium Patronum designemus, una cum S. Nicolao, quem unanimi consensu omnes Patronum Civitatis principem venerantur. Compertum est non alios eligi Patronos posse, quam *qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem beatificati dumtaxat*.

Quod pariter denegatur.

Cum vero cultus S. Lucæ non ad Ecclesiam pateat universam, hinc fit, ut Beati potius, quam Sancti proprius videatur, tametsi qui colitur, Sancti nomine nuncupetur. Neque enim non exempla suppetunt, unde edoceamur, iis, qui tempore ab immemorabili Sanctorum numero adscripti sunt, hunc titulum non auferri, licet eorum cultus certis terminis circumscribatur, nec alius omnino sit, quam qui Beatorum meritis reddi solet. Præclare hoc videmus in duabus Lusitaniæ Reginis Theresia, & Sancia, quarum memoria licet Beatorum more tantummodo celebretur, iis tamen Sanctarum nomen, de qua controversia erat, Congregatio Rituum non denegavit, quo Nos argumento utimur in nostro *libro 2. de Canonizatione Sanctorum cap. 24. num. 515.* Luculentissima est quoque supradictæ regulæ circumscriptio, idest huic regulæ non esse locum, nisi in Patronorum electione, quæ fiat post ann. 1630., quo tempore statuta est regula, cujus quidem & post ann. 1630. nulla est auctoritas, si prædicto Decreto a Summo Pontifice derogetur. Inficias ire non possumus, ad sedandas Populorum controversias, interdum a Sede Apostolica prudentissime statutum, alicujus ut Civitatis duo Patroni principes colerentur; quod a Nobis animadvertitur in Nostro *lib. 4. de Canonizatione Sanctorum part. 2. cap. 14. & 15.* Jam vero cum Nos penitus lateat, quo tempore, aut qua ratione Patronus electus fuerit S. Lucas Casalius, cum nec exposita Nobis argumenta fuerint satis idonea rei obtinendæ, quæ petitur; nihil novi decernendum existimamus, atque id negotii in gradu pristino relinquendum. Prudentiam interea Tuam Nobis & perspectam, & cognitam ad sedandos Populi tumultus hortamur, ac Tibi, gregique tuo Nobis carissimo paternam Benedictionem benevolentissimo ex animo impertimur.

Dat. Pont. An. VII die 28. Februarii 1747.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 28. Februarii 1747. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

SUPER BACCANALIBUS.

Ad Archiepiscopos, & Episcopos Ditionis temporalis Pontificiæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Duo graviores abusus, qui in Bacchanalibus reprehenduntur.

INTER cetera bene multa, quæ nos vehementer commovent, cum in hoc Nostro Pontificiæ ditionis Statu Bacchanalia toleramus, duo præcipua sunt, de quibus religiosiores quidem ejusdem Ditionis Episcopi Nobiscum aut verbis præsentes, aut absentes epistolis conquesti sunt. Primum illud est, quod vigiliæ, choreæ, ludi ultima Bacchanaliorum nocte celebrari soliti non semel usque ad primum Quadragesimæ diluculum producantur, ita ut multi sint, qui ab hujusmodi choreis, ludis, vigiliis discedentes, deposita quidem larva, iisdem vero induti vestibus, quibus personati quaqua versus processerant, Ecclesiam subeant, Divinis Mysteriis intersint, Sacros Cineres de more accipiant; domum deinde redeuntes dormiant, plerumque totum mane primi Quadragesimalis diei, nec dubitent Episcopum nimiæ severitatis arguere, si palam queratur, ac tum maxime si pœna velit aliqua in id criminis animadvertere. Nos illud deinde commovet, quod in aliquas Status Ecclesiastici Civitates aut irrepere videatur, aut paucis ab hinc annis irrepserit perversa hæc consuetudo, quæ mordicus conservatur; ut Festis quoque diebus personati homines pervagentur; Circulatores autem, & id generis blaterones majoris spectatorum frequentia diebus Festis, quam ferialibus populum ludificiant; iisdem demum diebus saltationes, & choreæ publice, ac per summam licentiam celebrentur.

I. Quod Choreæ &c. per noctem ad diem Cinerum protrahantur.

II. Quod in aliquibus Civitatibus diebus Festis homines personati incedunt.

Patet horum abusuum deformitas.

Primi ut abusus perversitas ostendatur, nulla peculius argumentatione opus est, cum sola illius commemoratio tanti momenti sit, ut ab eo cujusquam debeat animus abhorrere. Et quoniam illorum, qui criminis partes, ac vitii sustinent, hoc solet propugnaculum esse maximum, complures nempe Episcopos extitisse sanctitate clarissimos, qui hæc cum cernerent, tacuerunt, Nos facti ejusmodi, quod perperam plerumque asseritur, nec evincitur, non inquirimus veritatem, & argumenti loco esse ducimus responsionem celeberrimæ cujusdam Catholicæ Universitatis, quæ rogata sententiam de quodam Festo scandali pleno, quod vulgo *fatuorum* appellabatur, quodque aliquibus in Diœcesibus sustinebatur, utpote multis ab Episcopis toleratum, non solum illud censuris damnandum censuit, sed objectum etiam argumentum refellens, hæc prudenter addidit: *Nolite subdolas hominum voces audire sic dicentium: Prædecessores Nostri, qui erant notabiles viri reputati, istud permiserunt; sufficit nobis vivere ut ipsi; Proculdubio istud argumentum diabolicum est, infernalis hæc persuasio, vos illorum exitum ignoratis, an bonus, vel malus fuerit.*

Responsio ad præsentiam usque nunc habitam.

Hujus Universitatis censuram refert *per extensum*, ut dicitur, Joannes Savaronius in appendice operum Petri Blesensis *pag. 782.*, & in tractatu Gallico idiomate contra larvas conscripto *pag. 32. & seq.* Quamobrem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, omni cura mandamus, ut in Diœcesibus, ubi hujusmodi scandalum aut jampridem invaluit, aut eidem aditus aperitur, nullam operam, nullumque studium prætermittatis, ut hæc morum perversitas, ubi deest, perpetuo desit, ubi autem invaluit, penitus extirpetur, ac funditus evellatur, illiusque auctores, defensoresque nulla rerum humanarum ratione habita acerrime puniantur. Neque enim omnino decet hoc modo Quadragesimam inchoare, uti exclamat Sanctus Basilius *Homil. 2. de jejunio* Paris. edit. *an. 1722. tom. 2. pag. 13. Quorum autem primitiæ rejiciuntur, haud dubium, quin in his totum quoque sit rejiciendum.*

Injungitur Episcopis, ut vitium evellant.

Nec tolerentur Choreæ per noctem ullam ante diem Cinerum excedere.

dum. Et pag. 15. Hodiernus dies vestibulum est jejunii; neque vero, qui in vestibulis profanatur, dignus est, qui ad Sancta introeat. Nimis enim honori Ecclesiæ debito, Sacroque Ritui suscipiendorum Cinerum nimis adversantur ii, qui tametsi absque larva, vestibus tamen Personarum propriis domum Dei ingrediuntur, ad Altare accedunt, ut Sacris Cineribus a Sacerdote adspersi de feria mortis cogitatione admoneantur.

Ad II. licet Pontif. usum Bacchanalium absolute prohibere non intendat.

Ad illud interea, quod est secundo loco propositum, accedentes; fatemur minime Nobis statutum animo esse, aut in Bacchanalia invehi, aut de eorumdem impudentia dissertationem historicam instituere. Quod facere si velimus, profecto haud incommode possemus, exscribentes nimirum ea, quæ in hanc rem S. Carolus Borromæus egregie composuit in suo libro Memoriali edito in septima parte Actorum Ecclesiæ Mediolanensis, ea scilicet tempestate, cum illa Civitas a peste importunissima liberata fuit, & Pastor optimus populum studiose, sapienterque hortatus est, ut in publicum grati animi monumentum, Bacchanaliorum consuetudinem abrogare. Huic quoque epistolæ adjungi possent, quæ Monachus de l'Isle in suo recenti tractatu *de jejunio lib. 4. cap. 6.* satis erudite scripsit, ubi de Ethnicorum Bacchanalibus disserens, ostendit, quantum nostrorum hæc Bacchanaliorum importunitas Sanctissimis Christianorum moribus adversetur.

Declarat tamen id ab Ecclesia ægre tolerari.

Verumtamen satis Nobis erit exponere, ea, quamvis ægre, ab Ecclesia tolerari, ut omnis aditus malis longe gravioribus intercludatur, quemadmodum post solidam, doctamque argumentationem, concludit celebris, piusque Theologus Thomas Stapletonus in sua Oratione octava contra Bacchanalia *tom. 2. suorum Operum pag. 556.*; Maximum vero discrimen intercedere inter ea, quæ præcipiuntur, & ea, quæ permittuntur: *Aliud est, quod docemus, aliud, quod sustinemus, aliud, quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur.* Verba sunt Sancti Augustini *lib. 10. contra Faustum cap. 21.* Unde constat, in rebus utcumque ab Ecclesia toleratis, nullum amplificationi, nullum arbitrio esse locum.

Mandat saltem ne diebus Festis, & Feria sexta homines personati incedant.

Sapientissime in hac Urbe a Nostris Prædecessoribus sancitum esse comperimus, ut quamvis perpauci dies Bacchanaliorum licentiæ concedantur, tamen diebus Festis, ac sexta feria nemini omnino liceat larvam sumere, ac publice debacchari. Idem prorsus in reliquo Nostro Statu observari jubemus, & voluntatis Nostræ Cardinales Provinciarum Legatos, Præsules, Locorumque Gubernatores certiores facere non prætermittemus; id etiam enixe cupimus, nullum Ecclesiæ diem Festum Circulatorum levitate, ac licentia perturbari; illa enim Isaiæ verba semper Nobis ante oculos obversantur *Cap. 1. Kalendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens:* Et illa Malachiæ *cap. 4. Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.*

Quid agendum circa tolerantiam circulatorum diebus Festis.

Sed quoniam ab hominibus, quæ expetuntur, illico impetrari haud facile possunt, etiamsi justa sint, ideo significamus mentem hanc esse Nostram, idque pro regula habendum, ut in Urbium, Oppidorumque plateis, vel quibuscumque in locis, nec mane, nec vespere diei Festi Circulatores adsint. Quod si hujusmodi abusus alicubi tolerari consuevit; numquam matutino tempore permittatur; horis quoque pomeridianis, quantum fieri potest, removeatur; At si id sine gravi aliquo incommodo integre fieri nequeat, numquam supradicta, aut id generis solatia tolerentur, nisi post expleta Vespertina Officia, & Doctrinam Christianam: de qua quidem re nostrum erit, Cardinales Legatos, & Urbium Gubernatores etiam, atque etiam admonere.

In tali rerum statu hanc plane rationem ineundam sibi judicavit Sanctus Carolus Borromæus in suo primo Concilio Provinciali *part. 1. Tit. de Festorum dierum cultu*, cujus Decretis addenda sunt ea, quæ ab eodem Pastore in Concilio III. Provinciali sub eodem Titulo statuta sunt. Hoc item Clemens XI. fel. record. inculcavit duabus Literis ad plurimos eodem exemplo datis, altera scilicet die 11. Januarii 1719., altera 4. Januarii 1715.; *Acta & Decr. Canoniz.* quæ in ejus Bullario *pag. 533.* undecima sunt, & duodecima.

Pontificis mens de reliquis ad hanc materiam spectantibus.

Ac dum S. Caroli Borromæi vestigiis, quibus institit clarissimus Prædecessor Noster, Nos libenter inhærere fatemur, illud monitos omnes volumus, quod cum res desuper enarratas vetamus, interdicto non liberamus cetera omnia, quæ Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, Conciliis aut Provincialibus, aut Diœcesanis, quoad Bacchanaliorum solatia prohibentur, & præcipue quoad Ecclesiasticos viros, numquam enim oculos a Concilio Tridentino deflectimus, quod *sess. 22. c. 1.* postquam Sacrorum Canonum mentionem fecit, qui Ecclesiasticis luxum, convivia, choreas, aleas severe prohibent, sic Episcopos alloquitur: *Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quamprimum in usum revocari, & ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque; ne subditorum neglecta emendationis ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persolvant.*

Alias evulsa fuit mala consuetudo Christianorum die primo Januarii.

Cuilibet in Ecclesiastica disciplina paulum versato facile compertum erit quasdam Ethnicorum veteres fuisse superstitiones, quæ Kal. Januarii in honorem Jani, & Deæ Streniæ instituebantur, quibus aliquando Christiani intererant, crapulæ, ludisque dediti, ac mulieres virorum, viri mulierum personas induebant: Nec sancti Patres in suis sermonibus, nec in suis Conciliis Ecclesia in tam pravum morem invehi prætermisit, quin etiam pœnas reis gravissimas indixit. De qua quidem re jam disseruimus in nostro opere de Festis Domini, cum de Circumcisione Christi Domini ageremus.

Huic successit altera relaxatio vivendi tribus hebdomadis ante Quadragesimam.

Pravissima hac consuetudine funditus extirpata, altera enata est, spectans videlicet ad quasdam publicas relaxationes, quæ plerumque hebdomadis septuagesimæ, sexagesimæ, & quinquagesimæ celebrantur, in quibus Ecclesia præcipua Redemptionis nostræ mysteria meditanda nobis proponit, nos ut efficiat ad quadragesimalis temporis severitatem alacriores, quod & a Nobis fuit demonstratum in *Notificatione XIV. tom. I.* inter eas, quas edidimus, cum Bononiæ moraremur illius Ecclesiæ moderatores. Ea vero consuetudo est Bacchanalium fœditas, & corruptela, quam sic describit claræ memoriæ, Episcopus Gratianus in sua Synodo Ameriæ habita *ann. 1595. pag. 50. Hinc factum (adeo Nos prava pervertit consuetudo) ut septuagesimam inter, & quadragesimam interjecti dies, quos S. Mater Ecclesia magno mysterio veluti lugubres, funeresque habet, prævalens lasciviæ risus, hilaritatis amor, non in lætitiam solum, inconditumque gaudium verterit, sed pene communi cuidam insaniæ dedicarit, eoque provecta licentia sit, ut ipsas quoque leges, ipsos Magistratus traxerit, & quod ne privato quidem unquam ulla bene morata Civitas concederet, id penitus jam publica auctoritate utatur, & populi veluti obliti nominis, quo feruntur, in ipsos profanarum gentium ritus, moresque degeneraruut.* Quamobrem illustris Gislenius Busbequius, qui medio seculo XVI. Ferdinandi I. Imperatoris ad Solimanum II. Orator fuit; scriptum reliquit, Turcarum Legatum postquam Bacchanaliorum tempore in quadam Christianorum regione moratus esset, Constantinopolim reversum retulisse, certo anni tempore Christianos sui impotes insanire; tum cujusdam pulveris arcana vi, quo eorum capita conspergebantur, redire ab bonam mentem, ac resipiscere consuevisse: *Ut non frustra creditum sit hominem Turcam, qui eo tempore ad nos publici negocii causa Legatus venisset, domum reversum, retulisse, Christianos certis diebus bacchari, & furere, donec genere quodam cineris in Templo respersi redirent ad se, & convalescerent.*

Ecclesia huic abusui semper se opposuit.

Nec huic morum perversitati Ecclesia, ut potuit, non opportune consuluit, & semper precibus, operibusque piis enixe Dei præsidium imploravit, ut pœnas impiis debitas differret, & omnipotenti auxilio suo huic malo remedia præberet: atque inter cetera pietatis opera ad hunc finem directa, illud fuit, ut quædam Religiosorum familiæ a carnibus abstinere, & lacticiniis solummodo vesci consueverint a die Dominica aut Septuagesimæ, aut Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ, usque ad diem Cinerum, ideoque Bacchanalia *Carnis*

Contrariam agendi rationem suadendo.

privium nuncupantur, & in Missa Mozaraba Dominica Sexagesimæ *Dominica ad tollendas carnes* appellatur.

Devotas occupationes instituendo.

Alia quoque Religionis opera, furente bacchanalium insania, a Sanctis viris egregie sunt instituta, inter quæ publica, & solemnis illa est consuetudo, cujus auctor S. Philippus Nerius extitit, septem scilicet hujus Urbis Ecclesias invisendi, cujus instituti meminit Baccius in ejus vita. Nostri autem Prædecessores, ut in his diebus fidelium animos ad Sacramenta suscipienda inflammarent, plurimas indulgentias impertiverunt: *Nupero, sed saluberrimo invento Pontifices summi, depromptis de Thesauro Ecclesiæ largitionibus, fideles ad incensam pietatem per Sacramentorum participationem in diebus illis* (de Bacchanalibus loquitur) *frequentandam excitarunt, & ut se dant initia, spes est diabolum inde extrusum adigendum fore ad captandas alias sordes*: Verba sunt hæc Theophili Raynaudi *tom. XVI. Oper. suor. pag.* 412. *num.* 41.

Et indulgentias concedendo.

Exhortatio Pontificis ad Episcopos ad exercenda publica pia opera.

Vestrum est igitur, Venerabiles Fratres, hanc viam tenere, & ad hanc suscipiendam vestro exemplo ceteris incitamento esse. Præsertim vero Divinis Officiis Bacchanaliorum tempore quotidie vos interesse cupimus, Sacrosanctum Missæ Sacrificium coram populo celebrare, Ecclesias, & Xenodochia invisere, & Ecclesiasticos homines, laicosque vobiscum ad id muneris invitare: hujusmodi enim comitatus & sanctus erit, maximeque laudabilis. Curandum præterea a Vobis est, ut in una, aut in pluribus Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum per triduum publico cultui exponatur, & quotidie populo ad Vesperam benedicatur, in Septuagesimæ, aut Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ hebdomadis, aut tribus omnibus. Nos interea fidelibus, hac nostra epistola circulari, plenariam indulgentiam concedimus, quæ a vobis solitis formulis promulgabitur, quæque cum *ad opus pium* directa sit, non impeditur alia plenaria Indulgentia, quam Ecclesia, ubi Eucharistia exponitur, aliis de causis habere possit; plenam, inquam, culparum veniam impertimur quibuslibet Christifidelibus, qui pœnitentia, & Sacra Synaxi rite muniti, singulis diebus Augustissimum Christi Corpus visitarint, Deum orantes juxta Ecclesiæ mentem, quam desuper exposuimus.

Quodque per triduum Sanctissimum Sacramentum in Ecclesiis exponatur.

Et concedit Indulgentiam peculiarem.

Apostolicum hoc nostrum munus exigebat, ut vobis hanc Epistolam conscriberemus. Vestrum exemplum, qui Nobis propinquiores estis, longinquiores impellet, ut ad Nos recurrant; qui sane eos omni, qua possumus, ope curabimus, easdemque indulgentias ipsis, eorumque Diœcesibus, concedere non gravabimur. Et demum Vos ex animo amplectentes & Vobis singulis, Venerabiles Fratres, & Gregi Vobis commisso, Apostolicam benedictionem impertimur.

Dat. pontif. anno VIII. die 1. Januarii 1748.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Kal. Januar. MDCCXLVIII, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Super Operibus Venerabili Sorori

MARIÆ A JESU DE AGREDA

attributis sub titulo:

Mystica Civitas Dei, & Miraculum Divinæ Omnipotentiæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecto Filio Fr. Raphaeli a Lugagnann Ministro Generali Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum.

Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pontifici nomine Regum Catholici, & Neapolis postulatur, ut ad examen Operum Sororis Dei procedatur.

POSTULATUM studiosissime apud Nos fuit a bonæ memoriæ Trojano Presbytero S. R. E. Cardinali de Aquaviva nuncupato, tum nomine Carissimorum in Christo Filiorum Nostrorum Hispaniarum Catholici, & utriusque Siciliæ Regum Illustrium, quorum negotiis apud Nos, & Apostolicam Sedem agendis præerat, tum etiam pro munere Protectoris Vestri Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, quod ipse gerebat, ut suprema manus imponeretur examini Operis, cujus titulus est: *Mystica Civitas Dei, & Miraculum Divinæ Omnipotentiæ*; quod scriptum asseritur a Venerabili Ancilla Dei Sorore Maria a Jesu de Agreda: cujus nimirum examinis prolatio impedimentum afferebat Judicio super ipsius Ancillæ Dei Beatificatione, & Canonizatione jamdudum feliciter instituto; Quum & juridicæ Inquisitiones de illius Vita, Virtutibus, & Miraculis in genere, auctoritate Ordinaria jam fuissent peractæ, & Commissio Causæ compluribus ab hinc annis a Romano Pontifice signata, Sententia super non Cultu jam approbata, & novus etiam Apostolica auctoritate Processus confectus fuisset, in quo examinati fuerant Testes, senio, aut valetudine affecti, de quibus timeri poterat, ne ex hac vita migrarent, antequam integer Processus super ipsius Ancillæ Dei Virtutibus, & Miraculis in specie, eadem auctoritate Apostolica compleretur.

Status illius causæ pro Beatificatione refertur.

Et decreto super operibus ad attributis edita enarrantur.

Acceptis hujusmodi precibus, statim, pro hujus generis negociorum cognitione a Nobis acquisita, dum in ipsis assidue tractandis totos, quadraginta septem annos versati sumus, memoriæ Nobis occurrit Decretum de præfato Libro a Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis die xxvi. Junii Anni MDCLXXXI. editum; novumque ejusdem Libri examen a venerabilis memoriæ Prædecessore Nostro Innocentio Papa XI., cujus temporibus Decretum illud prodiit, demandatum Congregationi particulari San. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ad hunc effectum ab ipso deputatorum; quibus a felicis recordationis Prædecessoribus pariter Nostris Innocentio Papa XII., & Clemente item XII. alii subrogati fuerunt, qui ejusmodi examen explerent, tum etiam novissimum ipsius Clementis Decessoris Decretum, quo prædicti Operis censuram iterum remisit eidem Sanctæ Inquisitionis Generali Congregationi; absque eo quod, vel ab ulla ex Congregationibus particularibus, ut supra deputatis, vel a præfata Generali Congregatinne, post Decretum anno MDCLXXXI. editum, examen hujusmodi nedum absolutum, sed nec inceptum unquam extiterit; nec enim formalis examinis, multoque minus captæ resolutionis nomen meretur, quidquid gestum est in Particulari Congregatinne habita die 31. Januarii MDCCXXXIV. Qua de re statim cogitavimus hujusmodi judicium a Congregatione Sancti Officii avocare, & peculiari Congregationi Sacrorum Rituum, ex aliquibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac nonnullis Sacræ Theologiæ Professoribus a Nobis deputandis conflatæ & coram Nobismetipsis habendæ, novo consilio committere. Hujus autem avocationis, novæque Commissionis decernendæ Causa in eo a Nobis statuta fuit, quod animadvertimus, præfati Operis examen, tam illud nempe, quod anno MDCLXXXI. peractum fuerat, quam illud, quod aut in Congregationibus particularibus a prælaudatis Prædecessoribus deputatis, aut in ipsa Generali Congregatione Sancti Officii, juxta novissimum Clementis Decessoris Decretum, fieri debebat; ad hoc dumtaxat institutum fuisse, ut videretur, an ipsum Opus licite, & utilitee a Fidelibus legi, retineri, ac Typis impressum præ manibus haberi posset. At vero instantiæ a præfatn Cardinali de Aquaviva, nominibus, quibus diximus, Nobis exhibitæ, eo potissimum tendebant, ut examen Operis fieret ejusmodi, quale ad progressum Causæ Beatificationis, & Canonizationis Ancillæ Dei necessarium esse dignoscitur; qum in casu examen ipsum privative spectat ad Congregationem Sacrorum Rituum, ut colligitur ex Decretis sanctæ memoriæ Urbani Papæ VIII., quæ habent: *Non prius est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quam tales libri diligenter in Sacra Congregatione* (loquitur de Congregatione Sacrorum Rituum) *examinentur*. Hinc est, quod licet Venerabilis Servus Dei Robertus Cardinalis Bellarminus præclatos

Pontif. avocat dictorum operum, & Scriptorum judicium, illudque remittit particulari Sacr. Rit. Congregationi.

Ratio hujus avocationis, & commissionis adducitur.

suos

suos Controversiarum libros, non sine præviis approbationibus, & permissionibus, vivens in lucem emiserit; iidemque libri, post Typographicas editiones, in Congregatione Indicis novo examini subjecti fuerint; Cum tamen actum fuerit de promovenda Causa Beatificationis, & Canonizationis ejusdem Servi Dei, necesse omnino fuit Postulatoribus eosdem Libros, una cum aliis illius Scriptis iterum exhibere in præfata Congregatione Sacrorum Rituum examinandos; ut ipsi adnotavimus in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 26. num. 2.*, ad quod Opus ideo Nos referimus, propterea quod in eo concinnando, præcipuam diuturni, gravisque laboris operam impendimus in exponenda praxi, quæ ab ipsa Sacrorum Rituum Congregatione in Causis Beatificationis Servorum Dei, & Beatorum Canonizationis provide constituta, inconcusse observatur.

Congregationis Sac. Rituum distinctio.

Hæc sane Congregatio (quod te latere non arbitramur), prætermissis aliis divisionibus, quæ ad rem præsentem non pertinent, distinguitur in Generalem, & Ordinariam. Et Generali quidem intervenit Summus Pontifex, una cum Cardinalibus, quotquot eidem Congregationi adscripti sunt, omnibusque ipsius Congregationis Consultoribus; atque in ea agitur de Servorum Dei Virtutibus, Martyrio, aut Miraculis recognoscendis, & approbandis. Ordinariam vero constituunt soli Cardinales cum ipsius Congregationis Secretario, cum Protonotario Apostolico, & Promotore Fidei; atque in hac, prætee cetera, agitur etiam de revisione Operum conscriptorum a Servis Dei, quorum Beatificatio promovetur; quæ revisio sequenti methodo peragitur. Cardinalis Causæ Relator, seu Ponens, ut vocant, unum, aut plures, pro suo arbitrio, Theologos deputat hujusmodi Operum Revisores, qui censuram suam scripto exaratam ad ipsum deferunt; ipse vero illam præfatæ Congregationis ordinariæ repræsentat. At ubi gravioris momenti difficultates vertantur, ac potissimum ubi Revisorum judicia inter se non conveniant, mos est, ut hujusmodi Revisorum censuræ singulis Cardinalibus expendendæ transmittantur, aliquando etiam in Breviarium accurate redactæ, Postulatoribus Causæ communicentur, ut ipsi difficultates excitatas cognoscant, iisque per opportunas responsiones satisfacere curent. Ac demum omnibus in Congregatione perpensis, quæcumque capta fuerit resolutio, per ipsius Congregationis Secretarium refertur Summo Pontifici, ad quem pertinet, eam judicio suo comprobare; ut latius videri potest in præcitato Nostro Opere *l. 2. c. 27. n. 9. & 10.*

Et stylus de examinandis scriptis Servorum Dei.

Pont. ad consulendum celeritati, ex eadem Congregatione selegit quatuor Cardinales.

Ad tramites hujus methodi, & consuetudinis, revisio Operis de Mystica Civitate Dei præfatæ Congregationi Sacrorum Rituum Ordinariæ committi debuisset. Nos autem, ut majori judicii celeritati consuleremus, ex eadem Rituum Congregatione, quatuor dumtaxat Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales selegimus, duos nimirum in Canonica facultate apprime versatos, scilicet venerabilem Fratrem Nostrum Antonium Xaverium Episcopum Prænestinum, *Gentili*, ac dilectum Filium Nostrum Albertum Tituli Sanctæ Mariæ de Pace Presbyterum *Cavalchini*, duosque alios Sacræ Theologiæ Magistros, Dilectos pariter Filios Nostros Presbyteros, Fortunatum Tituli Sancti Matthæi in Merulana, *Tamburini*, & Joachimum Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, *Besozzi*, respective nuncupatos; quibus ut ea impleremus, quæ fieri potuissent a Cardinali Ponente hujus Causæ, si ea in ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione proponeretur, adjunximus Dilectos Filios Antonium Galli Abbatem Canonicorum Regularium Sanctissimi Salvatoris, Joannem Franciscum Baldini Clericum Regularem Congregationis Somaschæ, Thomam Sergium Presbyterum Congregationis Piorum Operariorum, & Cælestinum Orlandi Abbatem Monachorum Congregationis Cælestinæ, qui ipsius Operis discussioni, & examini incumberent; hujus autem Congregationis Particularis Secretarium deputavimus Dilectum Filium Magistrum Ludovicum de Valentibus Promotorem Fidei; cui mandavimus etiam, ut difficultates omnes in præfato Opere animadversas Postulatoribus in scriptis ederet; ut hi suas responsiones ad singula comparare, atque exhibere possent; Quæ omnia a prædictis respective peracta, & juxta mentem nostram expleta fuerunt. Ipsi præterea Nostram universo judicio diligentiam, atque operam præstare, quantumvis innumeris aliis, gravissimisque negotiis oppressi, non detrectavimus, jubentes, omnia Nobis legenda, ac perpendenda afferri, nec nisi coram Nobismetipsis Congregationem deputatam cogi debere; quod factum fuit. Nomina vero Theologorum ad præfatum examen deputatorum palam edicere non recusavimus, licet non ignoraremus, apud Congregationem Ordinariam Sacrorum Rituum in more esse, ut similibus in causis eorum nomina silentio tegat; quo eos ab omni molestia, aut offensionum respectu præstet immunes; ut etiam videre est in citato Operis Nostri *l. 2. c. 26. num. 50.* Eidem autem Congregationi mandavimus, ut ipsum opus juxta normam ab Urbano VIII. in Decretis traditam, diligenter, accurateque perpenderet; ut habet Decretum a Nobis editum die 3. Augusti 1745.

Et quatuor Theologos revisores deputavit.

Et ipse omnia legit ac ponderavit.

Diligentia adhibita in peragendo examine.

Ex eo die ad diem quintum mensis Decembris proxime elapsi, quo præfata Congregatio Particularis coram Nobis habita fuit, licet biennium, & ultra effluxerit, non tamen dici potest inutiliter ductum esse tempus; dum, hoc mensium decursu, prædictus Fidei Promotor varias objectiones adversus Librum Mysticæ Civitatis Dei multimode excitatas, & huc illuc dispersas, diligenter collegit; Postulatores autem non omiserunt suas responsiones ad singula Capita suse, doctèque opponere; Qui vero consilium suum Nobis præbere debebat, omnia perlegere, & ponderare non prætermiserunt; ac demum Nos ipsi præteritas autumnales ferias in eo impendimus, ut momenta Causæ coram Nobis discutiendæ plenissime cognita, animo comprehenderemus.

In congregatione quid primo examinatum fuerit.

Ut autem ad ea jam veniamus, quæ in Congregatione animadversa, & ponderata fuerunt, quæque tibi, Dilecte Fili, libenter aperire volumus, ut Ancillæ Dei Causa ad suum debitum finem recta via dirigatur; illud ante oculos habere opus est, quod superius etiam innuimus, nimirum examen Operis, quod nunc instituitur, diversum omnino esse ab eo, quod in Congregatione Sancti Officii factum fuisset: in ista enim, Opus ipsum, prout est in se, præcipuam Judicum curam occupasset, qui nequaquam ad se pertinere arbitrarentur investigare, an vere conscriptum fuisset ab eo auctore, cujus nomen in Titulo præfert; quod adeo verum est, ut in eo tribunali frequenter examini subjiciantur Libri, & Opera, quorum Auctores penitus ignorantur. In Judicio autem, quod fit ex more Congregationis Sacrorum Rituum, primum examini subjectum est, ut constituatur, quisnam propositi Operis Scriptor extiterit. Quod si evidenter non constet ad eum pertinere, cujus Beatificationis, & Canonizationis Causa agitur; revisio Operis prætermittitur, atque in ipsa causa, prout res ferunt, ad ulteriora proceditur; nec ullum examen libri instituitur, nisi manifeste constiterit, illius Auctorem esse ipsum Dei Servum, cujus nomine inscriptum perhibetur. En verba Decretorum Urbani VIII. *Præterea illud etiam diligentissime indagandum est, an ille, vel illa, pro cujus Canonizatione instatur, scripserit aliquos Libros, Tractatus, Opuscula, Meditationes, vel quid simile. Nam si scripsisse constiterit, non prius est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quam tales libri diligenter in Sacra Congregatione examinentur, utrum contineant errores contra Fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, vel peregrinam, atque a communi sensu Ecclesiæ, & consuetudine alienam.* Ubi Prædecessor noster non dixit: *si scripsisse probabile, vel verisimile sit*; sed ait: *si scripsisse constiterit*. Quibus verbis non probabilitas, sed certitudo requiritur; quemadmodum, attenta etiam inconcussa praxi præfatæ Congregationis, alibi a Nobis assertum fuit; *De Canonizatione Sanctor. lib. 2. cap. 34. num. 4.*

Videlicet an evidenter constet opus a Dei Ancilla scriptum fuisse.

Pro hac probatione non sufficit sub ejus nomine fuisse opus impressum.

Neque ad evitandum hujusmodi probationis rigorem satis est dicere, quod opus illud, de quo agitur, iterato impressum fuit, constanterque vulgatum sub nomine Sororis Mariæ a Jesu, hoc enim aliquam vim haberet, ubi Opus ipsum, Ancilla Dei

Vi-

vivente, in lucem prodiisset, atque ubi constaret, ipsam non ignorasse hujusmodi librum suo nomine circumferri, neque eam contra reclamasse, aut partum abnegasse, nec alium quempiam extitisse, qui eam crimine plagii accusaret; ex his enim omnibus simul junctis validum exurgeret argumentum pro eodem Opere Ancillæ Dei certius tribuendo. At opus, de quo agitur, post ipsius Ven. Sororis mortem Typis excusum fuit: quemadmodum vero, si id aliquo Tabulario inventum fuisset in Codice manu exaratum, ipsi Ancillæ Dei tuto adjudicari non posset, nisi per legitimas probationes doceretur, illius esse stylum, atque scriptionem; ita, dum post ejus mortem, a Typographis descriptum, in manibus hominum invenitur; ut ei tuto adjudicetur, cujus nomen in fronte gerit, similes omnino probationes requiruntur, easque perfici oportet super hujus Operis Autographo, quod proinde exhiberi necesse est, ut inhærendo semper receptæ praxi, observavimus, *citato nostro lib. 2. cap. 26. num. 6.*

Neque Postulatorum confessio.

Minusque sufficit ad requisitum probationis rigorem declinandum, subjungere, quod omitti possit adeo exquisita discussio, dum Postulatores ipsi admittunt, & asserunt, Opus illud a Ven. Maria de Agreda conscriptum fuisse. Relata enim verba, *Si scripsisse constiterit*, non in gratiam Postulatorum, sed in favorem veritatis, in Decreto Urbani VIII. posita sunt. Quapropter, si licet Postulatoribus (id quod non semel evenit) sustinere, librum alicui Servo Dei fursan tributum, certis deficientibus argumentis, ad ipsum revera non pertinere; nullo pacto negari potest, jus esse Judici exquirere, an per legitimas probationes, ut par est, manifeste constet, Librum alicujus Servi Dei nomine inscriptum, ab eo reipsa compositum fuisse.

Quia inquiritur an sit in favorem veritatis.

Exemplum in causa S. Jacobi de Marchia.

Hujus rei exemplum clarissimum datum est in Causa Sancti Jacobi de Marchia Ordinis Vestri. Postquam enim difficultas promota adversus illius doctrinam de Sanguine Christi, prolatis duobus Brevibus Prædecessoris Nostri Pii Papæ II.. sublata fuerat; altera excitata fuit adversus doctrinam pariter ab ipso traditam in quodam Dialogo *adversus Fraticellos*, qui asservabatur in Archivio Fratrum Minorum de Observantia apud Sanctum Isidorum de Urbe, quemque Wadingus a B. Jacobo conscriptum, ac proprio ipsius chirographo exaratum asserebat. Postulatores vero, de Dialogi Auctore, deque Scriptore Codicis minime dubitantes, omnem Operam ponebant in propuganda Doctrina in eodem asserta. Verum, quum Sanctæ memoriæ Prædecessor Noster Clemens Papa XI. Codicem ipsum ex Archivio extrahi jussisset, duosque claros Viros antiquorum characterum Peritos, Alexandrum Zacagnum, & Justum Fontaninum, deputasset, qui dijudicarent, an vere B. Jacobi Scripturam contineret; quumque horum judicia minime inter se convenientia fuissent: Idem Prædecessor Nobis nunc in minoribus constitutis, & Promotoris Fidei munus gerentibus, mandavit, ut Sententiam Nostram de tota re in scriptis exponeremus. Nostra autem sententia fuit, in ejusmodi judiciorum varietate, ac probationum incertitudine, responderi posse, de Auctore Dialogi *non constare*, atque ita ad ulteriora in causa procedi: cui quidem consilio quum Pontifex benigne annuisset, liberum cursum ipsa Causa deinde habuit, ac postea sub recolendæ memoriæ Benedicto Papa XIII. Benefactore Nostro, felicem exitum sortita est; quemadmodum in sæpecitato Opere nostro *l. 2. c. 34. n. 7.*, relatum habetur.

Examinantur rationes & adminicula ad probandam identitatem Operis.

Regulis hisce constitutis, ut ad rem nostram propius accedamus, ex actis apparet, quod usque ab anno MDCLXVIII. Tirasonensis Episcopus tunc existens, Vir doctus, & Venerabilis Mariæ nomini, ac memoriæ devotus, sua Ordinaria usus auctoritate non modo processum confecit supra fama ipsius Virtutum, atque Miraculorum, sed etiam quum ei relatum esset, in Cœnobio Monialium de Agreda existere Autographum Operis de Mystica Civitate Dei, mandavit ipsum sibi exhiberi. Quod quum factum esset, is quidem, inspecto Codice, dixit illius Scripturam, exceptis Capitulorum Titulis, esse a Venerab. Sorore Maria a Jesu; addiditque, se ideo hoc asserere, propterea quod illius charactæ-

Et signanter scriptura illius proprio charactere.

eis forma sibi cognita esset, ex inspectione plurium Epistolarum ab illa scriptarum, ejusque nomine obsignatarum. Procurator autem Causæ, ut Episcopi dicto ampliorem fidem adstrueret, tres alios Testes produxit, inter quos erat ipsius Causæ Notarius, qui tamen non singillatim examinati fuerunt, sed, præstito Juramento de veritate dicenda, uno ore dixerunt, ipsum Codicem, exceptis Titulis, ut supra Ancillæ Dei charactere jam pridem sibi cognito conscriptum esse. Qua de re idem Episcopus jussit hujusmodi Operis exemplum in forma authentica describi, eoque in processu inserto, prædictum assertum Autographum Monialibus reddi; quæ omnia, ut ipse jusserat, impleta fuerunt.

Recognita per testes habentes notam manum.

Porro, si Sanctus Athanasius in humanis ageret, hujusmodi probationis genere forsitan contentus non esset. Quum enim ipse seditiosas quasdam Epistolas scripsisse diceretur, eoque nomine apud Imperatores per calumniam accusaretur, nil minus requirebat, quam ut Epistolæ ipsæ in medium proferrentur, tum aliæ invenirentur ipsius manu conscriptæ, quæ cum illis conferri possent: *Primum quidem literas saltem nostras similes proferant.* Et tamen id satis adhuc non fore asserebat: *At nequaquam tutum illud fuerit &c. Vestras quippe Imperatorum manus sæpe suas imitati, unde similitudo illa scriptis auctoritatem minime dederit*, ut legitur *tom. 1. ipsius Operum Parisiis impress. an.* MDCLXXXIII. *pag.* 298. Quæ Athanasii verba ideo attulimus ut ostenderemus huic Sancto Doctori minime persuasum fuisse, ex characteris similitudine tuto evinci posse librum aliquem revera conscriptum esse ab eo cui tribuitur a Testibus, asserentibus, ideo sibi cognitam esse illius characteris formam, quod alias viderint chartas ab eodem scriptas, suoque nomine obsignatas. Ac de insufficientia probationis Scripturæ *per Testes habentes notam manum*, innumeras Jurisperitorum auctoritates hic colligere in promptu esset. Receptum est enim, ubi de fide Chirographi disputatur, ut requiratur depositio Testium, qui adfuerint, & viderint, dum ab eo scriberetur, cujus manu scriptum asseritur. Attamen cum id, quod ad comprobandum brevioris Scripturæ veritatem omnino requiritur, non æque exigi possit, ubi, ut in casu nostro, de Opere agitur satis prolixo, & amplo; hoc saltem requirendum visum est, quod nimiæ severitatis a nemine incusandum putamus, ut nempe allata probatio legitimis adminiculis fulciatur. Si qui enim ex juris peritis admittunt probationem characteris, quæ fit per testes habentes notam manum; hi omnes docent hujusmodi Testibus non aliter deferendum esse, quam si sufficienter adminiculati dignoscantur, quod ipsi jam observavimus *de Canoniz. Sanctor lib. 2. cap. 52. num. 6.* Si vero hujusmodi adminicula requiruntur, ut fides habeatur Testibus *singillatim* examinatis, quique cum omnibus debitis solemnitatibus, alter sensim ab altero Testimonium dixerunt; nonne majori jure requirenda erunt in præsenti casu, in quo adducuntur dumtaxat Testes *turmatim* recepti, quorum modica in jure habetur auctoritas, (ut videre est in præfato *nostro lib. cap. 49. num. 2.*) quique post auditam sui Superioris assertionem, coram ipso testantes, eidem adstipulari quodammodo debebant? Nec audiendi sunt, qui excipiendo ajunt Processum, de quo agitur, non Apostolica, sed Ordinaria auctoritate confectum fuisse. Etenim Processus Ordinarii, si non ad normam literarum Remissorialium, a Congregatione Sacrorum Rituum expeditarum, at saltem ad juris communis tramites sunt conficiendi, non autem aliunde, quam a jure communi desumpta sunt, quæ huc usque adnotavimus.

Ex hoc quonam probatio desumi possit, expenditur.

Resolvitur, id non sufficere, nisi Testes sint adminiculati.

Quod si a Nobis ulterius quæratur, quænam putemus esse adminicula ad imperfectam hujusmodi probationem roborandam necessaria; facile respondebimus alia procul dubio existere Scripta, præter Mysticam Civitatem Dei, Sororis Mariæ charactere exarata. Id enim asserit Frater Joseph Ximenius in Vita ipsius Ancillæ Dei §. 32. *num.* 129. Præterea fieri non posse, quin alia complura ipsius Chirographa, seu Schedulæ inveniantur, quum eadem Agredini Monasterii regimen diu obtinuerit. Vera autem illius characteris forma semel percogni-

Modus adminiculandi Testes.

ta,

ta, advocandi sunt periti, qui comparantes codicem, de quo agitur, cum aliis ipsius scriptis, de identitate characteris juxta eorum artis regulas, judicium faciant. Tum vero indubia illa characteris exemplaria, ipsumque controversum Opus una cum Peritorum judiciis, Romam transmitti debent, ubi alii deputabuntur Periti, qui omnibus recte perpensis, de hujusmodi characteris identitate, deque transmissis peritorum judiciis, sententias suas aperiant. Quamvia vero hujusmodi probatio, quæ *per comparationem* appellatur, inter subsidiarias, sive semiplenas probationes numeretur (id quod a Nobis demonstratum est *cit. lib.* 2. *cap.* 52. *n.* 5. *&* 6.) si tamen hæc cum altera conjungatur, quæ antea facta fuit *per Testes, habentes notam manum*; haud parum ponderis apud sapientes Judices habere poterit. Neque putes novam hanc esse methudum, quam tibi indicamus; hæc enim constanter fuit consuetudo Congregationis Sacrorum Rituum, quam etiam nuper sequuta est in Causa Beati Joannis Cantii, ut in prælato *nostro lib.* 2. *cap.* 34. *n.* 8. *& seqq.* adnotavimus. Neque tibi in mentem veniat dubitare de ipsius asserti Autographi, aliorumve Scriptorum amissione. Hæc enim, postquam, ut oportuit, inspecta fuerit, iisdem redduntur, a quibus exhibita fuerunt; ut Nos etiam testati sumus *eodem lib.* 2. *cap.* 26. *n.* 8. eaque a te ipso restitui poterunt eidem Monasterio de Agreda, in quo fertur Ancillam Dei ea asservari voluisse, ut legitur in ejus Vita *part.* 3. *Mysticæ Civitatis, Augustæ Vindelicorum impress. pag.* 244. *ad num.* 18.

Altera inquisitio facienda.

At non hic sistunt inquisitiones, quas perfici opus est, ut, ad normam Decretorum Urbani VIII. pronunciari valeat, *constare*, quod Mistica Civitas Dei a Venerabili Maria a Jesu conscripta fuerit. Novum profecto non est, neque difficile intellectu, quod quis propria manu describat Opus, quod vel ab alio integre compositum fuerit, vel cujus magna pars aliena constet inventione, ac doctrina. Quod cum advertissent causarum Palatii Apostolici Auditores in Causa Canonizationis Beatæ Theresiæ a Jesu de ipsius Operibus id potissimum sibi comprobandum sumpserunt; quod nempe *ipsa Beata Theresia sua propria manu, & non aliena industria, seu alicujus alterius humano studio istos libros composuerit*, ut videre est in relatione ab ipsis confecta sub titulo *de Virtutibus artic.* 2. §. *primo pag.* 269. *impressa Viennæ anno Sal.* 1628. Porro de Mystica Civitate Dei non id affirmatur, neque pro certo contenditur, quod a Ven. Maria a Jesu composita non fuerit. At negari nequit, quin usque ab initio aliqua de hoc excitata fuerit dubitatio. Etenim ipse Tirasonensis Episcopus, qui, ut supra dictum est, de ejusdem Ancillæ Dei Virtutibus, & Miraculis anno MDCLXVIII. Processum Ordinarium construxit; quum præcedenti anno MDCLXVII. præfatum opus amplissima sua Approbatione commendare voluisset; hoc etiam sibi præstandum censuit, ut eos confutaret, qui hujusmodi scriptionis gloriam Ancillæ Dei abrogabant; ut videri potest *in Summario præliminaris hujus Causæ pag.* 29. *lit. D.*, quod sane supervacaneum fuisset, nisi jam tunc aliqui extitissent, qui ea de re dubitassent; quemadmodum ab aliis etiam ad hæc usque tempora dubitatum fuisse non ignoras.

Quod Opus ab ipsa compositum fuerit.

Signanter ob dubium alias excitatum.

Hoc igitur dubium e medio tolli oportet, ut tuto pronunciari valeat Ancillæ Dei Opus esse hoc, de quo agitur. Equidem non negabimus, quin in *Responsionibus Præliminaribus pag.* 25. *n.* 46. magna argumentorum vis collecta fuerit ad ostendendum, non alteri, quam ipsi Ancillæ Dei, nulloque modo potissimum illius Confessario, hoc opus tribuendum esse. At cum, præter Mysticam Civitatem Dei, tot alia extent Opera, quæ ab eadem procul dubio confecta perhibentur; quumque ex artis criticæ regulis, validissimum argumentum pro dignoscendis librorum Auctoribus in comparatione styli, ejusque similitudine, aut difformitate constituatur; cur adhibitæ non fuerunt opportunæ diligentiæ ad comprobandam uniformitatem styli Mysticæ Civitatis Dei cum aliis Operibus ab eadem Ancilla Dei indubitanter conscriptis? Quod enim citatus Ximenius in suo Prologo Galeato §. 12. *num.* 95. de hujusmodi styli uniformitate testatur, minime

Varia argumenta licet ad hoc adducta fuerint.

Deest tamen probatio per comparationem styli.

sufficiens reputatur, quousque necessaria Operum comparatio, de qua diximus, instituta non fuerit.

Præterea legitur in Historia Vitæ ejusdem Sororis Mariæ a Jesu, quod quum ipsa scripsisset Opus Mysticæ Civitatis Dei, Confessarius quidam illius spiritum non plane noscens, ei præcepit, ut Opus illud flammis combureret. Quod quum ab ipsa statim perfectum fuisset, alter deinde Confessarius in rebus Divinis magis expertus, eidem mandavit, ut hujusmodi opus de novo recuderet; licet prioris exemplum, apud Catholicum Regem Philippum IV. extaret, ipsius piissimi Regis jussu descriptum, antequam illius autographum combureretur; Evenisse autem, non sine Miraculo, ut idem opus brevi tempore ab Ancilla Dei iterum conscriberetur, absque ulla discrepantia ab eo, quod antea combustum fuerat; nisi quod parva quædam additamenta, ac nonnullorum rerum elucidationes accesserunt novo Codici, quem asserunt eumdem esse, qui in Agredano Monasterio pro Autographo asservatur, & ex quo Episcopus Tirasonensis describi jussit exemplum in suo Processu, ut supra diximus, insertum. Ita narrat prædictus Joseph Ximenius *in Vita Ven. Sororis Mariæ a Jesu* §. 32. *n.* 125. *& seqq.* qui etiam *in Prologo Galeato* §. 12. *n.* 94. de uniformitate Operis jam cremati cum eo, quod nunc visitur, ita testatur. *Dubium tamen non est idem prorsus fuisse opus; quod postea iterato scribere aggressa est, hodieque in lucem prodit ad literam, absque differentia alia, præter additiones quasdam, & majorem explicationem punctorum aliquorum, prout comprobatur ex Transumpto primi illius Autographi, quod Philippus IV. secum habebat, ideoque ab incendio superfuit.* Extabat igitur, quo tempore Ximenius scribebat, exemplum Operis Philippo Regi traditum ante Autographi combustionem; nec enim aliter comparari potuisset cum Opere iterum exarato. Quumque ipse Rex, ejusque Successores, Ancillam Dei tanta veneratione prosequuti fuerint, credibile non est, hujusmodi exemplum, sive in Regia Bibliotheca S. Laurentii (in qua condita fuerunt Opera Sanctæ Theresiæ, ut refertur in citata Relatione illius Causæ ab Auditoribus Rotæ confecta *pag.* 270.), sive alibi, asservatum non esse. Hoc itaque exemplum si exquiratur; id quod omnino necesse est, haud difficile, ut putamus, invenietur. Eo autem reperto, si hujusmodi comparatio instituetur, qualem Ximenius se perfecisse asserit, judicium fieri poterit de asserta uniformitate, ac denique si additamenta, & explicationes, quas idem Ximenius innuit, examinabuntur, complures obscuritates ex his omnibus tolli poterunt, quæ hanc causam plus satis involvunt.

Comparatio quoque Operis secundo loco scripti cum copia primi combusti est facienda.

At dices, ex ejusmodi operationum serie majorem afferri moram progressui Causæ Beatificationis Ancillæ Dei, cujus expeditio tibi, tuisque Religiosis omnibus in Votis est, & pro qua Protector olim vester bonæ memoriæ Cardinalis de Aquaviva, nominibus etiam Hispaniarum Catholici, & utriusque Siciliæ Regum, demissas Nobis preces obtulerat. Verum animadvertendum hic est, in hujusmod causa nihil aliud hoc usque peractum fuisse, nisi quod post Processum ab Ordinario constructum, admissa est introductio ipsius causæ; approbata sententia super non cultu; & peculiaris auctoritate Apostolica Processus confectus ad excipiendas depositiones Testium, quorum vitæ abitus imminere timebatur, ut supra narravimus. Antequam vero deveniatur ad præcipuum proponendum dubium super Virtutibus, deindeque ad aliud super Miraculis, ex quibus nempe potissimum pendet optata Beatificationis conclusio; opus est, non quidem ex nova lege, quæ pro hac causa peculiariter statuta fuerit, sed ex veteribus, & generalibus legibus Congregationis Sacrorum Rituum, ut omnia, quæ extant, Opera ab Ancilla Dei conscripta, examini subjiciantur; Processus Apostolicus super fama Virtutum, & miraculorum in genere conficiatur; tum super ejus relevantia pronuncietur; alter deinde Processus Apostolicus in specie super virtutibus, & miraculis construatur, ac tam de Processu Ordinarii, quam de aliorum Apostolicorum validitate judicetur.

Non ideo nimia causa injicitur mora.

Pendente autem judicio super libro Mysticæ Civitatis Dei, nihil ex præmissis omnibus fieri posset,

re-

resistentibus Decretis Urbani VIII., quorum verba superius etiam allata, sic habent: *Nam si scripsisse constiterit, non prius est ad aliquem actum inquisitionis deveniendum, quam tales libri diligenter in Sacra Congregatione examinentur.* Nos tamen his minime obstantibus, de Apostolicæ auctoritatis, & liberalitatis plenitudine, atque etiam aliquibus Prædecessorum Nostrorum exemplis, quæ in citato Opere nostro *lib. 2. cap. 27.* retulimus, quamvis non adeo amplis, innixi; ea speciali gratia libenter indulgemus, ut licet nec de vero hujus libri Auctore, neque de ejus approbatione, quidquam adhuc statutum fuerit, nihilominus & ad examen aliorum Operum ejusdem Ancillæ Dei procedi valeat; &, consequutive ad novum Processum Apostolicum, judicium super fama ipsius virtutum, & Miraculorum in genere fieri possit; & alter etiam Processus Apostolicus super fama ipsius Virtutibus, ac Miraculis in specie conficiatur; & tam Processus Ordinarii, quam aliorum Apostolicorum validitas expendatur; animadversiones quoque super Virtutibus in specie a Promotore Fidei exponantur, eisque opportunæ Responsiones, si placet, a Postulatoribus comparentur; dummodo tamen ipsum dubium *super virtutibus in specie* in Congregatione Sacrorum Rituum non absolvatur, antequam judicium de omnibus Ancillæ Dei Operibus prolatum fuerit. Persuasum autem tibi esse volumus, Nos hac concessionis amplitudine, ultra servatos a Prædecessoribus Nostris fines longe progressos esse, propter piam affectionem, quam erga Ancillam Dei merito fovemus, teque etiam intelligere, dum præfatum Dubium de illius Virtutibus in specie, non nisi post ejusdem Operum approbationem absolvi volumus, magnam a Nobis utilitatem afferri illius Causæ, quæ scilicet ex ipsis Operibus, si approbata fuerint, majorem procul dubio splendorem accipiet.

Pont. indulget, ut interim ad examen aliorum Operum.

Et ad processum super fama Virtutum &c. procedi possit.

Quæ vero interim fieri permisimus, dum præfati Operis Revisio absolvitur, ea Nos quidem paucis verbis complexi sumus. Verum, ut eadem ad exitum perducantur, non parum temporis necessarium erit. Cujus temporis decursu si ea simul perficientur, quæ superius facienda indicavimus, ad approbationem Operis de Mystica Civitate Dei attinentia; profecto evidenter agnosces, non modicum compendium ipsi Beatificationis Causæ obvenisse ex eo, quod a Nobis, ut supra, statutum fuit.

Hoc eodem temporis decursu, hos ipsi omnem diligentiam adhibere non omittemus, ad hoc ut, si aliquando probatum fuerit, Mysticam Civitatem Dei a Venerabili Maria a Jesu vere compositam fuisse, tunc demum, vita comite, Judicium Nostrum proferre valeamus, an liber ipse *contineat errores contra Fidem, vel bonos mores, vel doctrinam aliquam novam, vel peregrinam, atque a communi sensu Ecclesiæ, & consuetudine alienam*, juxta relatum superius Urbani Prædecessoris Decretum. Quamobrem mandavimus etiam singulis Cardinalibus, atque Theologis peculiarem Congregationem a Nobis, ut supra, deputatam constituentibus, ut unusquisque suam hac de re sententiam scripto conceptam, suoque sigillo obsignatam in manus Nostras remittant; volentes omnia hujusmodi judicii capita in antecessum per Nosmetipsos debita maturitate, una cum Judiciis Academiarum Salmanticensis, Complutensis, Lovaniensis, ac Tolosanæ, pensare.

Post probationem circa identitatemprenominati Operis inquisitio super illius doctrina erit facienda.

Utque nihil Te lateat eorum, quæ ad sternendam hujusmodi Judicio viam interim examinare decrevimus, hoc primum tibi notum esse volumus, Magnam Nobis super opinionem fuisse, atque adeo esse de bonæ memoriæ Cardinalis de Aguirre, cujus familiari consuetudine, in juvenili ætate constituti, olim usi sumus; quemque non minori apud te existimatione esse arbitramur; neque putamus ab Alumnis vestri Ordinis recusatum iri Judicem in Causa Mysticæ Civitatis Dei, pro qua is pium suum studium tantopere declaravit. Eo vivente, Anno Domini MDCXCVI., prodiit Censura Facultatis Sorbonicæ in primam partem hujus Operis, quæ refertur *in Diario Sapientum Tom. 24. pag. 516.*, & inserta est per extensum *in Tom. III. Collectionis Judiciorum, Parisiis editæ anno 1736. pag. 160. & seqq.* Quæ sane censura quum præfato Cardinali magnopere displicuisset, ab eodem impugnata est peculiari Scripto, quod exhibitum non fuit. Idemque præterea scripsit Epistolam unam ad Galliarum Regem, & alteram ad Archiepiscopum Parisiensem; in hac vero, quæ data fuit die IV. Augusti Anno MDCXCIX., fassus est, propositiones in præfato libro a Sorbonica Facultate notatas, prout jacent in versione Gallica, qua usi sunt Parisienses Theologi, jure, meritoque damnatas fuisse; verumtamen hujusmodi versionem parum fidelem esse contendit. En verba Epistolæ relatæ in vestro Summario Præliminari §. *IV. num. 8. pag. 214. Nel di cui idioma*, de Gallica lingua loquitur, *così tradotte, ancor Io concorro in asserire, che sieno state giustamente censurate da cotesta Università.* Itaque Cardinalis de Aguirre censuram Sorbonæ approbat, versionem libri non approbat; Censuræ subscribit, relate ad versionem Gallicam, eamque censuram ideo rejicit, quod versionem illam minus fidelem existimat. Hæc autem versio non alia esse potest, quam quæ ex Hispanico idiomate in Gallicum facta est a Patre Croiset Ordinis Vestri Presbytero, quæque impressa fuit Massiliæ eodem Anno, quo prodiit in lucem Censura Sorbonicæ Facultatis. Atque hæc est illa versio, quæ in Summario Causæ tam magnis elogiis in Cælum tollitur. Cardinalis de Aguirre Hispanus Croisetum Gallum reprehendit, tamquam in Hispanico idiomate parum versatum. Si quis vero Traductoris Galli partes suscipiens, Cardinalem Hispanum, tamquam Gallicæ linguæ minus peritum reprehenderet, totum judicium in ancipiti hærere necesse esset. Quare, ut hujusmodi difficultatum involucra tollantur, Nostræ curæ erit aliquem invenire in utroque idiomate probe, pariterque versatum, cujus diligentia rei veritatem in claro positam tuto dijudicare possimus.

Censura Facultatis Parisiensis ejusque versio Gallicam Mysticæ Civitatis Dei.

Card. de Aguirre censuram approbat, versionem rejicit.

Versionis Fides examinanda.

Novimus præterea, non tibi ignoratum esse Opus *de Revelationibus, & Visionibus*, ab Eusebio Amort Canonico Regulari Lateranensi editum anno MDCCXXXIV., in quo præfata quidem Censura Parisiensis Facultatis reprobatur, sed aliæ, ac diversæ objectiones fiunt adversus Mysticam Civitatem Dei. Cui novo Censori fuse respondit doctus quidam Ordinis Vestri Professor Frater Didacus Gonzalez Matheo Hispanus, qui suas Responsiones Nobis dicatas superiori Anno MDCCXLVII. Matriti edidit, Nobisque transmisit. Harum quoque objectionum, & Responsionum examen fieri debet, & a Nobis, Deo adjuvante, fiet, antequam de Mystica Civitate Dei sententiam proferamus, quum nullam in hoc gravissimo judicio diligentiam supervacaneam fore judicemus.

Et objectiones Eusebii Amort.

Hæc erant, quæ tibi innotescere volebamus. Nunc ea, quæ in præfata Congregatione Particulari coram Nobis deliberata fuerunt, in summam colligendo, sequens Decretum, de ejusdem Congregationis consilio, atque unanimi sensu, edicimus; nempe: *Ex hactenus deductis non constare, prout oportet, in casu, & ad effectum, de quo agitur, quod opus inscriptum* Mistica Città di Dio, *sit Opus Venerabilis Servæ Dei Sororis Mariæ a Jesu de Agreda; ex gratia tamen speciali, Postulatoribus indulgeri, ut in Causa Beatificationis, & Canonizationis ejusdem ad ulteriora procedatur, ita tamen ut dubium super Virtutibus non absolvatur, nisi prævio iterato novo definitivo Decreto, aut a nobis, aut a Nostris Successoribus, præmissis, uti supra, respective præmittendis, edendo; in quo, vel statuatur, Opus prædictum non esse Servæ Dei, vel, constito esse Opus ejusdem, definiatur, nihil, vel in eo, vel in aliis Operibus ejusdem Ser. Dei, reperiri, quod sit contra Fidem, & bonos mores, vel quod sapiat doctrinam aliquam novam, & peregrinam, atque a communi sensu Ecclesiæ, & consuetudine alienam, juxta præscripta in Decretis Urbani VIII.* tibi, Dilecte Fili, universoque Ordini tibi commisso, Benevolentiæ Nostræ pignus, Apostolicam benedictionem impertimur.

Conclusio cum prolatione Decreti.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die decima sexta Januarii Millesimo septingentesimo quadragesimo octavo, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Dat. Pontific. Anno VIII. die 16. Januarii 1748.

Plu-

Plurima Capitulo Ecclesiæ Veronensis conceduntur privilegia, & opportune providetur, ut assistentes simul cum aliis canere, atque psallere non omittant.

Dilecto Filio Nostro Danieli Tituli S. Mariæ supra Minervam Presbytero S. R. Ecclesiæ Cardinali Delphino nuncupato, ex concessione, & dispensatione Apostolica Patriarchæ Aquilejensi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili Noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Proœmium. PRÆCLARA decora, insignia ornamenta, ac tot, tantaque privilegia, quibus a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, Imperatoribus, Regibus, Principibus, ac Ducibus Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Veronensis instructum, cumulatumque a priscis temporibus adhuc excellere perspicitur, ita nobis comperta, & explorata sunt, ut dum in minoribus constituti pro nostri muneris debito certam omnium Ecclesiarum, ac præsertim Cathedralium notitiam Nobis compararemus, prope in admirationem adduxerint.

Capitulum Veronense ab Episcopo immune. Illud potissimum animo versabatur, quod bon. memoriæ Rotaldus Episcopus Veronensis Anno DCCCXIII. abdicatam a se, suisque successoribus omnem in ipsum Capitulum jurisdictionem & auctoritatem sub tutela, & refugio Patriarchæ pro tempore existentis Aquilejensis, cujus suffraganeus etiam nunc est Episcopus Veronensis, ita reposuerit, ut liberum, & immune ab omni Veronensis Antistitis potestate, & jurisdictione sit, & habeatur.

Novis privilegiis decoratur. Quoniam autem Nobis supplex expostulasti, ut in insigne hujusmodi Capitulum Tibi, Tuisque Successoribus Patriarchis Aquilejensibus, ut præmittitur, subjectum novis Apostolicæ etiam nostræ benignitatis, auctoritatisque documentis ornare, & augere dignaremur; Nos sane, qui eximias, Pastoralesque virtutes tuas Pontificiis laudibus prosecuti, in amplissimum quoque S. R. E. Cardinalium Collegium cooptavimus, votis tuis hac in parte, quod nobis integrum est, obsecundare libenti animo gaudemus.

Palmulæ sive Buggiæ usus in Missis tribuitur. Itaque modernis, & pro tempore existentibus ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Veronensis Canonicis usum Scotulæ, sive palmulæ, vulgo Buggia, ad instar Episcoporum tam in Missis privatis, quam in solemnibus cum cantu, sive in eadem, sive aliis ipsius Civitatis, & Diœcesis Veronensis, atque aliarum etiam Diœcesum Ecclesiis in perpetuum concedimus, & elargimur.

Altare privilegiatum personale bis in Hebdomada ipsis conceditur. Præterea iisdem, ut præmittitur, Canonicis in perpetuum indulgemus, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium, quod ad quodcumque Altare bis in hebdomada quilibet eorum pro animabus Christifidelium, quæ a Deo in caritate conjunctæ ex hac vita migraverint, celebraverit, perinde iisdem suffragetur, atque ad altare Privilegiatum fuisset celebratum.

Item domesticum Oratorium in Villa Angiari dicta. Insuper spirituali consolationi singulorum ex iisdem modernis, & pro tempore existentibus Canonicis, quantum cum Domino possumus, benigne consulere volentes, cuilibet ipsorum, ad memorati Capituli Villam Angiari dictam, ut bonis, redditibus, proventibusque advigiletur, adeunti, & commoranti Apostolica auctoritate tribuimus, & impertimur facultatem celebrandi, sive celebrari faciendi Sacrosanctum Missæ Sacrificium in ædium ejusdem Villæ Oratoriis ad hoc decenter muro extructis, & ornatis, seu extruendis, & ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis, prius tamen ab Archipresbytero ejusdem Capituli visitandis, & approbandis, in cujuslibet Canonici, & sibi inservientium inibi famulorum præsentia ita, ut in diebus festis de præcepto ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia liberi, & immunes habeantur; salvis tamen juribus Parochialibus.

Usus non canendi in Choro inter privilegia recenseri nequit. Porro nolumus inter tot, tantaque privilegia eidem Capitulo, & Canonicis concessa numerandum

esse illud, quod, quemadmodum Tibi æque ac nobis notum est, antiqua traditione contra Sacrorum Canonum Sanctiones, ac nostram præsertim Constitutionem, cujus initium est: *Cum semper oblatas:* invectum ab ipsis Canonicis, non modo contenditur, sed etiam servatur, interessendi dumtaxat Choro, & cum ceteris Mansionariis, Capellanis, Acolythis, & Clericis canentibus, psallentibusque assistendi, numquam vero cum iisdem canendi, psallendive; etsi nonnullos eorumdem esse accepimus, qui aliter sentientes a conscientiæ angoribus agitantur ex eo quod ea propter se non fecisse fructus suos existiment.

Hortatur Patriarcham ut eum abusum evellat. Itaque a Te, Dilecte Fili Noster, poscimus, & flagitamus, ut non solum hujusmodi abusum, & corruptelam ab Ecclesiastica disciplina absonam, & Canonicis Ordinationibus, ac nostræ quoque Constitutioni contrariam penitus evellere, & eradicare adnitaris; verum etiam ipsos suaviter, fortiterque admoneas, & horteris, ut in posterum ea, qua decet, & tenentur, reverentia Choro intersint, assistantque, nec non pari pietate, attentione, ac vigilantia omnino canere, vel psallere cum ceteris studeant, & contendant.

Declaratur Canonicos non facere fructus suos, nisi in Choro psallant. Deinde iisdem edicas, & notum facias, Nos, quemadmodum per hasce nostras in forma Brevis literas Tibi declaramus, & injungimus, decernere, atque statuere, sicut in eadem Constitutione nostra innuimus, ipsos, suosque successores Canonicos Choro quidem interessentes, assistentesque, minime vero canentes, psallentesque nullo pacto ex præbendis, & distributionibus facere fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse, ac fore.

Facultas tribuitur Patriarchæ absolvendi eos, qui psallentes in hoc defecerunt. Verum cum iis, qui hac super re conscientiæ stimulis acti ad Te confugerint, benigne indulgentes, Tibi facultatem tribuimus, & impertimur, ut sive per Te ipsum, sive per alios a Te deputandos unusquisque Canonicus, qui se in canendo, psallendove in Choro cum aliis defecisse animadverterit (dummodo promittat se deinceps omnino curaturum, ut in Choro & præsens assistat, & cum aliis canat, psallatve) absolutionem a culpa, & ab omnibus fructibus indebite perceptis dispensationem obtinere possit, & valeat.

Neque aliter concessis privilegiis gaudere possunt. Ceterum volumus, & mandamus, ut nulli eorumdem Canonicorum, qui licet præsens in Choro assistat, tamen minime canat psallatve, suffragentur hujusmodi indulta, ac privilegia, quæ unicuique moderno, & pro tempore existenti Canonico ad tuorum meritorum intuitum per easdem præsentes literas concedimus, & elargimur.

Hortatur Patriarcham ut omne studium in hoc adhibeatur. Ceterum te, Dilecte Fili noster, rogamus, & in Domino hortamur, ut iisdem studiis, quibus Nos supplicationibus tuis inclinati, eosdem Canonicos novis Apostolicæ benignitatis, auctoritatisque Privilegiis auximus, nostris, tuisque rationibus Pastorum Principi Jesu Christo æterno Judici reddendis satisfaciendum cures; & abusu, & corruptela hujusmodi penitus sublata Divinum cultum per Divinæ Psalmodiæ cantum promovere, & augere satagas, ut non minus ipsi Canonici, quam nos ipsi invicem æternam mercedem a bonorum omnium largitore Deo consequi mereamur.

Interim cælestis præsidii auspicem, & studiosæ materiæ ad Tibi gratificandum voluntatis pignus esse cupimus Apostolicam benedictionem, quam Tibi, Dilecte Fili Noster, & iisdem Canonicis peramanter impertimur.

Dat. 19. Januarii 1748. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIX. Januarii MDCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Cajetanus Amatus.

De publico cultu, quem in Sancta Maria Majore quidam vellent Nicolao Papæ IV. asserere.

DISSERTATIO.

NICOLAUS Papa IV. fuit citra omnem controversiam inter Romanos Pontifices multa ornatus literatura, ut patet ex Bibliotheca Pontificia Ludovi-

dovici Jacobi a S. Carolo *lib. 5. verb. Nicolaus IV.* ubi & recensentur libri ab ipso compositi, & declaratur, quanta passim in æstimatione haberentur. Præterea singulari virtute insignitus fuit, ac pietate, non eo solum tempore, quo sedit in Pontificatu, sed tum etiam cum Ordinis Minorum Conventualium Alumnus S. Francisci Regulam intra Religiosa claustra profitebatur, & ad Ecclesiasticos honores evectus Cardinalitia dignitate fulgebat. Plurima illius in Cardinalatu merita enarrantur in *Historia generali Cardinalium typis Parisiensibus edita anno* 1640. *& Cardinali Richelio dicata*. Nemo tamen de illo cum laude scripsit perinde, ac S. Antoninus *in sua Histor. tit. 24. c. 9. §. 8. sub finem*, ubi refert primo, quantum ab acceptanda Cardinalitia dignitate ipse abhorruerit, deinde ea suscepta quam singularis fuerit exempli. Accedit Scriptor nuperrimus Gregorius Kolb, qui *in sua serie Romanorum Pontificum* agens de Nicolao IV. scriptum reliquit eum mortuum fuisse non minus ætate confectum, quam dolore; propterea quod Ptolemaidem Syriæ Urbem ab Ægyptiis tunc temporis expugnatam viderat, & Christianorum Principum ad bellum contra communes adversarios capessendum tarditatem expertus fuerat. Verum si quis abunde edoceri cupit de insignibus meritis hujus Pontificis, legat ejus vitam egregie conscriptam a Pagio *in Breviario Roman. Pontificum tom. 3.* præter id, quod summatim attingunt Sandinus in suo *de Romanis Pontificibus* Opusculo, & du Chesne *in Rom. Pontificum Historia tom. 2.* ubi testatur eum non sine magna sanctitatis opinione decessisse.

2. Nonnullos adversus eumdem Pontificem latratus ediderunt Scriptores quidam præsertim heterodoxi. Platina auctor Catholicus, sed maledicus, illum incusat, eo quod Gibellinis faverit contra Guelphos, studio partium abreptus; res in Summo Pontifice non toleranda. In Romanorum Pontificum Vitis, quas scripserunt Auctores heterodoxi Robertus Barns, & Joannes Baleus Angli, quasque Joannes Martinus Lidius edidit, palam de Nicolao IV. affirmatur, eum suo muneri frigide satisfecisse *nulla animarum habita ratione*. Chronici Belgici Auctor, & Krantzius narrant eumdem in mortis articulo constitutum decrevisse, ut nullus posthac eligeretur in Pontificem, nisi ex hac Religione S. Francisci; atque adeo Cardinales omnes tunc viventes deposuisse, totidem in eorum locum Religiosis S. Francisci subrogatis. Denique in Pontificum Historia typis edita Hagæ Comitum *anno* 1733. *tom. 3.* crudelitatis crimine, & furoris accusatur hic Pontifex, eo quod jusserit a sepulchro extrahi, atque in cinerem redigi cadavera Joannis de Beziers Minorum Conventualium Alumni, & Petri Cassiodori, quibus culpæ imputabatur, quod viventes illum appellassent Antichristum.

3. Sed hæc omnia meræ fabulæ sunt, atque infames calumniæ, quas validis argumentis confutavit Aubery *in Floribus Historiæ Sacri Collegii Cardinalium*, ubi Hieronymi Card. Asculani, deinde Nicolai IV. Vitam describit, *n. 7.* & Gretserus *in Defensione Romanorum Pontificum*, aut in *Examine Mysterii Plessæani Cap. 56. Tom. 7. Operum nuperrimæ Editionis*; quoad notam vero adhæsionis nimiæ erga Gibellinorum factiones, easdem fabulas confutavit Muratorius *in Annalibus Italiæ ad annum* 1292.

4. Posita igitur tanquam certa Nicolai IV. pietate, positis rebus summa cum gloria gestis ab egregio Pontifice prælaudato, agendum restat nunc de illius publico cultu, quem in Basilica S. Mariæ Majoris ei volunt asserere tanquam de Beato, aut Sancto; quamvis nullibi aut Beatificationis Breve, aut Bulla Canonizationis inveniatur; quemadmodum in ceteris similiter servis Dei factum est.

5. Primo intuitu assumptum hujusmodi videtur Nobis valde difficile; tum quia de Nicolao IV. ne verbum quidem factum est eo tempore, quo Clemens X. Pont. Maximi jussu diligenter perquisitum fuit, quinam Pontifices publico cultu gauderent, ad eum finem ut eorum Officia cum Lectionibus propriis Ecclesiæ Lateranensi concederentur; quorum deinde extensio ad duas pariter Ecclesias, nempe S. Petri in Vaticano, & S. Mariæ Majoris facta est: tum etiam quia de eodem Nicolao IV. mentionem nullam facit P. Arturus, qui Martyrologium Franciscanum composuit, atque in illo eorum nomina adnotavit, quotquot ex suo Ordine in aliqua sanctitatis opinione decesserant: tum demum quia, ut nihil dicamus de inscriptionibus, quæ olim legebantur in S. Mariæ Majoris, at modo amplius non extant, sed tamen afferuntur a Ciacconio in hujus Pontificis Vita, in quibus si non sit mentio de illius sanctitate, & cultu, hoc ideo evenisse dicendum est, quia in signum grati animi ob ipsius erga illam Basilicam merita tum factæ fuerunt, cum ipse adhuc in vivis degeret; tota vis fundamenti revocatur ad inscriptionem illam, quam Sixtus V. *anno* 1564. posuit tribus, scilicet ferme seculis post Nicolai IV. mortem, quæ accidit *anno* 1292. Verum in ea Inscriptione, qua præcipitur, ut transferantur Nicolai ossa ab humili loco, ubi ipso jubente fuerant collocata, de ejusdem Sanctitate, & cultu ne minimum quidem sermonem facit Sixtus, qui ait se ad id moveri, *in Ordinem, & Patriam pietate*, ab ingenita nempe erga Ordinem suum dilectione, cujus alumnus fuerat Nicolaus; & in communis Patriæ laudem, cum ambo oriundi essent ex Piceno.

6. Jam vero nihil amplius requiritur, ut pia circa publicum Nicolai IV. in S. Maria Majore cultum opinio infirmetur. Sed ut id magis elucescat, ad examen revocemus fundamenta, quibus innititur præfati cultus assertio. Primum fundamentum consistit in eo, quod cum ceteris Sanctorum Reliquiis, quæ in Armario asservantur Canonicalis Ædiculæ, ante quod binæ continuo lampades ardent accensæ, hujus quoque Pontificis Reliquiæ inventæ sunt. Ibi enim repertum est involucrum quoddam ex charta, cum inscriptione, *de Papa Nicolò Discepolo de S. Francesco*; & in eodem involucro duo præterea continebantur minora involucra, pariter ex charta, quorum unum distinguebatur hoc titulo, *delle Vestimenta di Santo Nicolò Papa, che fu discepolo de Santo Francesco*, alterum vero inscriptum habebat, *le Ossa de Santo Nicolò Papa, che fu discepolo de Santo Francesco*.

7. Cum tamen ignoretur, quis auctor inscriptiones prædictas apposuerit, nullum propterea deduci potest ex iis validum ad hanc tuendam opinionem argumentum; quod videtur apte confirmari posse exemplo. Ponamus enim, quod in Urbe Roma ante fores alicujus Ecclesiæ infans aliquis expositus reperiatur cum schedula collo appensa, in qua affirmetur illum baptizatum fuisse. In eo casu; si vel Scripturæ auctor ignoretur, vel quamvis probe cognitus adhuc non omni fide dignus habeatur, infans ille censeri non debet tanquam vere baptizatus, adeoque baptizandus est sub conditione, ut Nos ipsi ostendimus *in nostris institutionibus*; *& in tractatu de Synodo lib. 7. cap. 6. n. 5.* Porro si ad comprobandum Baptismum non est testimonium sufficiens schedula sola cum inscriptione, cujus auctor ignoretur, qui fieri poterit, ut Sanctitas, aut publicus cultus comprobetur per Scripturam tantummodo, cujus sit Auctor incertus? Neque juvat reponere, quod locus ipse, ubi inventæ sunt schedulæ simul cum Reliquiis, efficit, ne dubitationi locus relinquatur. Si enim hoc sufficeret ad id, quod intenditur, sequeretur, quod statim ac Reliquiæ in aliqua Theca publicæ venerationi fuissent semel expositæ, nullus amplius superesset locus eas indidem extrahendi, aut tanquam dubias, incertasque, aut tanquam Reliquias Servorum Dei, quorum publicus cultus non esset satis probatus: & tamen rem omnino aliter se habere ostendunt tum exquisitæ indagines, quas tertio quoque die Episcopi, dum sui officii partes implere volunt, circa suarum Ecclesiarum Reliquias exercent; tum facinus celeberrimum Alexandri VII. qui ob supra memoratas rationes extraxit Reliquias plurimas, quæ in prægrandi Lipsanotheca S. Joannis in Laterano fuerant per tot secula, easque in loco clauso remotas seposuit, ut a publico cultu subtraherentur.

8. Si Nicolai IV. Reliquiæ in aliquo Altari Basilicæ S. Mariæ Majoris fuissent expositæ, si eædem peculiariter, & separatim ostensæ fuissent statis diebus, quibus Reliquiæ ceteræ populo ostenduntur;

si

si hæc ceremonia suum habuisset principium centum annos ante Urbani VIII. decreta, atque ita per nunquam interruptum exercitium usque ad hæc tempora continuasset, sufficiens profecto argumentum esset ad publicum cultum asserendum; cui sententiæ nos ipsi subscripsimus in nostro Opere *de Canonizat. Sanctor. lib. 2. cap. 12. n. 10.* Sed cum nulla ex dictis circumstantiis casui nostro conveniat, atque id unice habeatur, quod Nicolai IV. Reliquiæ in communi theca clausæ repertæ sint, & charta involutæ, quas fortasse eo in loco reposuit, qui easdem collegit tum cum facta est a veteri Sarcophago Translatio ad novum sepulchrum sub Sixti V. Pontificato, quin usque hodie aliud quidquam aut dictum, aut factum, aut excogitatum præterea sit, non videtur Nobis, quomodo percipi queat, publici cultus argumentum hinc posse desumi.

9. Alterum fundamentum consistit in publico Elogio, quod omnium oculis apparet sculptum in ejus monumento recenter extructo, in quo post egregias ejusdem Pontificis virtutes commemoratas leguntur hæc verba: *magna sanctitatis opinione obiit*. Sed neque hujusmodi verba publicum cultum ullatenus significare, ostenditur exemplo. Obiit Romæ cum magna Sanctitatis fama P. Franciscus Scudederus Tertii Ordinis S. Francisci. Statim post mortem ære incisa, atque impressa exiit in lucem ejus imago, sub qua positum erat Elogium, in eoque singulis ejus virtutibus enarratis adjecta fuerant hæc verba: *eximiam sanctimoniæ famam consecutus obiit*. Magna subito mota fuit controversia, utrum ea verba publicum cultum importarent, adeoque delenda essent utpote repugnantia Urbani VIII. decretis. Auctor Elogii fuerat ejusdem ordinis Religiosus quidam F. Bonaventura a S. Elia appellatus, qui eruditam composuit dissertationem ab insignioribus Romæ Theologis approbatam, qua contendit magnum interesse discrimen inter id, quod defunctus quis vocetur *asseriturve sanctus*, & istud illud, quod prædicetur *sanctimoniæ fama conspicuus*. Primum quidem ab Urbani decretis esse interdictum, utpote cultum publicum importans, quia personam immediate attingit; alterum vero neque vetitum esse, ait, neque cultum publicum importare, quia scilicet *ad puram opinionem refertur, & extrinsecam denominationem*. Hæc omnia narrantur in nostro supracitato Opere *de Canonizat. Sanctor. l. 2. c. 12. n. 4.* ubi singula recensentur eorum nomina, qui eam Dissertationem approbarunt; aliaque ibidem similia exempla adducuntur, atque illud in primis Alexandri Papæ VII. qui Elogium sepulchrale composuit pro Maria filia Ducis Sabaudiæ, quæ in Templo S. Francisci Civitatis Assisiensis sepulta est, in quo Elogio hæc verba inseruit Auctor Sanctissimus: *magnam sanctimoniæ famam consecuta obiit*.

10. Tertium fundamentum in eo versatur, quod Jacobus Card. Columna S. Mariæ Majoris Archipresbyter, ibidem Cappellam in Pontificis Nicolai IV. honorem extruxit, additis Cappellaniis, quarum Cappellani Missas in ejusdem Pontificis honorem celebrarent. Sed totum corruet fundamentum, si facti series paulisper considerabitur. Res igitur ita se habuit. Nicolaus Papa IV. Sacellum in Basilica S. Mariæ Majoris construi fecerat S. Joanni dedicatum. Post illius obitum Jacobus Card. Columna Sacellum alterum similiter ibidem construi fecit, illud non proprio nomine, sed a Nicolao Papa IV. denominans, ob insignem sui erga illum Pontificem benevolentiam, observantiam, & venerationem. Testamenti vero exequendi Curatores, cum ad Cappellanias erigendas devenissent, quas Jacobus Card. instituerat, aliis primum, alterum Sacellum aliis assignantes, singulis Cappellanis in sua Missarum onera imposuerunt in suffragium Pontificis Nicolai IV., aliorumque Fidelium, quod utique stare cum publico cultu non potest.

11. Quod Pontifex Nicolaus IV. Sacellum in honorem S. Joannis construi fecerit in S. Mariæ Majoris Basilica, desumitur a Bulla quadam Bonifacii VIII. in qua de Nicolao IV. sic legitur: *In Cappella S. Joannis, quam in dicta Ecclesia construi fecerat*. Quod Jacobus Card. Columna deinde propriis sumptibus Sacellum alterum ædificaverit in sui erga Nicolaum IV. amoris, observantiæ, & venerationis argumentum, legitur in publico instrumento, quod ejus Testamentarii Curatores confecerant, his verbis: *In Capella Sanctæ memoriæ quondam Sanctissimi Patris, & Domini Nicolai Papæ IV. ab eodem Cardinali pariter erecta ob reverentiam & in memoriam præfati Sanctissimi Patris*. Quod denique a Cappellanis applicandum esset Sacrificium pro anima defuncti Pontificis Nicolai IV., eruitur ex supra memorata Bonifacii VIII. Bulla, cujus verba sunt, quæ sequuntur, *pro anima felicis recordationis Nicolai Papæ IV. Prædecessoris nostri, cujus Corpus in eadem Basilica requiescit, & aliorum Fidelium remedio peccatorum, Missarum solemnia, & alia divina officia celebraret*.

12. Neque valet hoc loco ingenium acuere, atque affirmare, quod ea verba: *ob reverentiam, & in memoriam præfati Sanctissimi Patris*, importent aliquid amplius, quam meram benevolentiam, atque observantiam; aut quod Sacellum intelligi debeat dedicatum esse in honorem Nicolai IV. cum Sanctus cui dedicabatur, nullus nominetur expresse, aut demum quod in ipso Missarum onere supra memorato Cappellanis imposito appareat discrimen manifestum inter id, quod Nicolaum IV. respicit, atque id, quod reliquas defunctorum animas attingit. Etenim primo loco non subsistit, quod verba illa: *ob reverentiam, & in memoriam præfati Sanctissimi Patris* aliquid amplius importent, quam benevolentiam, obsequium, & venerationem. Paucis ab hinc annis bonæ memoriæ Cardinalis Petra erexit in S. Petri Basilica Mausoleum felicis recordationis Innocentio Papæ XII. Si quis autem affirmaret, hoc eam fecisse *ob reverentiam, & in memoriam præfati Sanctissimi Patris*, quod verum est, affirmaret, sed non ideo putandum foret, quasi assereret publicum Innocentio cultum præstari voluisse. Quod vero secundo loco dicebatur, Sacellum intelligi debere constructum in honorem Nicolai IV. eo quia nullius Sancti, aut Beati nomen designetur, in cujus honorem erigebatur idem Sacellum, non subsistit; tum quia Paulus de Angelis in libro, in quo agit de S. Mariæ Majoris veteri situ, locum, ubi erat Sacellum erectum a Jacobo Card. Columna, assignat Altari S. Benedicti, ex quo fit verisimile huic Sancto Abbati fuisse dedicatum ipsum Sacellum; tum quia ad refellendam opinionem, quod in honorem Nicolai IV. dedicatum esset Sacellum, sufficit affirmare, quod nulla de hac re facta sit mentio in ejusdem erectione, nullaque extet memoria, quod olim aut in altari, aut in Sacello haberetur effigies prædicti Pontificis. Neque demum subsistit assertum discrimen inter animam Nicolai IV., & reliquas defunctorum animas, ubi de Missarum applicatione sermo est. Negari enim nequit, quod in Bonifacii VIII. Bulla verba hæc continentur: *pro anima felicis recordationis Nicolai Papæ IV.* quæ suffragium denotant, quod certe cum publico cultu stare non potest.

13. Quod si aliter ratiocinari velimus, aditus aperiretur duobus absurdis, & quidem gravissimis. Primum in eo versatur, quod Jacobo Card. Columnæ gravissimum crimen imputaretur, cujusmodi illud esset, si in S. Mariæ Majoris Basilica Sacellum ædificasset, Missamque concessisset in honorem Nicolai IV. neque Beatificati, neque Canonizati: tanti momenti res, ut olim neque ab ipsis Romanis Pontificibus fieret in honorem alicujus Beati, nisi adjecta clausula: *dummodo per hoc canonizatus non censeatur*, uti ostendimus in nostro Opere *de Canonizatione*: & quidem pius Cardinalis hoc patrasset in Urbe Roma, haud multo post Alexandri III. Constitutiones, quibus Beatificandi, & Canonizandi jus Romano Pontifici privative reservabatur, ut pariter in eodem Opere ostendimus. Alterum vero absurdum ad hoc reducitur, ut etiamsi per impossibile demonstrari possit per actus æquivocos publici cultus, Nicolaum IV. veneratum fuisse veluti Sanctum centenario annorum spatio ante Urbani VIII. decreta continuato usque ad præsens tempus, quod etiam hodie admittitur tamquam validus titulus publici cultus, dummodo non sit disjunctum a comprobata Sanctitatis, & miraculorum opinione, factum nihilominus, quod Jacobo Card. Columnæ tribuitur, satis esset ad cultum jam introductum removendum: quoniam in hac

materia æque proceditur, ac fit in præscriptionibus centenariis, & immemorabilibus, quæ, si titulus infectus producatur, penitus extinguuntur.

14. Quartum denique fundamentum consistit in denominationibus *Beatissimi*, & *Sanctissimi*, quibus etiam post obitum multis in scripturis condecoratur Nicolaus IV. Quis enim ignorat in Summis Pontificibus plus significare titulum *Beati*, quam *Beatissimi*, atque in pluribus circumstantiis plus esse, si quis appelletur *Sanctus*, quam si appellaretur *Sanctissimus*? Titulus enim *Beati* ad excellentiam virtutum refertur, titulus autem *Beatissimi* ad dignitatem; & in aliquibus circumstantiis titulus *Sancti* ad prædictas virtutes potest referri, non item appellatio *Sanctissimi*, quæ semper respicit dignitatem; atque adeo licet in quodam Actu Capitulari multa, ut asserunt, maturitate confecto, hæc de Nicolao IV. verba occurrant, *felicis*, & *Sanctæ recordationis*, ita ut adjunctum *felicis* ad dignitatem, *sanctæ* vero adjunctum ad Sanctitatem, & publicum cultum referri videatur, juvat tamen hoc loco animadvertere, Basilicarum Romæ existentium Capitula amplissimum habere titulorum Vocabularium, quotiescumque de Pontificibus verba faciunt, qui bene de illis meriti sunt. Cum in minoribus Basilicæ Vaticanæ Canonici essemus, ibique per annos 14. Capituli Tabulario Præfecti munere fungeremur, monumentum vidimus, quod in dicto Tabulario asservatur, in quo sic legitur: *Decima Kalendas Septembris anno Domini* 1280. *obiit Sanctissimæ memoriæ Divus Nicolaus Papa III.* Quæ verba subsequitur prolixa gratiarum descriptio, & beneficiorum, quibus eamdem Basilicam insigniter cumulavit Nicolaus prædictus. Similiter in particulari Benefactorum ejusdem Basilicæ Martyrologio extant hæc verba: *Decimo septimo Kalendas Junii, eodem die facta est Translatio Corporis Sanctæ memoriæ D. Nicolai Papæ III. in monumento novo*. Neque tamen hinc quisquam vel conjecturis in suspicionem venit, Nicolaum III. publico cultu in Basilica Vaticana gaudere: quin immo ad hunc usque diem Mense Novembri Anniversarium fit pro ejus animæ suffragio. Nobis satis erit, attulisse exemplum Nicolai III. adducta siquidem monumenta inveniuntur etiam typis vulgata ab Oldoino *in Additionibus ad Ciacconium in Vita Nicolai III.* cetera vero ejusdem generis monumenta prætermittimus, quæ proferri possent, si in Archivio Capituli veteres chartæ evolverentur.

15. Concludimus igitur, nullum habere publicum cultum Nicolai IV. in S. M. Majore; adeoque nostra auctoritate interposita decernimus, prædictas Nicolai IV. Reliquias claudi debere, & Sigillo muniri in aliqua Capsula, quæ servetur quidem in Reliquiarum armario, sed ita servetur, ut Reliquiæ prædictæ neque populo ostendantur, neque ullo umquam tempore publicæ venerationi exponantur, Capsulæ autem inscribatur, extare in Archivio documenta ad eam spectantia; in eodemque Archivio collocetur diligens, ac pia Canonici Strozzi Dissertatio simul cum animadversionibus hisce nostris, quas Nos ipsi dictavimus, & manu propria subscriptas sigillo nostro munivimus, hac die 24. Octobris anni 1750.

Loco † Sigilli

BENEDICTUS PAPA XIV.

Presbyteris Latini Ritus in Russia Polonica degentibus permittitur in Ruthenorum Unitorum Ecclesiis, deficientibus lapideis tabulis de more consecratis; & calicibus aureis, sive argenteis, Missarum Sacrificia super eorumdem Ruthenorum antimensiis, & cum calicibus e stanno celebrare.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

IMPOSITO Nobis Apostolicæ servitutis officio convenit, universæ Christi Familiæ toto Terrarum Orbe diffusæ necessitatibus animum diligenter intendere, maxime vero fidelium Ecclesiæ Ministrorum in remotis Regionibus pro animarum salute laborantium preces benigne suscipere, eorumque opportuno levamini, ac spirituali consolationi, etiam per congruæ dispositionis Indulta, prout rerum, locorum, & temporum rationes, ac veneranda majorum nostrorum exempla suadent, consulere, & providere.

Sane dudum dilecti Filii Presbyteri Latini Ritus Apostolicas Missiones per Russiam Polonicam exercentes Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negociis Propagandæ Fidei præpositorum exponi curarunt, quod quum in tota Russia, ac potissimum in Montibus Pokuciæ, in Polonia, in vastissimis Ukrainæ Regionibus, & in universa fere Russia Alba nuncupata, frequentes quidem sint Ruthenorum Unitorum Ecclesiæ; rarissimæ vero Latini Ritus; cumque ipsi pro Missarum celebratione Lapideas Sacratas Tabulas, & Calices aureos, vel argenteos, per longa, & difficilia itinera, sine gravi incommodo, & sine periculo confringendi easdem Tabulas, & Calices, secum deferre non valeant; idcirco nisi facultas ipsis concedatur celebrandi Sacrosanctum Missæ Sacrificium super dictorum Ruthenorum Antimensiis, ut vocant, & Calices eorumdem e stanno, ut moris apud illos, consecratos adhibendi, necesse ipsis erit ab ejusdem Sacrificii celebratione plerumque abstinere; multique præterea Latini Ritus Fideles, qui ab Ecclesiis ejusdem Ritus longe degunt, Sacerdotis Latini præsentia, a quo sacra Mysteria peragantur, eisque distribuantur, omnino carebunt; prout reipsa sæpe, gravissimo cum animarum detrimento, per plures annos carere dignoscuntur: Proindeque demissis precibus postularunt, ut sibi concederetur hujusmodi facultas, Sacrosanctum nempe Missæ Sacrificium, etiam sine Lapidea Sacrata Tabula, celebrandi super Antimensiis Ruthenorum & stanneos Calices adhibendi.

Cum autem hujusmodi Missionariorum preces, a dicta Cardinalium Congregatione Propagandæ Fidei negociis præposita, alterius Congregationis Venerabilium quoque Fratrum nostrorum ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium adversus Hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, examini, & judicio, de more, remissæ fuerint: & consequenter de iis actum fuerit in Consessu coram Nobis habito die 22. Januar. elapsi Anni 1750., Nos tunc, ut ad generale Rescriptum super his edendum mature procederemus, quidquid olim in hac materia ab hac eadem Apostolica Sede decretum fuisset, in unum colligi jussimus; ac præterea Venerabili Fratri Episcopo Zenopolitano, qui tunc opportune in curia præsens aderat, quique, & antea diu in Polonici Regni ditionibus, atque in Ecclesiasticis Catholicorum Latinorum, Græcorumque Unitorum negociis Apostolicæ Sedi egregiam operam navando, versatus fuerat; & deinde ad easdem Regiones, & ad eosdem labores laudabiliter prosequendos, non obstantibus itinerum difficultatibus, expensisque, redire non dubitavit; mandavimus, ut Nos super expositorum veritate instructos redderet, suamque Nobis sententiam super hujusmodi postulatis, tam voce, quam scripto aperiret. Nunc vero, exhibitis Nobis præcedentium Decretorum monumentis, iisque per Nos accurate perpensis, atque omnibus, quæ in dictis precibus narrata fuerant, præfati Episcopi Zenopolitani testimonio comprobatis; quum is præterea Nobis retulerit, complures esse in iis regionibus Presbyteros Latini Ritus, & quidem Deum timentes, qui in supradictis necessitatibus constituti, minime dubitant super Antimensiis Græcorum Unitorum absque Lapidea Tabula Missarum Sacra facere, ejusdemque consilium fuerit, quod sicuti Græcorum Unitorum Presbyteri, quoties id rerum opportunitas suadet, propriis Antimensiis relictis, Missarum Sacrificia offerunt super Lapideis Latinorum Tabulis, ita ad constitutam feliciter unionem magis, magisque stabiliendam non parum conduceret, Latinis Presbyteris liberam facultatem concedere, ut ubi necessitas sic exigere dignoscatur, deficiente nimirum La-

Lapidea Altaris Tabula, Missas celebrare valeant super eorumdem Græcorum Unitorum Antimensiis; his omnibus attente perpensis, in hanc denique sententiam devenimus; ut prædictis Sacerdotibus Latini ritus in Russia Polonica degentibus permitteremus in Ruthenorum Unitorum Ecclesiis, deficientibus Lapideis Tabulis de more consecratis, & Calicibus aureis, sive argenteis, Missarum sacrificia super eorumdem Ruthenorum Antimensiis, & cum Calicibus e stanno, qui apud illos in usu sunt, sine ullo conscientiæ scrupulo, celebrare.

Porro, quod attinet ad Calices stanneos, omissis iis, quæ repeti possent ex priorum Ecclesiæ seculorum memoria, quum scilicet & lignei, & vitrei Calices in Altaris ministerio adhibebantur; ut ostensum a Nobis in tractatu *de Sacrificio Missæ*, nullum generale Decretum proferri potest, quo vel hodie vetitum sit hujusmodi Calicibus e stanno confectis in Missa uti, si Ecclesiarum, vel sacerdotum paupertas tanta sit, ut majoris pretii vasa comparari nequeant: Quin imo in *Can. ut Calix de Consecrat. distinct.* 1., hæc expressa verba leguntur: *Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum Calicem habeat*: Et quidem ad comprobandam, asserendamque hujusmodi Ecclesiæ Indulgentiam plura leguntur apud S. Thomam, aliosque Scriptores de hoc disciplinæ capite agentes.

Sect. 1. § 26. & seq. Latinæ Editionis Patavinæ.

3. part. qu. 83. art. 3. ad sextum.

Quod vero spectat ad alteram optati Indulti partem, satis quidem constat in Ecclesia Latina nequaquam celebrari posse incruentum Missæ sacrificium, nisi super Altari, quod vel totum rite consecratum fuit, vel saltem superimpositum habeat consegratum Lapidem, qui *Tabula Altaris* nuncupatur: qua etiam de re egimus in dicto Tractatu *de Sacrificio Missæ*. In Græca autem Ecclesia hujusmodi Sacrati Lapides minime sunt in usu: Sed ibi a pluribus jam seculis in more positum est, ut ubi Altare solemni consecratione totum dedicatum non fuerit, loco Lapideæ hujusmodi Tabulæ, super Altaris Mensa aptetur Linteum quoddam Episcopali benedictione consecratum, in cujus angulis Sanctorum Reliquiæ reconditæ sunt, quodque vocatur *Antimension*, & super ipso Sacra Mysteria conficiantur; ut apud auctores de rebus Liturgicis tractantes videre licet.

Quart. ad Rubricas Missalis p. 2. tit. 1. sect. 1. dub. 1. §. Col. Pasqualig. de Sacrificio Novæ Legis t. 2. quæst. 764. & qu. 765. Bissi Hierurgia Sacra in verb. Calix §. 2. tit. sect. 1. §. 2. & seqq.

Quum vero nunquam Ecclesiæ Latinæ mens fuerit, ut Græcorum Ritus destrueret, quin potius eorum semper conservationi, quantum fas esset, nec non eorumdem apud Græcos fideles observantiæ prospexerit; numquam proinde Missarum celebrationem, quæ super hujusmodi Antimensiis a Græcis Catholicis fit, improbavit; sed eam, & quidem non in partibus Orientis dumtaxat, verum etiam inter Italo-Græcos, permitti expresse declaravit; ut videre licet tum in Instructione per fel. rec. Prædecessorem nostrum Clementem Papam VIII. edita, tum in nostra Constitutione, quæ incipit *Etsi Pastoralis*.

Goar. in notis ad Euchol. Græcor. pag. 521. Venetæ Editionis. Christianus Lupus in Synodo General. & Provincial. in dissert. de S. Leonis IX. actis c. 13. Bruxellen. Editionis par. 5.

Quum vero in iis Regionibus; in quibus Italo-Græci sunt, Latini quoque frequentes habitent, atque ibidem tam unius, quam alterius Ritus Ecclesiæ adsint; ita ut absque ullo impedimento, & sine gravi incommodo unusquisque Presbyter proprii Ritus Ecclesiam adire valeat; nulla sane causa est, ob quam Latinis eorum partium Presbyteris permitti debeat, contra constantem Ecclesiæ Latinæ disciplinam, sine Sacrata Altaris Lapidea Tabula Missas celebrare, easque super Græcorum Antimensiis offerre: quod ipsis proinde in citata nostra Constitutione vetitum fuit.

Renaudot. in Collectione Liturgiar. Oriental. tom. I. pag. 181. Edit. Parisien. Magri in notitia vocabulor. Ecclesiastic. in verb. Antimensia. Card. Bona Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 20. §. 2. cumque Comment. Robert. Sala to. 2. pag. 70. num. 4. Taurinen. Editionis. Constit. 57. Bullar. nostr. §. 6. n. 17. tom. I. Eadem §. n. 19.

Sed aliter se res habet, ubi de Regionibus agitur, in quibus Latini Presbyteri ab Ecclesiis Latini Ritus longe degentes, quum Sacratas Lapideas Tabulas per longa itinera sine gravi incommodo, & sine periculo eas confringendi, secum deferre nequeant, vel Missæ celebrationem penitus omittere, & sic Latinos Fideles sine sacrificio proprii Ritus, & sine Mysteriorum participatione relinquere, vel eam super Græcorum Antimensiis peragere compelluntur. In hujusmodi rerum circumstantiis, Apostolicæ Sedis provida indulgentia jamdudum enituit; quum scilicet anno MDCII. ad supplicationem tunc existentis Episcopi Vilnensis, prædictæ Cardinalium Inquisitorum Generalium Congregationi hac de re exhibitam, ipso etiam Prædecessore Nostro Clemente Papa VIII. approbante, rescriptum fuit: *Sacerdotes Rutheni non Schismatici in Ecclesiis Catholicorum Ritus Latini, Altaribus, Calicibus, & Vestibus Sacris eorumdem Catholicorum uti, & Missam celebrare possint in casu necessitatis, ac etiam solum devotionis causa, dummodo Ritu Rutheno celebrent, & e contra Sacerdotes Ritus Latini in Ecclesiis Ruthenorum non Schismaticorum, Altaribus, & Calicibus, ac Vestibus Sacris uti, & Missam celebrare valeant, Ritu tamen Latino: Et prædicta serventur secluso omni scandalo, & de licentia Prælatorum, & Rectorum ipsarum Ecclesiarum.*

Nos igitur præmissæ necessitatis intuitu, atque etiam hujusmodi Decreti consideratione adducti, præsentium literarum tenore, atque ex certa scientia, & Apostolicæ auctoritatis plenitudine, salvis præfati Clementis VIII., Nostrisque super Ritibus Italo-Græcorum editis Constitutionibus, & Ordinationibus, non modo relatum superius decretum approbamus, & confirmamus; verum etiam præfatis omnibus Missionariis, aliisque Sacerdotibus Latinis in tota Russia Polonica nunc, & pro tempore commorantibus, ut ipsi, & eorum quilibet, in Ecclesiis Ruthenorum Unitorum, deficientibus Lapideis Altarium Tabulis rite consecratis, super sacris eorumdem Ruthenorum Antimensiis Missarum Sacrificia celebrare, atque etiam, ut supra dictum est, in hujusmodi celebratione eorumdem Calicibus stanneis uti libere, & licite possint, & valeant, concedimus, & indulgemus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, seu Generalium, aut Provincialium, vel Synodorum Conciliorum contrariis Constitutionibus, & Ordinationibus, sive Locorum, Personarum, aut Ordinum Statutis, Ritibus, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Volumus autem, sicut in præmisso Decreto expresse cautum reperitur, ut dicti Missionarii, & Sacerdotes Latini, etiam quum eos, vigore præsentis concessionis, super Ruthenorum Unitorum Antimensiis Missam celebrare contigerit, Latino semper Ritu eamdem celebrare teneantur; firma nimirum, & in suo robore permanente Apostolica Constitutione a fel. rec. Prædecessore quoque Nostro S. Pio Papa V. edita, quæ incipit; *Providentia Romani Pontificis*: per quam omnes facultates, & Indulta, tam Græcis, ut Missas, & Divina Officia Latino Ritu celebrare possent, quam etiam Latinis concessa, ut eadem Græco Ritu peragere valerent, revocata, atque perpetuo sublata fuerunt; Quamque Nos etiam earumdem præsentium tenore, quatenus opus sit, dictaque auctoritate, confirmamus, & innovamus.

Constit. 91. to. 3. Bullar. Rom. Edit. Luxemburgen.

Volumus insuper, ut iidem præsenti Indulto celebrandi super Græcorum Antimensiis, in prædictorum Ruthenorum Ecclesiis dumtaxat, (quemadmodum etiam in præmisso Decreto legitur) uti, & gaudere possint; Si vero eosdem in aliqua Latina Ecclesia, seu in domesticis Latinorum Oratoriis, quæ forsan auctoritate Apostolica in hujusmodi Latinorum privatis Domibus, cum licentia celebrari faciendi, quæ adhuc vigeat, erecta fuerint, Sacrosanctum Sacrificium offerre contigerit, illud vel super Altari consecrato, vel super Lapidea pariter consecrata Tabula, quæ etiam *Altare portatile* appellatur, non autem super Antimensiis hujusmodi celebrare omnino debeant.

Volumus denique, ut præsentium Literarum exempla, etiam impressa, publici Notarii subscriptione, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ Sigillo munita, eamdemque omnino, ac ipsæ præsentes, ubicumque opus fuerit, fidem, & auctoritatem obtineant.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostræ Concessionis, Indulti, Statuti, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Domini MDCCLI. iv. Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno XI.

CA-

CAPUT XIII.

De Concessione Officii, & Missæ.

QUANQUAM ad Apostolicam Sedem vix evecti illud curandum nobis proposueramus, ut e Breviario Romano errores omnes, si qui forte essent, expungerentur, pluresque doctissimos viros successu temporis, ut in id operis incumberent, delegerimus; gravioribus tamen distenti curis rem, quam moliebamur, nondum conficere potuimus. Interea nullum pro universali Ecclesia Officium, aut Missam de novo concedendum esse duximus, etsi pluribus particularibus locis, prout rerum circumstantiæ, ac populorum pietas postulabant, concessiones hujusmodi non denegamus. Aliqua ex his decretis superius, alia data occasione, retulimus; nonnulla vero, quæ ex multis selegimus, servata temporis ratione, hic referemus.

Concessio novarum Lectionum, & Collectæ pro officio Sancti Braulionis a Benedicto XIV. facta Capitulo Cæsaraugustano, totique Hispaniæ Nationi.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Cæsaraugustano

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Pater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

GRATÆ Nobis, ac jucundæ acciderunt literæ tuæ, 18. Superioris Februarii datæ; libenterque accepimus oblatam in illis occasionem provehendi Dei gloriam in recolenda Sanctorum memoria, declarandique erga te, tuumque Capitulum animum nostrum præcipuo aliquo paternæ caritatis documento. Adjunctas itaque tuis iisdem literis lectiones Sancti Braulionis, in secundo nocturno legendas, sedulo expendimus: Illasque etsi probata, ac vetusta ut plurimum fulciant monumenta, quæ peculiarem ea in re adhibitam diligentiam testantur; Nonnulla tamen deprehendimus, quæ utpote innixa recentium Scriptorum auctoritate, severiori trutina digna cognovimus. In id operam, studiumque nostrum libenter contulimus: Ita tamen severitatem ipsam examinis apte temperavimus, ut in iis rebus, quibus nec auctoritas, nec monumenta adversantur, locum habeant æquiores illæ critices regulæ, quas Nos ipsi alias proposuimur, & quas Te præ oculis habuisse tuis Nobis literis significasti. Hac porro discretione, ac lenitate judicii legimus in *Tertia lectione*, Sacras hujus Antistitis exuvias monitu S. Valerii fuisse primitus repertas: Itidem *in Secunda* legimus admirabile signum, quo ejus electio in Episcopum præmonstrata fuit: ac demum alio loco legimus Sancto huic Præsuli attribui Canones Concilii Toletani: imo respectu eorumdem Canonum, cum opportune Nobis occurrerit Sancti Hildephonsi testimonium, qui loquens de hoc Episcopo *cap. 12. de Vir. Illustr.* hæc habet: *Clarus & iste habitus Canonibus, & quibusdam Opusculis*: plane intelleximus, verba hujusmodi referri oportere ad Canones Conciliares, cum nulli alii sint; & gavisi jure sumus, hac nostra interpretatione, rationi undequaque consona validius firmari monumentum historiæ, grande decus Sancto Antistiti allaturum.

Duæ tamen res sunt, a quibus palam dissentimus. Prima est: Sanctum Isidorum elegisse Sanctum Braulionem in creditæ sibi Ecclesiæ Archidiaconum. Geminæ adhuc extant Epistolæ, quas Isidorus ad Braulionem dedit Archidiaconi munus obeuntem. In prima licet inscriptus sit Titulus, *Charissime Fili*, titulus sane amoris, & benevolentiæ, in illud tempus apte rejiciendus, quo Braulio sub Isidori disciplina versabatur; attamen in fine memoratæ Epistolæ unitur præmissa longe dispar titulus, nempe *Dilectissime mi Domine*, qui præfert notam quamdam obsequii, ac specimen reverentiæ ab Episcopo subjecto sibi Archidiacono ceteroquin non exhibendæ.

Altera vero Epistola nequidem *Filio* inscribitur, *sed in Christo Carissimo, & dilectissimo Fratri Braulioni Archidiacono*. Et quod magis mirere, ex utraque Epistola non obscure conjicitur eundem Archidiaconum in diversa prorsus Ecclesia resedisse. Id assequimur ex verbis in prima Epistola legendis: *Quia non valeo te perfrui oculis carnis, perfruar saltem alloquiis, ut ipsa mihi sit consolatio incolumem literis cognoscere, quem cupio videre*: Comprobatur quoque idipsum ex vehementi desiderio, quo tenebatur Isidorus Archidiaconum alloquendi; habendique interdum in suo complexu, ut in alteris declaravit literis. Ipsa est enim secunda inter absentes consolatio, ut si non præsens, qui diligitur, pro eo literæ amplexentur ... *Inspiret tibi Deus, ut merear adhuc in vita videre te; & quem mæstificasti abeundo, aliquando iterum lætifices te præstando*. Id genus scribendi profecto suadet, absentiam Archidiaconi non esse referendam voluntariæ delegationi factæ ab Isidoro, a quo pro libito revocari potuisset; sed eumdem Archidiaconum resedisse in altera Ecclesia, diversa prorsus ab Hispalensi, ex vi legis Canonicæ distincte Archidiaconis impositæ. Potissime vero, ut ea ferebant tempora, Archidiaconus fungebatur etiam munere Vicarii Episcopalis, sibique impositam habebat *dispensationem totius causæ, & curæ Ecclesiasticæ*, ut nos edocet Epistola Sancti Leonis Magni, scripta Imperatori Marciano. Hanc porro disciplinam sartam, tectamque viguisse tempore Sancti Isidori, ipsius palam declarant literæ, scriptæ Ludifrido Episcopo Cordubensi. Imo sequentibus etiam seculis illa sancte custodita fuit, quemadmodum compertum Tibi esse non ambigimus ex historiæ Ecclesiasticæ monumentis, ex Canonistarum scriptis, & demum ex ipso decretalium volumine. Nobis potius arridet sententia Bollandistarum, opinantium Archidiaconale officium Sancto Braulioni demandatum fuisse a Fratre suo Joanne Cæsaraugustanæ itidem Sedis Antistite. Verum quanto afficimur desiderio recensendi hanc quoque honoris prærogativam inter alia istius Ecclesiæ decora; tanta retrahimur formidine rem asserendi, certis destitutam argumentis, & conjecturis solummodo innixam.

Sed majoris longe momenti, & severiori subjiciendum examini illud est, quod legitur in *prima*, & denuo narratur in *secunda* lectione, Sanctum hunc Præsulem, conjunctis cum sancto Isidoro studiis, plurimum laborasse in Hispaniis in revocanda Gothorum gente ab erroribus Arianæ Hæresis, vel quia de hac hæresi actum fuerit in Quarto Concilio Toletano, cui Isidorus, & Braulio interfuere; vel quia idem Braulio in prima ex suis literis Isidoro scriptis enixe petierit Acta Synodi ab ipso Hispali coactæ, in qua convicta fuit hæretica Sintharii pravitas. Huic, inquam, asserto graves sese objiciunt difficultates.

Dubitari enim non potest, Gothos ab anno usque 589. Arianam hæresim ejurasse in tertio Concilio Toletano. Veritati consonum videri potest, vigiles Hispaniarum Episcopos omnes cumulate implevisse pastoralis Officii partes nunc docendo, nunc prædicando, in spirituale illius Gentis solatium, in unitatem Ecclesiæ recens traductæ. Assentiri tamen non possumus, quod post hanc solemnem conversionem, ac hæresim semel ab universa gente ejuratam, pestis illa nedum perseveraverit, sed luctuosam adeo perniciem intulerit, ut solummodo in Quarto Concilio Toletano eam S. Braulio prorsus eliminaverit, quemadmodum nulla fretus aucto-

auctoritate, sed marte suo affirmat Truxillus in notis ad secundam lectionem: *Tunc penitus extirpavit hæresim Arianam, quæ per eam regionem grassabatur:* Hæc sane assertio turpem inureret maculam præclaro nomini eximii, ac pii Regis Recaredi, ac solemni illius professioni factæ in eodem Quarto Concilio Toletano. *Adest enim* (ita fidem suam Rex adstruit Concilio) *adest omnis gens Gothorum inclyta, quæ licet suorum pravitate Doctorum a Fide hactenus, vel unitate Ecclesiæ fuerit Catholicæ segregata, toto nunc tamen mecum assensu concordans, ejus Ecclesiæ communioni participatur, quæ diversarum gentium multitudinem materno sinu suscipit... Hæc enim Gothorum sola conversio ad cumulum nostræ mercedis accessit; quinimo & Suevorum gentis infinita multitudo, quam præsidio cælesti nostro regno subjecimus, alieno licet in hæresim deductam vitio, nostro tamen ad veritatis originem studio revocavimus.* Una itaque fuit animorum consensio in totius Hispaniæ populis ad rejiciendos errores; nec luculentius desiderari potuit testimonium sinceræ fidei, qua Natio illa in sinum Ecclesiæ Matris confugit. Tunc hæresis Arianæ semina radicitus convelli visa sunt, nec in posterum hæc amplius cura anxios, sollicitosque detinuit Patres, una cum Braulione præsentes Quarto, Quinto, & Sexto Conciliis Nationalibus.

Præterea quarta Synodus convocata fuit ad consulendum tantummodo disciplinæ, ut liquet ex actis ejusdem: *Dum studio amoris Christi ex diligentia Religiosissimi Sisenandi Regis apud Toletanam Urbem convenissemus, ut ejus imperiis, atque jussis communis a Nobis agitaretur quæstio de quibusdam Ecclesiæ disciplinis.* Ita finem, & mentem suam Patres declaravere; & in hunc quoque scopum collimarunt decreta successive ab iisdem Patribus prolata.

Nec ullum ingerere potest dubium Professio Fidei eidem quarto Concilio præmissa. Eam quippe præmisere Patres, non ad detergendam in populo Arianæ labis maculam, purgandamque gentem ab alicujus hæresis adhuc vigentis suspicione. Cum enim Synodus Generalis omnium Ecclesiarum Hispaniæ tunc celebraretur, consultissime observarunt pie institutum Œcumenicis Conciliis morem, quemadmodum explicarunt his verbis in fine exordii legendis: *Et quoniam generale Concilium agimus, oportet primo nostræ vocis sermonem de Deo esse, ut post professionem Fidei sequentia operis nostri voto, quasi supra fundamentum firmissimum, disponantur.* Idque facilius percipitur ex altera Synodo triennio post, nempe anno *636.* celebrata. Quin particularis, non generalis fuit, & viginti duo solum convenerant Episcopi *apud Urbem Toletanam diversis ex provinciis Hispaniæ*; idcirco omissa fuit professio Fidei, cujus mos in Œcumenicis Conciliis tantum invaluerat.

Contra vero in sexto Concilio Toletano, quod instar *Quarti* fuit generale, iterata fuit professio Fidei non ad convellenda alicujus hæresis prava germina, sed ad servandam salutarem Generalium Conciliorum consuetudinem, quemadmodum Patres ante acta ipsius Concilii testati sunt. Præterea Professio Fidei, emissa in Quarto, & Sexto Concilio Toletano, nedum exhibet Fidem Nicænam contra Arium, sed etiam Constantinopolitanam contra Macedonium, Ephesinam contra Nestorium, & demum Chalcedonensem contra Eutychetem. Ex quo conjicere jure debemus, Professionem illam tantum prodiisse ex generalium Conciliorum usu, non ex necessitate proterendæ alicujus hæresis, qua in Hispaniis populorum religio contaminaretur.

Minusque officit, quod in Synodo Hispalensi S. Isidorus rejecerit errores Sintuarii, Sanctusque Braulio petierit postmodum acta confutationis. Constat enim, Hæreticum Sintuarium non fuisse Asseclam Arrii, sed Eutychetis, & in numero illorum, qui Acephali nuncupabantur. Erat quoque Sintuarius alienigena, & ab Oriente, ubi ortum habuit, in Hispaniam trajecerat inscrutabili quodam Divinæ misericordiæ consilio, ut ibi cælesti afflatus aura ex errorum tenebris in lumen Catholicæ veritatis prosiliret, ut liquet ex actis dictæ Synodi *cap.* 12. Quare cum in Quarto, Quinto, & Sexto Toletano Concilio, quibus Sanctus Braulio interfuit, sollicitudo Patrum versata non fuerit in ulla hæresi profliganda; sed summa rerum steterit in solius disciplinæ moderamine, ut clare demonstrant Acta Conciliaria a Fraternitate tua pro libito percurrenda: Tuto nemo poterit asserere, Sanctum Episcopum operam, & laborem suum impense contulisse ad perficiendam Gothorum conversionem, & ad hæresis Arianæ semina stirpius eradicanda.

Cum itaque res caligine antiquitatis offusa digna non sit, cui Apostolica accedat Auctoritas, vindicandæ, asserendæque veritatis semper studiosa; Cumque contra nullum inferri debeat dispendium fidei (quæcumque illa sit) Scriptorum id asserentium; quod certe contingeret, si præmissæ lectiones, expuncta ab illis hac narratione, castigatiori prælo jussu nostro committerentur; Nos idcirco quamcumque vel odii, vel erroris occasionem refugientes, adductique desiderio declarandi aliquo paterni Amoris monumento voluntatem nostram erga Te, tuum Capitulum, & inclytam Nationem Hispanam de Religione egregie promeritam, novas lectiones, & consonam illis Collectam calamo nostro exaravimus, ac stylum adhibuimus, quo in aliis officiis Ecclesia utitur, ita tamen, ut Sancti Episcopi illustribus, ac præclare gestis nihil subtrahi laudis videatur. Dum itaque confidimus, libenti te animo hoc nostræ diligentiæ, & Amoris pignus excepturum, Fraternitati Tuæ Apostolicam Benedictionem impertimur.

IN FESTO S. BRAULIONIS EPISCOPI, ET CONFESSORIS.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

BRaulius Episcopus Cæsaraugustanus, quanta futurus esset Sanctitate, & doctrina, egregium ab ineunte ætate specimen dedit: ab optimis enim Parentibus pie, & liberaliter institutus adeo in excolenda virtute brevi profecit, ut morum gravitate, & castimonia virum jam perfectum exhiberet. Literis vero informandus Sancto Isidoro Episcopo Hispalensi traditus, id primum est assecutus, ut ab eo carissimi Filii loco haberetur, ac tanti deinceps illum fecerit, ut libros ei suos ad emendandum, atque ordinandum commendaret. Aucta in dies Virtutis ejus opinione, ad Archidiaconatus gradum provectus est. Quod ille munus, ut Episcopi vices agentem decebat, strenue adeo, ac sapienter implevit, ut Sacerdotio dignus omnibus videretur.

Lectio V.

Itaque defuncto Joanne Fratre, qui ex Monachorum Patre Cæsaraugustæ factus Episcopus literis, ac pietate claruerat, mira totius Cleri, populique divinitus excitati consensione in ejus locum suffectus est. Primas inter suscepti ministerii curas servandæ, tuendæque Fidei, ac disciplinæ eximium fuit illi studium, & cura: Concilio Toletano quarto, a quo in posterum celebrandorum forma constituta est, inter illustriores Patres adfuit una cum Isidoro Magistro olim suo egregie adlaborans, cui deinde superstes in Toletano quinto, & sexto præ ceteris Patrum fulsit, dignior que est habitus, cui Actionum, & Canonum digerendorum cura mandaretur. Quare cum aliis operibus, tum sacris Canonibus clarus a Sancto Ildephonso celebratus est.

Lectio VI.

Ecclesiæ vero suæ non minus exemplo profuit, quam doctrina: sui nampe severus exactor, & corpus jugi maceratione subegit, & a vitiis animum prorsus continuit, elatione præsertim, quam tanta humilitate fregit, ut cum summa virtutum laude apud omnes clareret, bellorum tamen, & famis, & pestilentiæ, aliasque suorum temporum calamitates veluti pœnas sibi omnium nequissimo debitas profiteretur: inter gravissimas curas, & angustias semper invictus, numquam a Divini Verbi prædicatione, a labore numquam cessavit. Difficillimis quoque temporibus vetus templum Sanctorum olim Massarum nuncupatum a fundamentis restituit. Tandem senio confectus, & magnis in Ecclesiam meritis plenus migravit in Cælum, cum sedisset annos fere viginti. Ejus corpus post sexcentos ab obitu annos, Sancto Valerio Episcopo indicante repertum in Basilica Sanctæ Mariæ, quam de columna vocant, ad Aram maximam translatum magna populi religione servatur, & colitur.

Oratio.

ECclesiam tuam, Domine, perpetuis tuere præsidiis, quam Beati Braulii Confessoris tui, atque Pontificis munire voluisti zelo, eruditione, & exemplis. Per Dominum &c.

Con-

Concessio recitandi Officium, & Missam de S. Joanne Damasceno sub ritu duplici minori die 21. Maji pro omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus Portugalliæ Regi etiam extra Lusitaniam subjectis.

Die 21. Maji.

IN FESTO S. JOANNIS DAMASCENI CONFESSORIS.

Oratio.

DEus, qui, restituta B. Joanni Confessori tuo mirabiliter dextera, Imaginum Sacrarum cultum in Ecclesia conservasti; ejus meritis, & precibus indulge, ut quorum Imagines in Terris veneramur, eorum aspectu dignemur in Cælis. Per Dominum &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

JOannes Damasci (unde illi cognomen Damasceni factum) nobili genere natus, patrem habuit Christi fide, ac piis moribus illustrem, neque Christianis modo, in quos e captivitate redimendos, alendosque largas opes consarebat; verum ipsis etiam Saracenis jam tum Damascum obtinentibus (apud quos publicis negotiis tota ditione administrandis præerat) carissimum. Eumdem, quem patrem, puer animam sortitus bonam aliquot jam annis habebat & Magistrum; cum a Saracenis piraticam agentibus Damascum captivus inter alios Cosmas Monachus defertur, vir humanis, divinisque literis doctissimus. Huic e barbarorum vinculis erepto bonis artibus, ac moribus instruendus adolescens traditur; qui, ut vivido erat ingenio, doctrinæque omnis capaci æque, ac tenaci, brevi sic omnia perdidicit, ut magister, nihil ultra jam habens quod doceret, missione, seu laboris præmio, impetrata, solutus, ac liber ad Lauram S. Sabbæ convolarit illuc & ipsum deinde Discipulum expectans.

Lectio V.

INterim pater Joannis moritur, relictumque filium patre ipso meliorem videns Saracenorum Princeps, invitum licet, ejus præfectura, mox & primi Consiliarii dignitate ornat. Quo tempore, cum Isauricus in sacras Imagines, earumque cultores impie sæviret, ejus furorem nequaquam timuit Joannes, sed calamo, veluti ense, pugnans, hæresi late grassanti se fortiter opposuit. Quod ubi Leo deprehendit, dolo, cum vi non posset, agendum ratus, eum apud Saracenos insimulat, quasi de prodenda Damasco secum per litteras, utique confictas, agitantem; Quo factum, ut dextera illi manus barbari Principis jussu amputaretur. Affuit tamen prompta innocentiæ vindex Deipara Virgo; ante cujus Imaginem dum suam, ejusque causam non tam vocibus, quam lacrymis ageret, Joannes obdormiscens, ab ea sibi visus est de manu, ad pie pro Sacris Imaginibus decertandum, reddita moneri. Quam cum evigilans, non alio quam stillantis cruoris glutine, sui iterum conjunctam brachio conspexisset, servis manumissis, & quibus affluebat opibus in pauperes large distributis; pauper ipse, ac solus Hierosolymam ad loca Christi vestigiis consecrata pie veneranda peregrinatus, inde in Lauram secessit cum Cosma magistro suo vitam illic monasticam acturus.

Lectio VI.

IN eo Monasterio, cum tanti Discipuli magister esse doctissimus quisque senum recusaret, unus quidam aliis simplicior, sed & austerior, curam, quam illi defugerant, suscepit; sub cujus disciplina Joannes, cæca præsertim obedientia, magnanimaque sui abjectione, eo Christianæ virtutis, ac sapientiæ progressus est, ut ab eo, qui præciperet, numquam causas quæsierit præcepti quantumvis ardui, aut insoliti; abjectiora domi munia sibi semper concupierit; foris autem aliquando vili centone indutus sportas, quas texuerat, humeris impositas, Damascum, ubi antea vicem Principis egisset, attulerit, duplo plus solito (sic enim senior jusserat) vendendas; vulgi forensis risus, ac ludibria large sibi scilicet empturus. Donec, magistro a Deipara per visum admonito, jussus est sapiens scientiam suam non amplius abscondere; sed tamquam imbres eloquia mittere sapientiæ: quod ille scriptis deinceps libris luculenter fecit; magno sane fidei Orthodoxæ bono, hæresis autem damno, ac dolore. Quo velut aculeo compuncti Principes Iconomachi, variis relegatum, aut carceribus inclusum afflixere. Sed Copronymus etiam clavium Ecclesiæ potestatem stolide sibi arrogans, quotannis in absentem anathema, brutum veluti fulmen, jacere non dubitavit. Ille autem a Patriarcha Hierosolymitano Presbyter rite ordinatus, bonum ubique certamen certans, bonamque semper confessus confessionem, in bona etiam senectute mortuus est: vir plane divinus, Deoque plenus a S. Stephano juniore Monacho, & martyre merito appellatus.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam. 6. 6.

IN illo tempore factum est & in alio Sabbato, ut intraret Jesus in Synagogam, ut doceret; & erat ibi homo, & manus ejus dextera erat arida. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi Episcopi. *Serm. 32.*

Lectio VII.

IN hoc homine omnium hominum imago figuratur, in hoc geritur cura cunctorum, in hoc universorum sanitas diu exspectata reparatur. Arueras enim manus hominis magis stupore Fidei, quam siccitate nervorum, plus culpa conscientiæ, quam debilitate carnali. Antiqua nimis ista erat, & quæ in ipso mundi principio contigerat ægritudo: nec arte hominis, aut beneficio poterat hæc curari, quæ Dei fuerat indignatione contracta; tetigerat vetita, inconcessa præsumpserat, cum se ad arborem sciendi bonum, malumque porrexerat, auctore indigebat, non qui malagma imponeret, sed qui posset illatam relaxare sententiam, & ignoscendo resolvere, quod religaverat indignando.

Lectio VIII.

IN hoc homine nostræ tantum geritur umbra sanitatis; perfecta autem salus nobis reservatur in Christo: quia tunc ariditas nostræ manus miseranda dissolvitur, cum cruore perfunditur Dominicæ passionis, cum in illo vitali ligno crucis extenditur, cum carpit fructuosam de dolore virtutem, cum totam arborem salutis amplectitur, cum clavis Domini corpus affigitur, quo nunquam ad arborem concupiscentiæ, & aridæ redeat voluptatis. Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium; professor debilitatis propriæ, supernæ pietatis exactor, testis divinæ virtutis, Judaicæ incredulitatis assertor surge in medium: ut quos non compungit virtus tanta signorum, quos non opera tantæ salutis inclinant; vel debilitatis tantæ miseratio constringat, & mitiget.

Lectio IX.

DIxit homini: Extende manum tuam, & extendit, & restituta est manus illius. Extende manum tuam: jussione solvitur, quæ fuerat jussione convicta. Extende manum tuam. Agnovit pœna judicem, opus Deum, indulgentia prodidit conditorem. Orate Fratres, ut sola Synagoga tali debilitate fulcetur, nec sit in Ecclesia, cujus manum arefaciat cupiditas, contrahat avaritia, rapina debilitet, tenacitas ægrotam constringat; sed si acciderit id ipsum, audiat Dominum, & cito eam in opera pietatis extendat, relaxet, & in misericordia, in eleemosynis porrigat: Sanari nescit, qui nescit pauperi fœnerari.

Die 21. Maji.

IN FESTO S. JOANNIS DAMASCENI CONFESSORIS.

Introitus. *Psalm. 72. 24.*

TEnuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Alleluja. *Psalm. id.* Quam bonus Israel Deus * his, qui recto sunt corde. Gloria. Tenuisti.

Oratio.

DEus, qui, restituta B. Joanni Confessori tuo mirabiliter dextera, Sacrarum Imaginum cultum in Ecclesia conservasti; ejus meritis, & precibus indulge, ut quorum Imagines colimus in terris, eorum aspectu dignemur in cælis. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Sapientiæ. 10. 10.

JUstum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum, honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius. In fraude circumvenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi, ut vinceret, & sciret, quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam adversus eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit, qui maculaverant illum, & dedit illi claritatem æternam. Hæc populum justum, & semen sine querela liberavit a nationibus, quæ illum deprimebant. Intravit in animam servi Dei, & stetit contra reges horrendos in portentis, & signis. Et reddidit justis mercedem laborum suorum.

Alleluja, Alleluja. *1. Reg. 25.* Dominus salvavit manum tuam tibi; quia prælia Domini tu præliaris, alleluja.

℣. *Psal. 143.* Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Alleluja.

Si Festum transferatur post Pentecosten.

Graduale. *Psalm. 17. 33.* Deus, Deus, qui præcinxisti me virtute, & posuisti immaculatam vitam meam.

℣. Qui doces manus meas ad prælium: & posuisti ut arcum æreum brachia mea, & dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me, alleluja, alleluja.

℣. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: confringam illos, nec poterunt stare; cadent subtus pedes meos. Alleluja.

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam. *6. 6.*

IN illo tempore factum est & in alio Sabbato, ut intraret Jesus in Synagogam, & doceret. Et erat ibi ho-

mo, & manus ejus dextere erat arida. Observabant autem Scribæ, & Pharisæi, si in Sabbeto curaret, ut invenirent, unde accusarent eum. Ipse vero sciebat cogitationes eorum. Et ait ad illos Jesus: Interrogo vos, si licet Sabbatis bene facere, an male? animam salvam facere, an perdere? Et circumspectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus ejus, ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebentur ad invicem, quidnam facerent Jesu.

Offertorium. Job 14. 7. Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami ejus pullulant. Alleluja.

Secreta.

UT quæ tibi, Domine, offerimus dona, tuo sint digna conspectu, B. Joannis, & Sanctorum, quos ejus opera expositos in templis colimus, pia suffragatio conspiret. Per Dominum.

Communio. Psalm. 36. 17.

BRachia peccatorum conterentur, confirmat autem justos Dominus. Alleluja.

Postcommunio.

SUmpta nos, quæsumus, Domine, dona cælestibus armis tueantur, & B. J. Patrocinia circumdent Sanctorum unanimi suffragio cumulata, quorum Imagines evicis in Ecclesia venerandas. Per Dominum.

DECRETUM.

PORTUGALLIEN.

SUprascriptum *Officium proprium cum Missa de S. Joanne Damasceno Confessore Sanctissimus Dom. Noster BENEDICTUS Papa XIV. ad pias preces Serenissimi Domini Joannis V. Regis Portugalliæ, ubi magna erga eumdem Sanctum viget populi devotio, approbavit, & ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus eidem Regi etiam extra Lusitaniam subjectis, qui ad horas Canonicas tenentur, quotannis die 21. Maji (cum sexta ejusdem mensis, qua in Romano Martyrologio notatur, aliæque dies subsequentes aliis festis impediantur) sub ritu duplici minori recitari benigne concessit. Hac die 22. Septembris 1742.*

F. J. A. Card. Guedagni Pro-Præf.

Loco ✠ Sigilli.

T. Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius.

Concessio Officii S. Barbaræ V. & M. sub Ritu duplici I. Classis pro Monialibus S. Joannis Torcellanæ Diœcesis.

Dilectis in Christo Filiabus Abbatissæ, & Monialibus Monasterii S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ Torcellanæ Civitatis, vel Diœcesis Ordinis S. Benedicti.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilectæ in Christo Filiæ salutem.

SUpplicem libellum, quem dudum Dilectus Filius Hieronymus Lombardus Presbyter Societatis Jesu Nobis vestro nomine porrexit, ea paterna benignitate excepimus, quæ & vestris religiosis virtutibus, & nostris erga vos Pontificiis Studiis responderet. In ipso autem demissæ preces continebantur, ut nimirum, quoniam Sacra pignore Sanctæ Barbaræ Virginis, ac Martyris Constantinopoli olim translata in Monasterii vestri Ecclesia fuisse reposita, & adhuc requiescere tradiderunt graves rerum Veneterum Historici, atque eam præcipuam Patronem colitis, & veneramini, Officium proprium, ut dicitur, ejusdem Sanctæ Barbaræ vobis recitandum Apostolica Auctoritate indulgeremus. Nos autem perspectum habentes, quibus Acta ejusdem Sanctæ Virginis, & Martyris obnoxie difficultatibus reperiantur, per Nos ipsi, ut vestris piis votis obsecundaremus, illa expendimus, atque ea Lectionibus, quæ in aliquibus Ecclesiis recitantur, eas tandem delegimus, quæ Capitulo, & Canonicis Patriarchalis Basilicæ nostræ Lateranensis multis ab hinc annis, a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum maturo examine comprobatæ quotannis usui sunt. Probe vero edocti Monasticum Institutum vestrum, tribus illis pro secundo Nocturno Lectionibus laudatæ Basilicæ Lateranensis quartam addidimus, quæ Octava in Ordine Divini Officii, Translationem Corporis ipsius Sanctæ Barbaræ Dioscori filiæ ad vestram Sancti Joannis Apostoli, & Evangelistæ Ecclesiam complectitur. Porro multa sunt gravium Auctorum, ut præfati sumus, testimonia, quæ nos ad Octavam hanc Lectionem exponentem historiam Translationis hujusmodi adornandam adduxerunt. In primis Fantinus Dandalus Episcopus Patavinus, Andreas Dandalus in Manuscripto Chronico, atque etiam judicium hac super re a b. m. Joanne Baptista Angucchia meritissimo nostro Bononiensi Cive interpositum, dum Venetiis Apostolicum Nuntium ageret, præter cetera quoque documenta in Historia dictæ Translationis Corporis Sanctæ Barbaræ primum Nicomedia Constantinopolim, deinde hinc Venetias ad Ducalem Ecclesiam, tum tandem ad memoratam Ecclesiam vestram comprehensa a Fortunato Olmo Veneto Abbate Sanctæ Mariæ de Pero, ac Monacho S. Georgii Majoris, quæ omnia perlegimus. Propriam itidem Orationem in nonnullis locis recitari solitam adjecimus, in qua quidem pia admodum explicatur celebris traditio de præstantissimo patrocinio, ac præsidio, quod ipsa Virgo, ac Martyr pro Christifidelibus suo cultui mancipatis suscipit, & potissimum affert, ne viam universæ carnis sine ultimis Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis, ac præsertim Sacrosancti Corporis Jesu Christi Viatico ingrediantur. Officium hanc hujusmodi est tenoris, qui sequitur.

Die 4. Decembris.

OFFICIUM IN FESTO S. BARBARÆ VIRG. ET MARTYR.

Duplex I. Classis.

Pro monialibus Monasterii Sancti Joannis Evangelistæ Torcellanæ Diœcesis.

Oratio.

INtercessio, quæsumus Domine, Beatæ Barbaræ Virginis, & Martyris tuæ ab omni Nos adversitate protegat, ut per ejus interventum gloriosissimum Sacrosancti Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi Sacramentum ante diem exitus nostri per veram pœnitentiam, & puram confessionem percipere mereamur. Qui tecum vivit, & regnat.

Lectio V.

BArbara Virgo Nicomediensis Dioscoris nobilis, sed superstitiosi hominis filia, per ea quæ visibilia facta sunt, ad invisibilia, divina opitulante gratia, facile pervenit. Quapropter soli Deo, rebusque Divinis vacare cœpit. Eam Pater aspecte formæ venustiori nitentem a quocumque virorum occursu tutari cupiens, turri inclusit, ubi pia Virgo meditationibus, & precibus addicta soli Deo, quem sibi in sponsum delegerat, placere studebat. Oblata a Patre pluries Nobilium connubia fortiter spravit; Pater vero per sui absentiam filiæ animum posse facilius emolliri confidens, jussit primo balneum extrui, ne quid ei deesset ad commoditatum, deinde peregre in exteras regiones profectus est.

℟. Propter veritatem.

Lectio VI.

ABsente patre, jussit Barbara duabus fenestris, quæ in turri erant, tertiam addi in honorem Divinæ Trinitatis, labiumque balnei Sacrosanctæ Crucis signo muniri; quod ubi rediens Dioscorus inspexit, audita novitatis causa, adeo in filiam excanduit, ut stricto ense eam appetens, parum abfuerit, quin eam dire confoderet: sed præsto adfuit Deus: fugienti Barbaræ saxum ingens se patefaciens, viam aperuit, per quam montis fastigium petera, & in specu latera potuit; sed paulo post, cum a nequissimo Genitore reperta fuisset, ejus latera pedibus, dorsumque pugnis immaniter peranssit, & crinibus per loca aspera, difficilesque vias raptatam Marciano Præsidi puniendam tradidit.

℟. Dilexisti justitiem.

Lectio VII.

ITaque ab ipso omnibus modis, sed incassum tentata, nudam nervis cædi, & inflicta vulnera testulis confricari, deinde in carcerem trahi præcipit; ubi immensa luce circumdatus ei Christus apparens, mirifice confortatam in passionum tolerantia confirmavit; quod animadvertens Juliana Matrona ad Fidem conversa, ejusdem palmæ particeps effecta est. Barbaræ demum ferreis unguibus membra laniantur, facibus letere incenduntur, & malleolis caput contunditur; quibus in cruciatibus consortem solabatur, & hortabatur, ut ad finem usque constanter certaret. Præcisis tandem utrique uberibus, nudæ per loca publica tractæ, capite plectuntur, filiæque cervicem ipse sceleftissimus Pater humanitatis expers propriis manibus amputavit; cujus fere crudelitas non diu inulta remansit; nam statim eo ipso in loco fulmine percussus interiit.

℟. Afferentur Regi.

Lectio VIII.

COrpus hujus Beatissimæ Virginis Justinus Imperator Nicomedia auferens, Constantinopolim primum transportavit. Illud idem, cum progressu temporis ab Imperatoribus Constantino, & Basilio impetrassent Veneti, Constantinopoli deductum in Sancti Marci Basilica fuit deinde solemniter collocatum. Postremo, & ultimo supplicantibus Torcellano Episcopo, ejusque Sorore Abbatissa, ad Ecclesiam Monialium Sancti Joannis Evangelistæ Torcellanæ Diœcesis anno salutis millesimo nono defertur, ubi & honorifice conditum, perpetuo cultu ad præsens usque tempus summopere veneratur.

Præinsertum itaque Officium nempe Orationem, ac quatuor Lectiones pro secundo Nocturno, ac quotannis juxta Monasticum vestrum institutum die quarta Mensis Decembris natali Sanctæ Barbaræ Virginis, & Martyris a Vobis, aliisque Ecclesiæ vestræ addictis, & ad horas Canonicas obligatis sub ritu Duplici Primæ Classis in perpetuum recitari possit, tenore præsertium Apostolica Auctoritate,

quibuscumque in contrarium non obstantibus, extendimus, concedimus, & indulgemus. Ceterum fore in Domino confidentes, ut Apostolica hæc nostra erga vos, Dilectæ in Christo Filiæ, indulgentia ad majorem Religiosarum virtutum profectum conducat, Apostolicam Benedictinnem cælestis præsidii auspicem Vobis peramanter impertimur.

Datum Romæ &c. Die 7. Novembris 1746. &c.

Concessio Officii, & Missæ Sanctorum quinque Martyrum Marochiensium, nempe

BERARDI, PETRI, ACCURSII, ADJUTI, atque OTHONIS

Sub Ritu Duplici Primæ Classis pro omnibus Regnis, & Dominiis

REGIS LUSITANIÆ.

Die xvi. Januarii in Festo SS. Berardi, Petri, Accursii, Adjuti, atque Othonis Ordinis Seraphici Protomartyrum.

Introitus. *Psal.* 33.

MUltæ tribulationes justorum, & de his omnibus liberavit eos Dominus: Dominus custodit omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.

Psal. ibid. Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo.

℣. Gloria Patri &c.

Oratio.

DEus, qui Sanctorum Martyrum tuorum Berardi, Petri, Accursii, Adjuti, atque Othonis glorioso certamine Ordinis Minorum initia consecrasti: concede nobis famulis tuis: ut quorum lætamur triumphis eorum virtutes imitemur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ B. Pauli Apostoli ad Corinthios. 1. Cor. 4.

FRatres, Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles: usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. Non ut confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos carissimos moneo in Christo Jesu Domino nostro.

Graduale Psal. 78. Vindica Domine sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est.

℣. Posuerunt morticina servorum tuorum, Domine, escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Alleluja, alleluja.

℣. Hæc est vera fraternitas, quæ vicit mundi crimina: Christum secuta est, inclyta tenens regna cælestia. Alleluja.

Post septuagesimam, omisso Alleluja, *& versu sequenti, dicitur Tractus.*

Psal. 125. Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. ℣. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. ℣. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Sequentia S. Evangelii secundum Matthæum. *Matth.* 10.

IN illo tempore Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos: & ad præsides, & reges ducemini propter me, in testimonium illis, & gentibus: cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Credo.

Offertorium. Sap. 3. Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, alleluja.

Secreta.

PRo pretiosa, Domine, tuorum morte Sanctorum sacrificium istud offerimus: quo opem tuam nostris temporibus clementer impendas, & gratiam nobis veræ devotionis exhibeat. Per Dominum.

Communio. Lucæ 12. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui vos persequuntur.

Postcommunio.

CÆlestia, Domine, dona, quæ sumpsimus, vitam nobis tribuant sempiternam: quam cum beatorum martyrum tuorum Berardi, Petri, Accursii, Adjuti, atque Othonis gloriosis meritis imploramus. Per Dominum.

OFFICIUM.

Omnia de communi plurimorum Martyrum præter Orationem, & lectiones, quæ sequuntur.

IN PRIMO NOCTURNO.

De libro Ecclesiastici.

Lectio I.

IN dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. Crede Deo, & recuperabit te: & dirige viam tuam, & spera in illum. Serva timorem illius, & in illo veterasce. Metuentes Dominum sustinete misericordiam ejus: & non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi; & non evacuabitur merces vestra.

Lectio II.

QUi timetis Dominum, sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. Respicite filii nationes hominum: & scitote, quia nullus speravit in domino, & confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? Aut quis invocavit eum, & despexit illum? Quoniam pius, & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.

Lectio III.

QUi timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: & qui diligunt illum, conservabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita sont ei: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent Dominum custodiant mandata illius, & patientiam habebunt usque ad inspectionem illius.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

OTho, Berardus, Petrus, Accursius, & Adjutus Christi Fidem, quam verbo prædicaverant, sanguine confirmarunt. A. S. Francisco, cujus Disciplinæ Alumni erant, delecti, quos ad id munus in Africam mitterat, adeo ipsius cohortationibus, & apud Deum precibus confirmati sunt, ut nihil tam optarent, quam pro barbarorum salute vitam profundere. Nudis igitur pedibus, & in summa omnium rerum inopia proficiscuntur in Hispaniam, ubi cum propter vitæ, morumque sanctitatem Christifidelibus admirationi fuissent, & exemplo, Hispalim veniunt, & Mesquitam ingressi, Mauros ad veram fidem hortari summo studio cœperunt; at inde rejecti, & colaphis, fustibusque contusi Regem adeunt, qui quod Mahumetanam impietatem coram se libere detestarentur, iratus, capite plecti eos imperat: verum exoratus filii precibus, ne innocentes homines supplicio afficeret, commutata sententia turri includit, e cujus fastigio cum Christi fidem populo prædicarent, Urbe excedere jubentur, & Marochium proficisci.

Lectio V.

MAri transmisso, maximisque in eo itinere exhaustis laboribus, paulo post, quam Marochium venerunt, fidei causa in vincula conjecti sunt, a quo cum nullis nec blanditiis, nec minis deduci potuissent, super solum aspersis testis stratum nudi projiciuntur, totaque nocte flagris cæsi ita sunt, ut viscera pene diffluerent: quo in cruciatu una fuit hæc omnium vox: nunquam secum tam præclare actum esse, quam eo noctis tempore. Postero die cum ad Regem Miramolinum vincti ducerentur, quidam autem ex proceribus obviam eis factus, ut a Christo deficerent, suadere non desisteret, Otho in Maurorum sectam invectus graviter est; ob id vero alapa percussus, alteram statim maxillam Saraceno obtulit Deum precatus, ut eidem ignosceret. Tum ille exardescens ad Regem introduci eos jussit, dignos clamans, de quorum insania Rex ipse supplicium sua manu sumeret.

Lectio VI.

COram adductos a Christiana Religione magnis præmiis avertere Miramolinus aggreditur; verum cum nec blanditiis, nec minis quicquam proficeret, in furorem actus stricto gladio omnes obtruncat. Martyrii palmam adepti sunt decimo septimo Kalendas Februarias anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo. Eorum corpora a nequissima multitudine funibus tracta extra muros in ignem conjiciuntur, quibus cum ignis parceret, Christiani vero, qui aderant, Deum ob id summis laudibus extollerent, Saraceni lapides in eos jaciunt; Martyrum corpora circa muros, & per vicos iterum raptant, & dilacerant, quorum sparsa membra clam a Christianis collecta, partim in privatis ædibus servata sunt, partim sepulturæ mandata, pleraque in Lusitaniam delata Conimbricæ in Cœnobio S. Crucis honorifice condita, ubi magno populi concursu ad hoc usque tempus coluntur. Horum Martyrum memoria meritis, & miraculis illustrium, ut eo die, quo passi sunt, ritu solemni recoleretur ab universo Seraphico Ordine, Sixtus IV., ab aliis præterea diversis in locis alii Summi Pontifices indulserunt, tandem postulante JOANNE V. Lu-

sita-

sitaniæ, & Algarbiorum Rege, eorumdem Beatorum Martyrum eximio cultore, ut in omnibus ejus Dominiis ritu duplici primæ Classis celebraretur, BENEDICTUS Decimus Quartus Pontifex Maximus benigne concessit.

Lectio VII.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum. *Cap.* 10.

IN illo tempore Dixit Jesus Discipulis suis: ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ, & reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi. *De verb. Evang. Matth.* 10.

AUdistis, fratres, cum sanctum Evangelium legeretur, quemadmodum Dominus noster Jesus Christus discipulos suos Martyres suos corroboraverit, dicens: Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Considerate, fratres mei, quid faciat. Si unus lupus inter multas oves veniat, quantacumque sint ovium millia, uno lupo in medio turbabuntur; & si non omnes laniantur, omnes tamen terrentur. Qualis ergo erat ista ratio, quale consilium, qualis potestas nec lupum ad oves admittere, sed in lupos oves mittere? Mitto, inquit, vos, sicut oves in medio luporum: non ad limites luporum, sed in medio luporum. Erat ergo luporum agmen, oves paucæ.

Lectio VIII.

AUdiamus ergo, quid monuit. Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Si jam simplicitas columbarum indicta est nobis, astutia serpentis quid facit in columbæ simplicitate? Amo in columba, quod fel non habet: timeo in serpente, quod venenum habet. Noli ex omni parte horrere serpentem: habet, quod oderis, habet, quod imiteris. Serpens enim, cum fuerit senectute prægravatus, & senserit pondus vetustatis, coarctat se per cavernam, & deponit tunicam veterem, ut novus exiliat. Imitare illum, Christiane, qui audis Christum dicentem: Intrate per angustam portam. Et Paulus Apostolus tibi dicit: Exuite vos veterem hominem cum actibus suis, & induite novum. Habes ergo, quod imiteris in serpente.

Lectio IX.

JAm vero quid opus est commendare multis verbis simplicitatem columbarum? Cavenda enim erant venena serpentis; ibi imitatio periclitabatur, ibi erat, quod timeretur: columbam vero securus imitare. Attende columbas in societate gaudere: ubique simul volant, simul pascuntur, communione gaudent, caritatem servant. Columba amat & quando rixatur: lupus odit & quando blanditur. Columbarum ergo simplicitatem habentes, & astutiam serpentum, solemnia Martyrum celebrate in sobrietate mentis: Deo laudes dicite: ipse est enim Dominus Deus noster, qui martyrum Deus: ipse coronator noster. Si bene luctati fuerimus, coronamur ab eo, qui coronavit eos, quos imitari concupiscimus.

DECRETUM.

Portugalliæ, & Algarbiorum.

AD preces JOANNIS V. Portugalliæ, & Algarbiorum Regis (erga Beatos Martyres Marochienses BERARDUM, PETRUM, ACCURSIUM, ADJUTUM, & OTHONEM, Seraphici ordinis Protomartyres, devotionis suæ perenne monumentum suis Subditis relicturi) suprascriptas Lectiones, tam proprias Secundi Nocturni a SANCTITATE SUA revisas, & correctas, quam primi, & tertii Nocturni, die decima sexta Januarii in omnibus prædictis Regis dominiis sub ritu duplici primæ classis in posterum recitari, ac Missam celebrari posse SANCTITAS SUA benigne indulsit, atque concessit. Die 8. Octobris 1748.

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli

T. Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius.

Concessio Officii, & Missæ S. Theotonii Confessoris sub ritu duplicis Majoris pro omnibus Regnis, & dominiis Regis Lusitaniæ.

Die XVIII. Februarii.

IN FESTO S. THEOTONII CONFESSORIS.

Duplex Majus.

AD VESPERAS.

Antiph. Introibo, *cum reliquis de Laud.*
Psalm. Dixit Dominus, *cum reliq. de Dominica, & loco ultimi,*
Psalm. Laudate Dominum omnes gentes.
Ach & Decr. Canon.

Capitulum.

MAgnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit; glorificavit illum in conspectu Regum, & jussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam.

Hymnus.

PAtrem canamus inclytum,
Qui dum juventa floruit,
Juvit sodales plurimos
Sanctis reformans moribus.
Tum Christi amore percitus
Perrexit illuc pluries,
Ubi nos Redemptor omnium
Suo expiavit sanguine.
Præceps furentis æquoris
Non ira cursum detinet;
Timere nescit æstuans
In corde puro Caritas.
Mox & procellis imperat,
Vis fœda cedit turbinis;
Ipso rogante cælites,
Ventique, & undæ subsident.
Centena glebis oscula
Humi volutus imprimit:
Geritque fixum pectori
Nostræ salutis auspicem.
Probra hinc, labores, dedecus
Ardore captus æmulo
Præfert opimis infulis,
Terræque honores despicit.
Sanctæ Crucis sub stemmate
Sacrum reformat Ordinem;
Qualem beavit jam suo
Salvator ipse nomine.
Tuo rogatu supplici
Christi æmulator impetra,
Ut cogitemus perpetim
Dilecta Christi vulnere. Amen.

℣. Renovamini spiritu mentis vestræ.
℟. Et induite novum hominem.

Ad magnificat.

Antiph. Estote imitatores mei, sicut filii carissimi, & ambulate in dilectione.

Oratio.

DEus qui Beati Theotonii salutaribus monitis, & exemplis Canonicam Disciplinam reparasti: concede propitius; ut ejus exemplo, & intercessione arctiorem Christianæ perfectionis viam ingressi facilius vitam æternam consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

VEnite adoremus Regem Regum: * Qui nobis ad exemplum proponit Theotonium.

Hymnus.

TU nostri columen, tu decus, horridas
Hinc pestes remove, diraque prælia,
Intus populo desuper excuba,
Et rem protege publicam.
Te gens Lusiadum rebus in asperis
Olim propitium sensit, & agmina
Maurorum patriis finibus expulit,
Armis, & prece dimicans.
Te jussi totis e cedere dæmones,
Te morbi metuunt sæpe coerciti.
Iram, si jubeas, fulgure temperant,
Et fluctus mare comprimit.
Nunc ergo populi vocibus annue;
Atque illum foveas præcipue gregem,
Cui vivens præeras, qui memor optimum
Nunc patrem precibus vocat.
Quisumque hoc peraget denique canticum,
Fac tutas ineat te duce semitas,
Dum laudes Triadi concinat inclytæ,
Tecum secla per omnia. Amen.

IN PRIMO NOCTURNO.

Antiph. Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Psalm. de Communi Confessoris non Pontif.

Antiph. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.
Antiph. Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.
℣. Benedicam Dominum in omni tempore.
℟. Semper laus ejus in ore meo.
Absolutio. Exaudi Domine.
Benedictio. Benedictione perpetua.

Lectio I.

De libro Ecclesiastici. *Cap.* 3.

QUI navigant mare, enarrent pericula ejus, & audientes auribus nostris admirabimur, illic præclara opera, & mirabilia, varia bestiarum genera: & omnium pecorum, & creatura belluarum. Propter ipsum confirmatus est itineris finis, & in sermone ejus composita sunt

omnia. Multa dicemus, & deficiemus in verbis; consummatio autem sermonum ipse est in omnibus.

℣. Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus. * Beatus vir, qui sperat in eo.

℟. Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum. Beatus vir.

Benedictio. Unigenitus Dei Filius.

Lectio II. Cap. 44.

LAudemus Viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua; multam gloriam fecit Dominus: magnificentia sua a seculo. Dominantes potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentia sua præditi, nuntiantes in prophetis dignitatem Prophetarum. Et imperantes in præsenti populo, & virtute prudentiæ populis sanctissima verba; in peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum.

℣. Si custodierint Filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos: * Sedebunt super sedem tuam.

℟. Sacerdotes tui induantur justitiam, & sancti tui exultent. Sedebunt.

Benedictio. Spiritus Sancti gratia.

Lectio III. Cap. 45.

DIlectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione est, similem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit; glorificavit illum in conspectu Regum, & jussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam; in fide, & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne: audivit enim eum, & vocem ipsius, & induxit illum in nubem, & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ.

℟. Cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ: * Sedebitis & vos super sedes duodecim.

℣. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Sedebitis. Gloria Patri. Sedebitis.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Jesu Christi.

Antiph. Hæc est requies mea; hic habitabo quoniam elegi eam.

Antiph. Non est hic aliud, nisi domus Dei, & Porta Cœli.

℣. Custodivit eum ab inimicis.

℟. Et a seductoribus tutavit eum.

Absolutio. Ipsius pietas.

Benedictio. Deus Pater omnipotens.

Lectio IV.

THeotonius Lusitanus Oppidi Gensey (a Civitate Tudensi tantum Minii interfluentis spatio discreti) parentum diligentia pie, religioseque ab infantia educatus; deinde sub Episcopos Conimbricensi ejus Avunculo a Magistro Tellone Conimbriæ Archidiacono usum, & modum legendi, ac canendi Ecclesiasticum optime doctus, in Ecclesia Visiensi Beatæ Mariæ primum Clericus, deinde Presbyter ordinatus, nec multo post ejusdem Ecclesiæ Prior invitus constitutus, cum illam Ecclesiam aliquot annis sanctissime rexisset, accensus desiderio videndi sacra loca, in quibus mundi Salvator pro nostra salute carnem sumere, & mortem pati dignatus est, cedens prioratui, peregrinationem Hierosolymitanam semel, & secundo non sine maximis laboribus, vitæque periculis absolvit, quam Deus sibi gratam fuisse, multis miraculis declaravit. Post secundam vero peregrinationem Prioratum Visiensem denuo sibi oblatum, ac etiam Episcopalem Dignitatem respuens, tertio eamdem peregrinationem meditabatur, ut Sepulchri Domini custodiam, & communis vitæ societatem a Canonicis Regularibus tunc apud ipsum Dominicum Sepulchrum degentibus sibi pollicitam susciperet.

℟. In fraude circumvenientium illum adfuit illi: * Et honestum fecit illum.

℣. Certamen forte dedit illi, ut vinceret, Et honestum.

Benedictio. Christus perpetuæ.

Lectio V.

TUnc vero undecim Clerici Conimbricenses cum primis nobiles, qui Deo inspirante inter se condixerant se ipsos divinis obsequiis sub arctiori custodia Sanctæ Religioni mancipare, & labentem in illis regionibus Canonicorum Ordinem reparare, Theotonium impense rogant, ut sancti illius propositi socios se velit adjungere. Quamobrem eorum consilio post maturam considerationem probato libenter annuit, se cum illis duodecimum connumerari. Et ita duodecim ii viri spiritu Apostolico ferventes Monasterium in honorem Sanctæ Crucis, & Beatissimæ Virginis MARIÆ construxerunt in suburbio Civitatis Conimbricæ sub Regula, & habitu Beatissimi Patris Augustini; & ipsum Theotonium in Priorem, cui se ipsos regulariter instituendos committerent, etsi modis omnibus repugnantem elegerunt. Quos vero profectus, quæ virtutum incrementa sub regimine tam sancti Viri nova illa plantatio acceperit, non est opus enarrare. Siquidem brevissimo tempore Monasterium bonis temporalibus copiosissime auctum, virtutibus ornatum, & optimis Viris religiosis fuit illustratum: inter quos ipse Theotonius magnis vitæ meritis antecibat.

℟. Oculis, ac manibus in cælum semper intentus * Invictum ab oratione spiritum non relaxabat.

℣. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est. Invictum.

Benedictio. Ignem sui amoris.

Lectio VI.

MUltas etiam virtutes Deus per Theotonium operari dignabatur; sæpissime enim dæmones fugabat ab obsessis corporibus, & ægrotos suis precibus sanabat, inter quos fuerunt Venerabilis Rex Alphonsus Henricus, & ipsius conjux Maphalda. Nec tantum Regibus, ceterisque Lusitanis, a quibus ut communis Pater habebatur, sed ab externis etiam, & præcipue a Sancto Bernardo Abbate Claraevallensi in magna veneratione habitus fuit; cujus orationis vim sæpe Christianæ fidei hostes debellati senserunt. Demum ætate ingravescente cum Prioratui cessisset, se totum contemplationi tradens, appropinquante die migrationis ex hac vita, Principem Apostolorum de futura beatitudine securum illum reddentem, nec non & cælestis Patriæ incolas, scalamque in Cælum pretensam vidit. Pridie etiam quam migraret, stellarum globus e Cælo in medium Claustri Monasterii visus est descendere. Quare sanctissimo Dominici Corporis Viatico munitus, cum suos Alumnos ad perfectionem esset cohortatus, animam Deo reddidit octogenarius die decima octava Februarii. Ejus corpus ab Episcopo Conimbricensi sepulturæ traditum, multis miraculis coruscavit.

℟. Populum justum liberavit a Nationibus, quæ illum deprimebant: * Et stetit contra Reges horrendos in portentis & signis.

℣. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini. Et stetit. Gloria Patri. Et stetit.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

Antiph. Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: lunam, & stellas, quæ tu fundasti.

Antiph. Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei.

℣. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!

℟. Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.

Pater noster. *Absolutio*. A vinculis.

Benedictio. Evangelica.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Cap. 19.

IN illo tempore: dixit Petrus ad JESUM: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Decl. de Evang. hujus verb.

ARbitror verba lectionis hujus ea esse, de quibus ad immortalem sponsum a finibus terræ clamat Ecclesia; Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Hæc nempe sunt verba, quæ contemptum mundi in universo mundo, & voluntariam persuasere hominibus paupertatem; hæc sunt, quæ Monachis claustra replent: deserta Anachoretis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægyptum spoliant, & optima quæque ejus vasa diripiunt; hic sermo vivus, & efficax, convertens animas felici æmulatione sanctitatis, & veritatis promissione fideli.

℟. Obitum suum longe ante præscivit, dixitque Fratribus: * Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

℣. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Cupio.

Benedictio. Cujus festum colimus.

Lectio VIII.

NAm, & mundus transit, & concupiscentia ejus, & relinquere hæc magis expedit, quam relinqui. Ecce, inquit; reliquimus omnia, & secuti sumus te: nimirum quia exultavit, ut gigas ad currendam viam, nec currentem sequi poterat oneratus. Sed nec inutilis commutatio, pro eo, qui super omnia est, omnia reliquisse, cum & simul cum eo donentur omnia, & ubi apprehenderis eum, erit unus ipse omnia omnibus, qui pro ipso omnia reliquerunt. Omnia sane dixerim, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maxime.

℟. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus: * Et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam.

℣. Ostendit illi gloriam suam. Et dixit ad eum. Gloria Patri. Et dixit ad eum.

Benedictio. Ad societatem.

Lectio IX.

PEtrus cogitatum suum jactans in Domino, & omnem sollicitudinem suam in eum projiciens, certus quod illi foret cura de eo, reliquit omnia, secutus est Dominum, ne interrogans quidem de præmio, donec ex periculo divitum, quod Salvator prosequebatur, sumeret occasionem percontandi: Quid ergo erit nobis? Ait illi JESUS: Amen dico vobis: verbum confirmationis præmittitur; magnum noveris esse, quod sequitur. In regeneratione sedebitis & vos; consequimini, ait, quem sequimini, ut cum ipse sederit, & vos pariter sedeatis. O sessio! quis mihi tribuet, ut dignis exprimam verbis, quod de sessione hac cordis affectione concipio! Imo quis tribuat mihi sessionis hujus imperturbata frui requie, quam requiro!

AD

AD LAUDES.

& per horas, Antiphona.

INtroibo in Domum tuam, adorabo ad Templum Sanctum tuum.

Psalm. de Dominica. Antiph. Deus docuisti me a juventute mea, & usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.

Antiph. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.

Antiph. Venite Filii, audite me, timorem Domini docebo vos.

Antiph. Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in die Visitationis.

Capitulum.

MAgnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit, glorificavit illum in conspectu Regum, & jussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam.

Hymnus.

MOrtis extremas properantem ad horas
Densa te cingit Superum corona,
Ut licet vivens, caperes beatæ
Gaudia vitæ.
Dæmonis sæpe insidias parantis
Frangis invictus laqueos, & arma;
Undique oppugnas solitus rebelle
Spernere monstrum.
Qua tui quondam venient Alumni
Te polo invitat scala; te quem amanter
Claviger Cæli socium vocarat
Lætus ad astra.
Tu tamen pulchros referens triumphos,
Scandis hanc primus, rutilumque callem
Ceteris monstrans, trahis ad supremum,
Te duce culmen.
Quantus excelso niteas Olympo,
Ta novum nasci quasi dicat astrum,
Lapsus astrorum globus obvianti
Lumine prodit.
Aspice nos a Patria beata,
Atque Regiæ Superum in Clientes
Trade; quam vivens tenero colebas
Ductus amore.
Laus sit Augustæ Triadi perennis,
Quæ tibi tantos tribuens honores
Det tuis nobis gradibus serenum
Scandere cælum. Amen.

℣. Reposita est mihi corona justitiæ.
℟. Quam reddet mihi Dominus.

Ad Benedictus Antiph. Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.

Oratio.

DEus qui beati Theotonii salutaribus monitis, & exemplis Canonicam Disciplinam reparasti: concede propitius; ut ejus exemplo, & intercessione arctiorem Christianæ perfectionis viam ingressi facilius vitam æternam consequamur, per Dominum.

AD TERTIAM.

Antiph. Deus docuisti.
Capitulum. Magnificavit eum, *ut supra.*
℟. *br.* Vota mea * Domino reddam. Vota mea.
℣. In conspectu omnis populi ejus. Domino. Gloria Patri. Vota mea.
℣. In atriis Domus Domini.
℟. In medio tui Jerusalem.

AD SEXTAM.

Antiph. Loquebar.

Capitulum.

IN hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.

℟. *br.* Ubi sunt * Congregati in nomine meo. Ubi sunt.
℣. Ubi sum in medio eorum. Congregati. Gloria Patri. Ubi sunt.
℣. O quam bonum, & quam jucundum.
℟. Habitare fratres in unum.

AD NONAM.

Antiph. Humiliamini.

Capitulum.

OBsecro itaque vos, Fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum; & nolite conformari huic seculo, sed reformamini.

℟. *br.* Laudate Dominum: in tympano, & choro. Laudate Dominum.
℣. Laudate eum in chordis, & organo. In tympano. Gloria Patri. Laudate.
℣. Bonum est confiteri Domino.
℟. Et psallere nomini tuo Altissime.

In secundis vesperis.

Omnia ut in primis præter seq.
℣. Vidit scalam stantem super terram.
℟. Et cacumen illius tangens cælum.
Ad Magnificat Antiph. Vidit, & introivit: beatus homo, cui culi patebant.

DECRETUM.

Portugalliæ, & Algarbiorum.

S*Anctissimus Dominus Benedictus PAPA XIV. ad preces JOANNIS V. Fidelissimi Lusitaniæ, & Algarbiorum Regis concessit, ut in omnibus ejusdem Regis Dominiis supraescriptum Officium proprium cum Missa Sancti THEOTONII Confessoris sub ritu duplicis Majoris ab omnibus Christi Fidelibus utriusque sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, recitari & respective celebrari possit, & valeat; firmo remanente altiori ritu tam cum, quam sine octava, quo in aliquibus locis Officium ejusdem S. THEOTONII celebrari consuevit. Hac die 17. Januarii 1750.*

D. F. Card. Tamburrinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

T. *Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius.*

Concessio Officii, ac Missæ in Festo Maternitatis B. Mariæ Virginis prima Dominica Maji, & Officii, ac Missæ in Festo Puritatis B. Mariæ Virginis ultima Dominica Junii, sub ritu duplicis majoris pro omnibus Regnis, ac Dominiis Regis Lusitaniæ.

Dominica prima Maji.

OFFICIUM IN FESTO MATERNITATIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ad Vesperas.

Antiph. Beata es Virgo Maria, *cum reliquis de Laudibus. Psalm. consueti de Sancta Maria, ut in ejus Officio parvo.*

Capitulum. Eccl. c. 24.

QUi creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: in Jacob inhabita, & in electis meis mitte radices.

Hymn. Ave Maris stella.
℣. Benedicta tu in mulieribus.
℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Magnif.

Antiph. Cum jucunditate Maternitatem Beatæ Mariæ semper Virginis celebremus.

Oratio.

INtercedat pro nobis, Domine Jesu Christe, tua Sanctissima Genitrix Maria, & gratiam tuam, a qua peccando excidimus, nobis sua intercessione conciliet, ut ejus Maternitatem venerantes in terris, ejus super omnes choros Angelorum exaltatione perfrui mereamur in Cælis. Qui vivis, & regnas.

Ad Matutin.

Invitator. Maternitatem B. Mariæ Virginis celebremus: * Christum ejus Filium adoremus Dominum.
Psalmus, Venite, exultemus.

Hymnus.

CŒlo Redemptor prætulit
Felicis alvum Virginis:
Ubi caduca membra,
Mortale corpus induit.
Hæc Virgo nobis edidit
Nostræ salutis Auspicem,
Qui nos redemit sanguine,
Pœnas, crucemque pertulit.
Spes læta nostro a pectore
Pellat timores anxios:
Hæc quippe nostras lacrymas,
Precesque defert Filio.
Voces Parentis excipit,
Votisque Natus annuit,
Hanc quisque semper diligat,
Rebusque in arctis invocet.
Sit Trinitati gloria,
Quæ Matris intactum sinum
Ditavit almo germine:
Laus sit per omne seculum. Amen.

Antiphonæ, & Psalmi Nocturn., ut in ejus Officio parvo.

IN PRIMO NOCTURNO.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.
℟. Intende prospere, procede, & regna.
Pater noster.
Absolutio. Exaudi Domine.
℣. Jube Domne benedicere.
Benedictio. Benedictione perpetua.
De Libro Ecclesiastici.

Le-

Lectio i. Cap. 24.

EGo ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in Cælis, ut oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis. Gyrum cæli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi: in fluctibus maris ambulavi, & in omni terra steti; & in omni populo, & in omni Gente primatum habui: & omnium excellentium, & humilium corda virtute calcavi: & in his omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor.

℟. Felix es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: * Ex qua ortus est sol justitiæ Christus Deus noster, per quem salvati, & redempti sumus.

℣. Maternitatem Beatæ Mariæ Virginis cum gaudio celebremus. Ex qua.

Benedictio. Unigenitus Dei Filius.

Lectio II.

TUnc præcepit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices. Ab initio, & ante secula creata sum, & usque ad futurum seculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, & in Civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. Sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris. * Qui Cælum, terramque regit, in tua se clausit viscera, factus homo.

℣. Benedicta tu in mulieribus; & benedictus fructus ventris tui. Qui cælum.

Benedictio. Spiritus sancti gratia.

Lectio III.

QUasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris, & quasi storax, & galbanus, & ungula, & gutta, & quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam, & quasi balsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris, & gratiæ. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.

℟. Multæ filiæ congregaverunt divitias; tu supergressa es universas: * Speciosa facta es, & suavis in deliciis tuis Sancta Dei Genitrix.

℣. Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam Sanctam Maternitatem. Speciosa. Gloria Patri, Speciosa.

IN II. NOCTURNO.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

Absolutio. Ipsius pietas.

℣. Jube Domne benedicere.

Benedictio. Deus Pater omnipotens.

Ex Sermone S. Leonis Papæ.

Lectio IV.

Serm. 1. de Nativ. Dom.

VIrgo regia Davidicæ stirpis eligitur, quæ sacro gravidanda fœtu, divinam, humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore; & ne superni ignara consilii ad inusitatos paveret afflatus, quod in ea operandum erat a Spiritu Sancto: colloquio didicit angelico, nec damnum credidit pudoris Dei genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis novitate desperet, cui efficientia de Altissimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam præcurrentis attestatione miraculi. Donatur Elisabeth inopinata fœcunditas, ut qui conceptum dederat sterili, daturus non dubitaretur & Virgini. Verbum igitur Dei filius, qui in principio erat apud Deum per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, propter liberandum hominem ab æterna morte factus est homo.

℟. Gloriosæ Virginis Mariæ Maternitatem dignissimam recolamus, * Cujus Dominus humilitatem respexit, quæ Angelo nuntiante, concepit Salvatorem Mundi.

℣. Christo canamus gloriam in hac sacra Solemnitate mirabilis Genitricis Dei; Cujus.

Benedictio. Christus perpetuæ.

Lectio V.

Serm. 2. de Nativ. Dom.

INgreditur hæc infima Jesus Christus Dominus noster de Cæli sede descendens, & a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris: incomprehensibilis voluit comprehendi, ante tempora manens esse cœpit in tempore. Nova autem nativitate genitus est, conceptus a virgine, natus ex virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis injuria, quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui & in se haberet humanæ substantiæ naturam, & humanæ carnis inquinamenta nesciret. Origo dissimilis, sed natura consimilis: humano usu, & consuetudine, quod credimus, caret; sed divina potestate subnixum est, quod virgo conceperit, virgo pepererit, virgo permanserit.

℟. Benedicta Filia tu a Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus; * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, & a periculis cunctis libera nos Sancta Dei Genitrix. Sola.

Benedictio. Ignem sui amoris.

Lectio VI.

OPortuit, ut primam Genitricis integritatem nascentis incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium, Divini Spiritus virtus infusa servaret, quæ statuerat dejecta erigere, confracta solidare, & superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiæ donare virtutem, ut virginitas, quæ in aliis non poterat salva esse generando, fieret aliis imitabilis renascendo. Hoc ipsum autem, quod Christus nasci elegit ex virgine, nonne apparet altissimæ fuisse rationis? ut scilicet humano generi natam salutem diabolus ignoraret, & spiritali latente conceptu, quem non alium videret, quam alios, non aliter crederet natum esse, quam cæteros. Quod ut fieret, editus est Christus ex virgine, quam Spiritus Sanctus fœcundavit; & cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, hæc inde purgationem traxit, unde concepit.

℟. Benedicta inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, * Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?

℣. Respexit humilitatem Ancillæ suæ; & fecit mihi magna, qui potens est. Unde. Gloria Patri. Unde.

IN III. NOCTURNO.

℣. Fecit mihi magna, qui potens est.

℟. Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

Pater noster.

Absolutio. A vinculis.

℣. Jube Domne benedicere.

Benedictio. Evangelica lectio.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 2.

IN illo tempore; cum redirent, remansit Puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt Parentes ejus. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

Homilia 1. de Laudibus Virgin. Matris.

DEum, & Dominum Angelorum Maria suum filium appellat, dicens: Fili, quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, & pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sint, & vocati Angeli, testante David: qui facit Angelos suos spiritus: Matrem se agnoscens: majestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium: nec dedignatur nuncupari Deus: quod esse dignatus est. Nam paulo post subdit Evangelista, & erat subditus illis. Quis? quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus, & Potestates obediunt, subditus erat Mariæ.

℟. Beata es Virgo Maria Dei Genitrix, quæ credidisti Domino, perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis: intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Propterea.

Benedictio. Cujus festum colimus ipsa Virgo Virginum.

Lectio VIII.

MIrare utrumlibet, & elige, quod amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quod Deus fœminæ obtemperet, humilitas absque exemplo; & quod Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocumque ierit. Quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit? Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De Auctore tuo loquens Evangelista: Et erat, inquit, subditus illis. Erubesce superbe cinis. Deus se humiliat, & tu te exaltas. Deus hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Auctori.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum, & hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia Ancillam suam respexit Deus. Et de meis. Gloria Patri. Et de meis.

Benedictio. Ad Societatem.

Lectio IX.

FElix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit fœcunditas: Et nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit fœcunda virginitas: & incomparabilis prorsus fœcunditas, quam virginitas simul comitatur, & humilitas. Quid horum non mirabile? Quid non incomparabile? Quid non singulare? Mirum vero si non hæsitas in horum ponderatione, quid tua judices dignius admiratione: utrum videlicet potius stu-

stupenda sit fœcunditas in Virgine, an in Matre integritas: sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas. Nisi quod indubitanter horum singulis prætereunda sunt simul cuncta, & incomparabiliter excellentius est, atque felicius omnia percepisse, quam aliqua. Et quid mirum, si Deus, qui mirabilis cernitur, & regitur in Sanctis suis, mirabilem se exhibuit in Matre sua. Veneramini virgines, Conjuges, in carne corruptibili carnis integritatem: Vos, Sacræ Virgines, in Virgine fœcunditatem. Imitamini omnes homines, Dei Matris humilitatem.

Te Deum laudamus.

A D L A U D E S.

& per Horas Antiph.

BEata es Virgo Maria, quæ omnium portasti Creatorem.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Genuisti, qui te fecit, & in æternum permanes virgo.

Antiph. Beatam me dicent omnes generationes, quia Ancillam humilem respexit Dominus.

Antiph. Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus.

Antiph. Viderunt eam Filiæ Sion, & beatam dixerunt, & Reginæ laudaverunt eam.

Capitulum Eccli. c. 24.

QUi creavit me, requievit in tabernaculo meo; & dixit mihi: in Jacob inhabita; & in electis meis mitte radices.

Hymnus.

TE, Mater alma Numinis,
 Oramus omnes supplices,
 A fraude nos ut Dæmonis
 Tua sub umbra protegas.
Ob perditum nostrum genus
 Primi Parentis crimine,
 Ad inclytum Matris decus
 Te Rex supremus extulit.
Clementer ergo prospice
 Lapsis Adami posteris:
 A te rogatus Filius
 Deponat iram vindicem.
Jesu tibi sit gloria,
 Qui natus es de Virgine,
 Cum Patre, & almo Spiritu
 In sempiterna secula. Amen.

℣. Germinavit radix Jesse: orta est stella ex Jacob.
℟. Virgo peperit Salvatorem: Te laudamus, Deus noster.

Ad Bened. Antiph.

Sancta Maria succurre miseris: juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam admirabilem Maternitatem.

Oratio. Intercedat pro nobis, Domine Jesu Christe, *ut supra.*

Ad Horas Antiphona, & Oratio, ut in Laudibus; reliqua, ut in Officio B. Mariæ in Sabbato.

In Hymnis. Jesu tibi sit Gloria.

In secundis Vesperis omnia, ut in primis,

Ad Magnificat, Antiph.

Maternitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciavit universo Mundo: ex te enim ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster.

MISSA IN FESTO

MATERNITATIS B. MARIÆ VIRGINIS

Introitus. *Psal.* 112. 5.

QUis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in Cælo, & in terra?

Psalm. 45. 5. Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei, Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

℣. Gloria Patri.

Oratio.

INtercedat pro nobis, Domine Jesu Christe, tua Sanctissima Genitrix Maria, & gratiam tuam, a qua peccando excidimus, nobis sua intercessione conciliet, ut ejus Maternitatem venerantes in terris, ejus super omnes Choros Angelorum exaltatione perfrui mereamur in cælis. Qui vivis, & regnas.

Lectio Libri Sapientiæ.
Eccl. c. 24.

EGo quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me & a generationibus meis implemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & favum; memoria mea in generationes seculorum. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient; qui audit me, non confundetur; & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me vitam æternam habebunt.

Graduale. Isa. c. 11. Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.

℣. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

Alleluja alleluja.

℣. *Isai. c.* 7. Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.

Alleluja.

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.
Luc. c. 2.

IN illo tempore; Cum redirent, remansit Puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt Parentes ejus; existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis ejus; Et videntes admirati sunt. Et dixit Mater ejus ad illum; Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos; quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Credo.

Offert. Mat. c. 1. Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.

Secreta.

OMnipotens, misericors Deus, qui Beatissimam Virginem Mariam Unigeniti Filii tui Matrem elegisti, præsta, quæsumus, ejus precibus, & meritis, ut inter electos tuos numeremur. Per eundem Filium Unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit, & regnat in secula seculorum. Amen.

Præfatio de B. M. Et te in Festivitate Maternitatis Beatæ Mariæ Virginis.

Communio. Beata Viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

Postcommunio.

BEatissima Mater, de qua fons est ortus misericordiæ, sanet animam omnium fidelium ab infirmitate peccati, per virtutem benedicti fructus ventris sui, qui sedens ad dexteram Patris vivit, & regnat in secula seculorum. Amen.

Dominica ultima Junii.

OFFICIUM IN FESTO

PURITATIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Ad Vesperas, Ant. Sicut lilium inter spinas, *cum reliquis de Laud. Psal. consueti de S. Maria, ut in ejus Officio parvo.*

Capitulum Sap. c. 4.

O Quam pulchra est casta generatio cum claritate: Immortalis est memoria illius, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.

Hymnus.

PRæclara Custos Virginum
 Intacta Mater Numinis,
 Cælestis aulæ janua,
 Spes nostra, Cæli gaudium.
Inter rubeta lilium.
 Columba formosissima,
 Virga, a radice germinans
 Nostro medelam vulneri.
Turris Draconi impervia,
 Amica stella naufragis
 Tuere nos a fraudibus,
 Tuaque luce dirige.
Erroris umbras discute,
 Syrtes dolosas amove,
 Fluctus tot inter, deviis
 Tutam reclude semitam.
Jesu tibi sit gloria,
 Qui natus es de Virgine,
 Cum Patre, & almo Spiritu
 In sempiterna secula. Amen.

℣. Cum jucunditate Virginitatem B. Mariæ semper Virginis celebremus.
℟. Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

Ad Magnificat Antip.

Nihil inquinatum in eam incurrit: Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula.

Oratio.

DA, quæsumus, omnipotens æterne Deus, ut purissimæ Virginis Mariæ integerrimam Virginitatem festiva celebritate venerantes, ejus intercessione, puritatem mentis, & corporis consequamur. Per Dominum.

Ad

Ad Matut. Invitator.

Virginitatem Deiparæ celebremus: * Christum ajus Filium adoremus Dominum.

Psalmus. Venite exultemus.

Hymnus.

O Stella Jacob fulgida,
O Solis instar splendida
Aurora, qua nil purius
Refulget inter sidera.
Stolis amictæ candidis
Tibi catervæ Cælitum
Plaudunt; facræque Virgines
Laudes perennes concinunt.
Quin obsequentes offerunt
Ligustra, & alba lilia:
Candor sed horum vincitur
Candore casti pectoris.
Nostra Angelorum laudibus
Abjecta tellus assonans,
Ad astra voces efferat,
Et Virginis præconia,
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine
Cum Patre, & almo Spiritu
In sempiterna secula. Amen.

Antiph. & Psalmi Noct. ut in ejus Officio parvo.

IN PRIMO NOCTURNO.

℣. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.
℟. Et innumerabilis honestas per manus illius. Pater noster.
Absolutio. Exaudi Domine.
℣. Jube Domne benedicere.
Benedictio. Benedictione perpetua.

De Canticis Canticorum.
Lectio I. Cap. 2.

EGo flos campi, & lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic Amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideravi, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis Dilectam, quoadusque ipsa velit. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.

℣. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia: * Pulchra es amica mea, suavis, & decora sicut Jerusalem, terribilis, ut castrorum acies ordinata.

℣. Una est columba mea, perfecta mea. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt. Pulchra.

Benedictio. Unigenitus Dei Filius.

Lectio II. Cant. c. 4.

QUam pulchra es, Amica mea, quam pulchra es! oculi tui columbarum; absque eo, quod intrinsecus latet: Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad, dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ: vadam ad Montem mirrhæ, & ad collem thuris. Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.

℟. Surge, propera, amica mea, Columba mea, formosa mea, & veni: * Jam hiems transiit, imber abiit, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra.

℣. Surgam, & circuibo Civitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea. Jam hiems.

Benedictio. Spiritus Sancti gratia.

Lectio III. Cant. cap. 4.

VEni de Libano, Sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum, in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea Sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, Sponsa, mel, & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Hortus conclusus, soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

℟. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo: * Qualis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?

℣. Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Talis est dilectus meus, ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem. Qualis. Gloria Patri. Qualis.

IN II. NOCTURNO.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.
℟. Dei Genitrix intercede pro nobis. Pater noster.
Absolutio. Ipsius pietas.
℣. Jube Domne benedicere.
Benedictio. Deus Pater omnipotens.

Ex libro S. Ambrosii Episcopi de Virginibus.
Lib. 2. post initium. Lectio IV.

SIt vobis tamquam in imagine descripta Virginitas, vitaque B. Mariæ, de qua, velut in speculo, refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi, tamquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quæ corpus sine corporis labe generavit?

℟. Beatissima virgo Maria hortus conclusus, fons signatus, Regina Angelorum, Domina Mundi; * Per quem Deus descendit in terras, ut homines ascendere mererentur ad Cælus.

℣. Ad te clamamus exules filii Evæ: recordare nostri Sanctissima Virgo. Per quam.

Benedictio. Christus perpetuæ.

Lectio V.

DE ceteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat, non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem.

℟. Beata Maria tantæ extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur, * Deus quam elegerat, creavit, de qua crearetur, elegit.

℣. Ipsa est stella ex Jacob, cujus radius universum Orbem illuminat. Deus, quam.

Benedictio. Ignem sui amoris.

Lectio VI. Ex S. Petro Chrysol. Serm. 143.

HÆc dedit Cælis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Gratiam, quam detulit Angelus, accepit Virgo, salutem seculis redditura. Vere benedicta Virgo, quæ & Virginitatis possidet decus, & Matris dignitatem: vere benedicta, quæ & superni conceptus meruit gratiam, & servavit integritatis coronam. Vere benedicta, quæ & divinis germinis suscepit gloriam, & Regina extitit totius castitatis.

℟. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus Sanctus superveniet in te: * Virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque. Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

℣. Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Virtus.

Gloria Patri. Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.

IN III. NOCTURNO.

℣. Invenisti gratiam apud Deum.
℟. Sancta Dei Genitrix Virgo immaculata.
Pater noster.
Absolutio. A vinculis.
℣. Jube Domne benedicere.
Benedictio. Evangelica lectio.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.
Luc. c. 1. Lectio VII.

IN illo tempore. Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.
Hom. 2. sup. missus est.

NOvum canticum illud, quod solis dabitur in regno Dei cantare Virginibus, ipsam Virginem Reginam, imo primam inter ceteras esse cantaturam, nemo est, qui ambigat. Puto autem illam, prœter illud, quod solis licet, cum omnibus tamen Virginibus ei, ut dixi, commune erit, dulciori quodam, atque elegantiori carmine lætificaturam esse Civitatem Dei. Hujus neque dulcisonos depromere, vel exprimere modulos, ne ipsarum quidem Virginum ulla digna invenietur, quia merito decantandum servabitur illi, quæ sola de partu, & partu divino gloriatur. Gloriatur, dico, de partu, non in se, sed in ipso, quem peperit. Deus siquidem, (Deus enim est) quem peperit, & qui Matrem suam in cælestibus donaturus gloria singulari, in terris prævenire curavit & gratia, qua videlicet ineffabiliter, & intacta conciperet, & pareret incorrupta.

℣. Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. * Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.

℟. Joseph Filii David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea est natum, de Spiritu Sancto est. Ecce virgo.

Benedictio. Cujus festum colimus, ipsa Virgo Virginum

Le-

Lectio VIII.

DEum hujusmodi decebat nativitas, quæ nonnisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret, nisi Deum. Proinde Factor hominum, ut homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere Matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit & humilem, de qua mitis, & humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus, saluberrimumque exemplum ostensurus. Dedit Virgini partum, qui ei jam ante, & Virginitatis inspiraverat votum, & humilitatis prærogaverat meritum. Ut igitur, quæ Sanctum Sanctorum conceptura erat pariter, & paritura, Sancta esset corpore, accepit donum Virginitatis: ut esset & mente, accepit donum humilitatis.

℟. Beata Dei Genitrix Maria, templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Genuisti, qui te fecit, & in æternum permanes Virgo. Sola. Gloria Patri. Sola.

Benedictio. Ad societatem.

Lectio IX.

O Admirabilem, & omni honore dignissimam Virginem. O Fœminam singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem. Parentum reparatricem, posterorum vivificatricem. Missus est Angelus ad Virginem, virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique, qualem describit Apostolus mente, & corpore sanctam. Nec noviter, nec fortuito inventam, sed a sæculo electam, ab Altissimo præcognitam, & sibi præparatam, ab Angelis servatam, a Patribus præfiguratam, a Prophetis promissam.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiph.

SIcut lilium inter spinas, sic amica inter filias.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica*.

Antiph. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.

Antiph. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es.

Antiph. Una est Columba mea, perfecta mea.

Antiph. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt.

Capitulum. O quam pulchra est, *ut in Vesperis*.

Hymn. O gloriosa Virginum, *ut in Officio parvo B. M. V.*

℣. Specie tua, & pulchritudine tua.

℟. Intende prospere, procede, & regna.

Ad Bened. Antiph.

Sancta, & immaculata Mariæ Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, quia per te redemptorem nostrum suscepimus Dominum nostrum Jesum Christum.

Oratio. Da quæsumus, *ut supra*.

Ad horas Antiphonæ, & Oratio, ut in Laud. reliqua ut in Officio B. M. in Sabbato.

In Hymnis. Jesu tibi sit gloria.

In secundis Vesperis omnia, ut in primis.

Ad Magnificat Antiph.

Beata Dei Genitrix Maria, Virgo perpetua, Sacrarium Spiritus Sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

MISSA IN FESTO

PURITATIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Introitus.

BEata es, Virgo Maria, quæ omnium portasti Creatorem; genuisti qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.

Psal. 44. Adducentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in templum Regis.

℣. Gloria Patri.

Oratio.

DA quæsumus, omnipotens æterne Deus, ut purissimæ Virginis Mariæ integerrimam Virginitatem festiva celebritate venerantes, ejus intercessione puritatem mentis & corporis consequamur. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiæ. *Cant. 2. 10.*

EN dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, Columba mea, formosa mea, & veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra; ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge amica mea, speciosa, & veni; Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ: ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Graduale Cant. 2. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

℣. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia. Alleluja, alleluja.

℣. *Cant. 6. 10.* Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Alleluja.

Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.

Luc. 1. 2.

IN illo tempore Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph de Domo David, & nomen Virginis Maria: & ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in Mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio, & ait Angelus ei: ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipias in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis: Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei, Spiritus Sanctus superveniet in te: & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Credo.

Offertorium. Post partum Virgo inviolata permansisti, Dei Genitrix intercede pro nobis.

Secreta.

DEus, qui de Virginali Beatæ Mariæ utero unigenitum Filium tuum carnem suscipere voluisti, præsta, quæsumus, ut contra Dæmonum insidias purissimæ Virginis assidua protectione muniamur. Per Dominum.

Præfatio de B. M. Et te in festivitate purissimæ Virginis Mariæ.

Communio. Benedicta & venerabilis es Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

Postcommunio.

BEatissima Virgo Maria, quæ Spiritus Sancti habitaculum Virginitate, & humilitate fieri meruisti; intercede pro nobis apud Deum omnipotentem, ut mundi corde, & humiles spiritu, tua imitemur exempla. Per Christum Dominum nostrum.

DECRETUM.

Regni Portugalliæ, & Algarbiorum.

SAnctissimus Dominus Noster BENEDICTUS XIV. *ad satisfaciendum devotioni, quam* JOSEPH *Primus Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Fidelissimus profitetur erga Maternitatem, & Puritatem* B. M. VIRGINIS, *suprascripta Officia cum Missis accurate examinata benigne approbavit, indulsitque, ut in posterum Dominica prima Maii Officium primum, nempe Maternitatis B. M. V. ac alterum ejusdem Puritatis Dominica ultima Junii, utrumque sub Ritu Duplicis Majoris, ab omnibus tam secularibus; quam Regularibus, qui ad horas Canonicas, in Regnis Dominiis cunctisque Locis Fidelissimo Regi subjectis, tenentur, recitari, & Missæ respective celebrari possint, & valeant. Die ... Januarii 1752.*

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

A. M. Erba Prot. Apost. Pro Secr.

FAcultatem recitandi Officia, & celebrandi Missas Maternitatis, ac Puritatis B. V. Dei Genitricis Sanctissimus D. N. BENEDICTUS XIV. *vivæ vocis Oraculo, ab infrascripto accepto, benigne extendit ad Patres Lusitanos Societatis JESU Romæ commorantes. 18. Februarii 1752.*

Antonius Cabral.

SS. D. N. BENEDICTO PP. XIV.

Pro Dominiis Regis Fidelissimi.

Concessio Trium Missarum pro Defunctis in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum pro Hispaniarum Regis.

BEATISSIME PATER.

CUm Sanctitas vestra indulsisset regionibus Hispanæ, & Lusitanæ ditioni subjectis, ut in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum tres a quolibet Sacerdote Missæ dicerentur in suffragium omnium Defunctorum; dato etiam indulto, ut ad duas post meridiem horas Missæ possent celebrari, visum est multis decere, ut tres Missæ celebrandæ aliquam haberent inter se diversitatem. Ea de re Catholici Regis desideria Sanctitati Vestræ exposita fuerunt per Illustrissimum & reverendissimum Nazianzenum Nuntium Apostolicum apud prædictum Regem: Suis vero Litteris hanc etiam Missarum formam proponebat.

TRES MISSÆ PRO DEFUNCTIS

In Die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum pro Hispaniarum Regnis,

AD PRIMAM MISSAM.

Omnia prout in Missali Romano. In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

AD SECUNDAM MISSAM.

Omnia prout in Missali Romano In Annivarsariu Defunctorum *sine Sequentia* Dies iræ &c. *cum Orationibus ut infra.*

Oremus.

DEus Indulgentiarum Domine, da animabua famulorum, famularumque tuarum refrigerii sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum &c.

Secreta.

PRopitiare Domina supplicationibus nostris pro animabus famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus sacrificium laudis, ut aas Sanctorum tuorum consortiu sociare digneris. Per Dominum &c.

Postcommunio.

PRæsta quæsumus Domine, ut animo famulorum, famularumque tuarum his purgatæ sacrificiis, indulgentiam paritar, & requiam capiant sampiternam. Per Dominum &c.

In Missali hec Oratio habetur.

DEus Indulgentiarium Domine, da animabus famulorum, famularumque tuarum *quorum anniversarium dispositionis diem commemoramus*, regrigerii sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum &c.

Sic legitur in Missale.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris pro animabus famulorom, famularumque tuarum, *quorum hodie annua diet agitur*, pro quibus tibi offerimus Sacrificium laudis, ut Sanctorum tuorum consurtio sociare digneris. Per Dominum &c.

Hæc Oratio sic prostat in Missali.

PRæsta quæsumus Domine, ut animæ famulorum, famularumque tuarum, *quorum anniversarium depositionis diem commemoramur*, his purgatæ sacrificiis, indulgentiam periter, & sequiem capiant sampitcrnam. Par Dominum &c.

AD TERTIAM MISSAM.

Omnia prout in Missali Romano in Missis quotidianis Defunctorum *sine sequentia* Dies iræ &c. *cum Orationibus ut infra.*

Oratio.

DEus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, *ut animas famulorum famularumque tuarum*, quæ ex hoc seculu transierunt, Beaea Maria semper Virgine intereedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Dominum &c.

Secreta.

DEus, cajus misericordiæ non ast numerus, suscipe propitius preces humilitatis nostræ, & animabus *Omnium fidelium defunctorum*, quibus tui nominis dedisti confessionem, per hoc Sacramenta salutis nostræ, cunctorum remissionem tribue peccatorum. Per Dominum &c.

Postcommunio.

PRæsta quæsumus Omnipotens, & misericors Deus, ut animæ *famulorum famularumque tuarum*, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ obtulimus Majestati, per hujus virtutem Sacramenti a peccatis omnibus expiatæ lucia perpetuæ, te miseraate, recipiant beatitudinem. Per Dominum &c.

Sic legitur in Missali.

DEus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut *Nostra Congregationis fratres, propinquos, & benefactores*, qui ex hoc seculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervanire concedas. Per Dominum &c.

Ita legitur in Missali.

DEus, cujus misericordiæ non est numarus, suscipe propitius precas humiliatis nostræ, & *animabus Fratrum propinquorum, & benefactorum nostrorum*, quibus tui nominis dedisti confessionem, per hæc Sacramenta salutis nostræ, cunctorum remissionem tribue peccatorum. Per Dominum &c.

Ita habetur in Missali.

PRæsta quæsumus omnipotens, & misericors Deus, ut *animæ fratrum, propinquorum, & benefactorum* nostrorum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ obtulimus Majestati per hujus virtutem Sacramenti a peccatis omnibus expiatæ, lucis perpetuæ, te miserante, recipiant beatitudinem. Per Dominum &c.

Responsum vero a Sanctitate Vestra hujusmodi fuit.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Nazianzena Nuntia Apostolice. Matritum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem & Apostolicam Benedictionem.

LItaras tuas accepimus datas sub dia 18. Augusti, & ut Regis Catholici desiderio tibi per Patrem ejus Confessarium significato per nos satisfieret, quin ad ullam Congregationem remitteretur examen anneai folii, quod tibi remittimus, par nos ipsos illud expendimus. Nostrum autam judicium hæc ast. Dicimus primu, conveniens essa, ut tres Missæ pro diu Commemorationis Omuium Fidelium defunctorum concessæ aliquam habeant inter se diversitatam, secundo autem dicimus, mutationes factas in secunda, & tertia Defunctorum Missa esse adeo accidentales, ut tales videri non debeant, quæ illorum obstent permissioni. Minime autem probamus auferri e secunda, & tertia Missa Seqaentiam, sive Prosam, quæ incipit *Dies iræ*, cujus auctor fertur Cardinalis Latinus Ursinus Frangipanu ex Ordioe Prædic. qui obiit annu 1294. juxta id, quod a nobis comprobatum est in nostro Tractatu de Missa lib. a. cap. 5. nom. 18.; ut ipse probe nosti; habemus Missalis Rubricas, quæ in Missa debent observari juxta Bullam S. Pii V. & juxta id, quod fuse probat Quartus ad Rubricas Missalis Sect. a. punct. s. & seqq. Cumqua in Rubricis Missalis ad titulum *de Missis Defunctorum* legantur hæc verba: *Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & depositionis Defuncti, & quandocumque in Missa dicitur una tantum Oratio: in aliis autem Missis pro Defunctis dicitur ad arbitrium Sacerdotis*: Hinc fit ut cum dicantur duæ Missæ, de quibus agimus, *in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum*, cumqua unica in ipsis dicatur Oratiu, non possit salvis Rubricis omitti Sequantia *Dies iræ*: Quandoquidam ajus Sequentiæ lectio nonnisi leva afferat incommodum, quod satis compensatur utilitata, quæ derivat ab expositione finalis Judicii tam bene expressi in dicta compositione. Ex eo mentem nostram poteris intelligere, quam etiam nostro nomine poteris significare ca, quæ tibi videbitur, ratione. Salutem dic nostris verbis Patri Confessariu: tibique, & illi Apostolicam Benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majurem die 7. Septembris 1750. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

Qua cum ita sint, supplicatur Sanctitati vestra, ut Missarum diversitatem quatenus Regnis Hispanæ ditionis indulsit, tatenus regionibus quoque Lusitano Regi subjectis indulgere dignetur.

Ex Audientia Sanctissimi dia 12. Martii 1751.
Sanctissimus benigne annuit pro gratia juxta petita.

Joseph Livizani Secretarius.

Loco ✠ *Sigilli.*

APPEN-

APPENDIX I.

Romanorum Pontificum, Regum, atque illustrium virorum testimonia de Beato NICOLAO ALBERGATO Cardinali S. Crucis, & Episcopo Bononiensi jussu, & auspiciis BENEDICTI XIV. Pontificis Maximi nunc primum collecta, & in sex Classes distributa. Præmittitur ejusdem vita scripta a Jacobo Zeno Episcopo Feltrensi ad Fidem Codicis Vaticani recognita, Notisque illustrata, studio, & labore Constantini Ruggerii.

PRÆFATIO.

I. Operis occasio.



BEATUS NICOLAUS *Cardinalis Albergatus tanta virtutis; ac sanctimoniæ fama ævo suo floruit, tantosque labores pro Sancta Dei Ecclesia suscepit, exantlavitque, ut omnes illorum temporum Scriptores amplissimis monumentis sanctissimi Viri memoriam consecrarint. Hinc cum Eminentissimos Patres, qui Sacris Romanæ Ecclesiæ Ritibus præsunt, certiores nunc reddere oporteat de perenni sanctitatis fama, deque cultu Beato Viro hactenus exhibito; SS. D. N. BENEDICTI XIV. Pont. Max. imperio nutuque, veterum, ac recentiorum Scriptorum lucubrationes evolvimus, eorumque testimonia descripsimus, eo plane consilio, ut debiti cultus honores ab Apostolica Sede illi in posterum decernantur.*

II. Garnefelti labores.

Hujusmodi tamen spartam superioris sæculi initio adornavit Fr. Georgius Garnefeltus Carthusianus Coloniensis ad calcem trium Scriptorum, qui B. Viri res gestas literis mandarunt, ubi sedecim Virorum illustrium testimonia de vita, ac rebus gestis B. Nicolai in lucem protulit. Verum cum post Garnefelti obitum tot XV. sæculi monumenta eruditorum Virorum ope typis edita fuerint, aliaque non pauca illius diligentia effugerint; res adeo crevit, ut ne rudis, indigestaque moles, *collectio hujusmodi Eminentissimis Patribus videretur; optimum esse duxi eandem peculiari ordine disponere, nempe juxta personarum dignitatem, ac diversas Scriptorum Nationes, ea potissimum de causa, ut omnium peræque gentium suffragio admirabiles B. Nicolai virtutes elucescant.*

III. Operis ratio. Romanorum Pontificum testimonia de B. NICOLAO.

Sex igitur Classibus nostra hæc constat collectio. Ordinem ducunt Romani Pontifices Martinus V., & Eugenius IV., quorum alter sanctissimum Virum sacro Purpuratorum Patrum Senatui adscripsit, alter vero amplissimas, ac difficillimas Legationes obire jussit. Horum Epistolæ ex authenticis Regestis, quæ in sanctiori Romanæ Ecclesiæ Tabulario extant, jussu, & auspiciis SS. D. N. descriptæ, ac recognitæ fuerunt. Selectiores tantum edere nunc placuit, ne nimia voluminis mole lectori fastidium ingererem; ideo, & breves notas illis subjeci; ut ejus laborem aliqua in parte minuerem. Eugenio succedit Pius II., qui ex illius schola, & contubernio prodiit, quique luculentissimis testimoniis magistri sui memoriam ornavit, consecravitque. Tandem Romanorum Pontificum agmen claudit SS. D. N., qui in præstantissimo opere de Servorum Dei Beatificatione, & Canonizatione B. Nicolai Civis sui virtutes, ac perennem sanctimoniæ famam, non paucis, iisque gravissimis argumentis confirmavit.

IV. Regum, aliorumque testimonia.

Romanos Pontifices excipiunt, Carolus VII. Francorum, & Henricus VI. Anglorum Reges, qui B. Nicolaum Apostolicæ Sedis Legatum magnifico sæpe hospitio exceperunt, eximiarumque illius virtutum oculatissimi testes fuerunt. His tandem succedunt Scriptores Itali, Galli, Belgæ, Germani, atque Britanni, quorum nomina sequenti Catalogo mox dabimus.

V. Præmittitur vita B. Nicolai scripta a Jacobo Zeno.

His omnibus vitam B. Viri a Jacobo Zeno scriptam præmittere operæ pretium esse duximus, ut luculentissimo tanti viri testimonio, qui B. Nicolaum impense coluit, eumque Florentiæ apud Pontificem degentem sæpe invisit, admirabiles ipsius res gestas, quas Scriptores a nobis recensiti confuse, & permixte narrant, servato temporum ordine lectorum oculis subjicerem. Hujusmodi vitam omnium primus vulgavit Georgius Garnefeltus Carthusianus Coloniæ anno 1618.; eamque postmodum Godefridus Henschenius novo ordine digestam edidit Tom. II. Maii Bollandiani pag. 469. Nos ipsam cum veteri Codice membranaceo Bibliothecæ Vaticanæ num. 3703. contulimus, ac menda aliquot sustulimus, quæ in priores editiones irrepserant. Hujusce codicis præstantia ex eo potissimum dignoscitur, quod Petri Barbi Cardinali Sancti Marci, qui postea fuit Paulus II. insignibus ornatus sit, auro minioque depictis: unde colligere juvat hunc eundem Codicem esse, quem Zenus Cardinali prædicto dono obtulit.

VI. Zeni elogia.

Jacobi Zeni vitam, & res gestas narrant Ferdinandus Ughellus Italiæ Sacræ Tom. V. pag. 194. 350. & 458. in Episcopis Bellunensibus, Feltrensibus, & Patavinis. Jacobus Philippus Thomasinus in Commentario de Gymnasio Patavino, Libro IV. pag. 392. 396. Nicolaus Comnenus Papadopolus in Historia Gymnasii Patavini lib. I. sect. II. cap. XX. Vir Cl. Ludovicus Antonius Muratorius in Præfatione ad vitam Caroli Zeni, quæ extat Tomo XIX. Scriptor. Rer. Ital. pag. 199., & demum Eminentissimus Quirinus in Epistola III. ad BENEDICTUM XIV. PONT. MAX. pag. 96.

VII. Scriptores vitæ B. Nicolai sæculo XV. & XVI.

Præter Zenum B. Nicolai vitam, & res gestas eodem sæculo scripsere Poggius Florentinus in Oratione funebri, Vespasianus Florentinus, Arnoldus Bostius Carmelita in Commentario de Viris illustribus Ordinis Carthusiensium, & Petrus Dorlandus, quorum

lucubrationes in hanc Collectionem retulimus. Sæculo XVI. in eodem argumento versati sunt Angelus Massarellus Septempedanus Sacri Tridentini Concilii a secretis (cujus opus MS. vidit Joannes Antonius Victorius Bononiensis) & summus vir Carolus Sigonius, qui suum commentarium Gabrieli Paleotto S. R. E. Cardinali amplissimo inscripsit. Hunc edidit Georgius Garneseltus, ac post ipsum Godefridus Henschenius Tom. II. Maii Bollandiani pag. 477. His jungendi sunt Hieronymus Garimbertus Episcopus Gallesii, Alphonsius Ciacconius, & Petrus Sutor, quorum testimonia suo loco edidimus.

VIII. Scriptores XVII, & XVIII sæculi. Itali, Galli, & Germani. *Seculo XVII. B. Nicolaus quamplurimos vitæ suæ Scriptores nactus est, inter quos eminent, ex Italis Celsus Falconius, Ferdinandus Ughellus, Bonaventura Cavallus, Gaspar Bombasius, Ludovicus Mangius, & demum Jo. Antonius Victorius Bononiensis, qui meo quidem judicio superiorum Scriptorum labores, ac diligentiam longe est prætergressus. Opus hujusmodi lucem nondum aspexit, sed MS. extat in Bibliotheca domestica SS. D. N. Ex Gallis non pauci hoc eodem sæculo B. Nicolai res gestas perscripsere, ac præ ceteris Ludovicus Donius de Attichy Episcopus Æduensis in libello cui titulus* Idea Perfecti Præsulis in vita B. Nicolai Albergati Cardinalis, *& in Floribus Historiæ Sacri Collegii Cardinalium, Antonius Aubery, Joannes Collart in notis ad Diarium Antonii Tabernæ, Antonius Feideau in vitis Sanctorum Tom. II. pag. 324. Hadrianus Baillet in Sanctorum vitis Tom. II. pag. 178. edit. primæ in fol. Nostro quoque sæculo Scriptores vitæ B. Nicolai non defuere: habemus enim Georgium Josephum Eggs Germanum, qui in Purpura docta Tom. III. n. XIV. pag. 66. B. Viri res gestas fusius recensuit, & Jacobum Lenfant ex Calvinianorum grege, qui Tom. I. pag. 375. Historiæ Belli Hussitici, & Concilii Basileensis egregia Nicolai facinora merito ornat encomio.*

Hæc fere sunt quæ præfari constitueram; sed nunc venit in mentem recordatio summorum Virorum, quorum præsidiis fretus hanc collectionem adornavi. Commemorandus in primis est SS. D. N. BENEDICTUS XIV. PONT. MAX., cujus imperio non modo Bibliothecæ, & Tabularii Vaticani Codices evolvendi potestas mihi data est, sed ex domestica ipsius Bibliotheca lectissimis, atque optimis Codicibus instructa, non pauca in rem nostram congessi. Auxit SS. D. N. munificentiam Excellentissimus Princeps AUGUSTUS GHISIUS, cujus e Bibliotheca rarissimis Codicibus ornata Eugenii IV. Epistolas quasdam descripsi. Neque parte sua nobis defuerunt Eminentissimi Viri DOMINICUS Cardinalis PASSIONEUS, & PROSPER Cardinalis COLUMNA; quorum alter quotidianum celeberrimæ Bibliothecæ suæ usum humanissime mihi præbuit, alter vero rariores quosdam libros ex amplissima Barberinorum Principum Bibliotheca mihi suppeditare dignatus est. De his te monitum volui, Lector benevole, ut lucubrationem nostram, quantulacumque sit, æqui bonique consuleres. Interim vale.

APPROBATIONES.

JUssu Reverendiss. Sacri Palatii Apostolici Magistri legi, & diligentissime perlustravi Librum cui titulus: *Romanorum Pontificum &c. Testimonia de B. Nicolao Albergato Cardinali S. Crucis*. In eo nihil Catholicæ religioni, bonisque moribus absonum reperi, quin immo, cum de tanto viro undique conquisita testimonia, & egregio ordine disposita examinaverim, optimo, ac pene dixerim divino sapientissimi sanctissimique Pontificis D. N. BENEDICTI XIV. consilio factum puto, si ad universæ Ecclesiæ utilitatem publici juris fiant, iisque exemplo sint, qui pro Christiana Republica munia obeunt. Illud vero præ cæteris optandum est, ut B. Nicolai cultus, quo ipsum Bononiensis Ecclesia, & pleræque aliæ sacro ritu prosequutæ sunt, Apostolica auctoritate probetur, & universæ Ecclesiæ venerandus proponatur vir summus, in quo certatim amicuere virtutes omnes, quarum singulas hæc monumenta eo perspicuae referent, ut quisque possit ipsius tamquam in speculo vitam, sanctissimosque mores intueri. Romæ die 30. Aprilis 1744.

Lucas Nicolaus Recchus.

LEgi animo imprimis attento *Testimonia Romanorum Pontificum &c. De B. Nicolao Albergato S. R. E. Cardinali, & Episcopo Bononiensi*. Vix quamquam fuisse hactenus hominem arbitror, qui vivus, & post mortem a tot viris, tanta dignitate, & sapientia tot laudibus, suo quidem merito, celebraretur. Itaque admiratus sum B. Cardinalis pietatem, castitatem morum, singularemque vitæ integritatem, incredibilemque in impeditis, difficillimisque rebus gerendis, expediendisque prudentia. Magna horum monumentorum pars in pluteis bibliothecarum delitescebat. At delituissent illa quidem etiamnum, nisi BENEDICTI XIV. PONTIFICIS MAX. jussu collecta essent, & illustrata. Nempe id nostræ ætati concessum est, ut is Ecclesiæ præsit, qui cum eximia eruditione, sapientia, virtute præditus sit, nihil omittit eorum, quæ ad decus Christiani nominis, virorumque summorum amplitudinem conferunt. Qui vero exterorum dignitatem tuetur, studetque reddere illustriorem, is profecto ferre non poterat, ut cives sui viri optimi merita, laudes, præclareque gesta laterent. Speramus autem fore, ut qui Pontifex vulgari hæc voluit, curet omni ope, ac diligentia, ut Beati Nicolai memoria ritu Christianorum colatur. Ita censeo. Romæ in Cœnob. Minerv. Prid. Kal. Majas.

F. Thomas Maria Mamachius O. P. S. Theol. Profess.

Ad Reverendissimum Patrem, & Dominum Dominum Petrum Barbo S. Marci Presbyterum Cardinalem in vitam præstantissimi Cardinalis Sanctæ Crucis Jacobi Zeni Feltrensis, & Belluensis Episcopi

PRÆFATIO.

I. QUANTAM vim vel virtus, vel opinio, fidesque virtutis apud potissimum bene institutum animum habeat, Reverendissime Pater, etsi pleraque alia documento sint; tamen ex hoc vel maxime intelligi posse mecum ipse sæpenumero cogitans animadverti, quod ita homines ad amorem alliciat, benevolentia, admirationeque devinciat, ut illos, qui quoquo pacto ea præditi forent, non amare solum, sed colere, ac venerari atque etiam, ingenito nobis quasi quodam jure naturæ fere necessario compellamur. Tanta enim ejus auctoritas, tanta dignitas, tanta suavitas, pulchritudo est, ut tametsi corporeis illam oculis cernere non liceat, mente tamen, & animo in iis ipsis humanis corporibus, quasi in vasis quibusdam, & officiis, non sine jucunditate contemplemur, eosque & veneratione, & honore dignos, & benemeritos censeamus, quos illam sequi, & amplexari judicaverimus.

Zenus Florentiam venit ad Eugenium IV. Pont. Max. ibi moratum, B. Nicolaum invisit, eumque impense coluit ob admirabilem virtutum, ac Sanctimoniæ famam.

Hoc cum sæpe alias & ratione, & experimento didiceram, Reverendissime Pater, tamen maxime omnium eo potissimum tempore, cum persoluto studiorum, laborumque meorum cursu, ad quæ pene puer accesseram, ad felicis recordationis Eugenium IV. (a) Summum Pontificem, Avunculum tuum per id temporis Florentiæ considentem adolescens me contuli. Cum enim quamplurimos præstantissimos patres, quorum quidam ad meliorem vitam evocati sunt, quidam adhuc & in humanis nobiscum agunt, eo in loco apud Pontificem comperissem, inter omnes tamen piæ semper, & celebrandæ memoriæ *Nicolaum illum S. Crucis Cardinalem, ita propter summam virtutis, & Sanctitatis opinionem*, singulari, & præcipua quadam sum observantia, & veneratione complexus, ut me illi totum non devotissime dedicare non possem. Sic enim, ut præclare nosti, *Vir ille Deo plenus, quasi splendor omnis virtutis, & Sanctimonia præfulgebat, ut decus, & ornamentum Ecclesiastici ordinis, & cleri verius esse merito videretur*. Neque profecto omnium, quæ ad virtutem, & sanctam exemplaremque vitam attineant, dici quicquam, aut excogitari poterat, quod non esset in eo accumulate congestum. *Religio, fides, pietas, doctrina, integritas, humanitas, prudentia, Sanctimonia, charitas, patientia*, omnia sese catervatim effuderant, & in Nicolai anima, tamquam in case potissimo, & electissimo collocarant.

III. *Tanta virtutum ac Sanctimoniæ fama toto Orbi notus erat.*

Quantum vero ipse virtutis fervens zelator esset, hominumque illam excolentium indefessus fautor, & amator; Ecclesiæ, Pontificis, Ecclesiasticæque salutis validissimus clypeus, & propugnator existeret, quis facile verbis poterit explicare? itaque merito tanti nominis, tantæ apud omnes auctoritatis erat, ut *nihil dignius, quam de sua vita, Sanctitate, virtute per universum terrarum orbem prædicari, & celebrari posses*. Neque enim Christianos modo populos ejus laudis, nominis, gloriæ fama compleverat, sed ad barbaras etiam, & exteras, gentilesque nationes illius veræ, solidæque virtutis vox, & constans opinio penetrarat. Quanti vero illum præstantissimus Pontifex faceret (b), quanti Patres existimarent, quantum universa curia coleret, ac veneraretur, quis ignorat? *Cum nihil pretiosus in omnium posset ore versari Sancto Nicolai Nomine*; potissimum autem inter reliquos animadverti te maxime omnium, Reverendissime Pater, pro optima, & excellenti natura tua, innataque tibi, & ingenita humanitate, ac pietate præstantissimum illum Patrem usque adeo amare, colere, observare, ac etiam venerari solitum, ut tametsi dignitate illi esses, & officio par (quippe quem Eugenius Pontifex jam ad Cardineum apicem bene merentem extulerat) ut tamen illum, ut parentem unicum summa veneratione complexus, ipsius virtutes imitari, laudes vero celebrare satiari non posses.

Paulus II. tunc Cardinalis B. Nicolaum præcipue colebat, ac venerabatur.

IV. *Zenus B. Nicolai vitam scribere aggreditur: Thomas Sarzanensis postea Nicolaus V. Pont. Max. illi præcipuas B. Viri res gestas narrat.*

Quæ cum ita essent, ego & illius singulari virtute, & tuo etiam non mediocriter provocatus, & pellectus exemplo, cum in modum ipsius Nicolai pii Patris memoriam ex eo tempore quasi adamantino clavo cordi semper infixam, & insitam gessi, ut etiam post illius obitum meo nunquam ex pectore Nicolaus excesserit: accessit ad hoc quoque familiaritas non vulgaris, quæ mihi aliquandiu cum *Thoma Theologo præstantissimo fuit*, quo cum officii publici ratione, & opinione virtutis sum diutius benevolentissime conversatus: me siquidem, ut bene nosti (cum auctor ejusce rei, ut reliquorum bonorum meorum fueris) Eugenius Pontifex te directore, & suasore in subdiaconatus officio, quod per ea tempora dignius habebatur, collegam illi, & comitem dederat. Is enim *Thomas* (qui ab ineunte ætate, & teneris unguiculis *apud Nicolaum ipsum enutritus, & educatus*, secretorum omnium particeps, & conscius erat) assidua suarum commemoratione, & prædicatione virtutum, me in illius dedicatissimam observantiam non confirmavit solum, verum etiam vehementer adauxit. Nam sic ille mihi ejus vitam, mores, res gestas, seriosius explicabat, ut neque ipse dicendo, neque ego audiendo defatigari, & satiari possemus, nullaque fere præteriret dies, in qua de Nicolai Sanctimonia a nobis studiosissimus sermo non fieret; adeo pariter pietate, & observantia certabamus. Et quoniam hominis memoriam labilem, & infirmam esse sciebam, tam præclaram vero excellentium rerum cognitionem obliterari, & oblivione deleri prorsus indignum existimabam, operam studiosam adhibui, ut quæ ab eo de Nicolai vita, & moribus accepissem, literis commendarem, ut saltem apud me præsentia, & recentia semper Nicolai præclara monumenta vigerent; in eum modum brevi effectum est, ut omnium fere, quæcumque de Nicolao memoratu digna referri possent, recens apud me cognitio foret.

V. *Petro Cardinali Barbo opusculum suum Zenus inscribit, ob præcipuum illius studium erga B. Nicolaum.*

Itaque cum mecum ipse sæpenumero, & alias antea, & hoc potissimum tempore, hæc ipsa a me de Nicolai vita, rebusque gestis perscripta, non sine ingenti fructu, ac summa jucunditate perlegerem, & sæpe quoque veniret in mentem, quantum tu illi devotissimus extitisses, rem tibi gratam fore putavi, Reverendissime Pater, si ea tibi etiam efficerem, redderemque communia, ne solus ea voluptate fruerer, quæ tibi quoque omni jure, & officio deberetur. *Quamobrem singula quæque, ut mihi a Thoma relata sunt*, ordine digesta studiosius enarravi, & ad te, qui vivum tanta pietate, & observantia coluisses, merito quoque dedicanda censui; eo enim tibi etiam graviora fore arbitratus sum, quod hæc a Thoma ipso, qui tanta te pietate, & charitate Pontifex dehinc Maximus complexus est, cujus insignis apud te potissimum Pontificis auctoritas valuit, quasi a fœcundissimo fonte manarint; ita ut hæc legens, *Thomam ipsum (qui Nicolai ab hoc Nicolao sumpsit nomen)* legere, atque intueri non sine pietatis affectione videare. Nam quod ad me attinet, nihil abs re mihi deferendum, nihil attribuendum puto, cum ita tibi sim omni officiorum, & beneficiorum genere, & sanguinis jure devinctus, ut meipsum, & mea omnia dedicans, tibi obsequi, & morem gerere dignitati tuæ dies, noctesque defatigari non debeam. Legere itaque Sanctissimi Cardinalis historiam, Reverendissime Pater, solita tua clementissima pietate dignabere, & quemadmodum nobilitate morum, & generis, generositatem animi, insigni prudentia, misericordia, ac pietate, clementiaque potissimum, & benignitate singulari, omnique virtutum genere plurimum præstas; ita in me amando, atque tuendo, quo nihil in humanis mihi carius esse potest, & te ipsum, & reliquos omnes excedas, & superes supplici obsecratione, & incessabili deprecatione deposco. Vale Fœlix.

De vita & moribus BEATI NICOLAI ALBERGATI *Cardinalis Sanctæ Crucis*.

I. *B. Nicolai genus, patria, parentes, ac literarum studia in adolescentia.*

INter reliquas Bononiæ Urbis familias præstans satis & clara haberi solita est (c) Albergatorum Stirps, eo potissimum, quod viros divinarum, humanarumque rerum doctissimos, & Jurisconsultos celeberrimi nominis quamplurimos in lucem eduxerit. Ex ea Nicolaus traxit originem, patre (d) Petro Nicola, matre vero Phi-

---

(a) Eugenius Florentiam venit A. D. 1434. IX. Kal. Julii, teste Odorico Raynaldo ad eundem annum § 10. B. Nicolaus mense Martio hujus anni Florentiæ adhuc morabatur. Vide Anonymum Florentinum Class. III. num. XV. pag. 156.

(b) De summo Eugenii Pontificis studio erga B. Nicolaum vide ejus epistolam V. Poggium in Oratione §. XI. Æneam Sylvium class. III. §. IV. ubi narrat Eugenium illius precibus Bartholomæum Vicecomitem Episcopum Novariensem, qui insidias in Pontificem struxerat, capitali judicio liberasse, quod etiam confirmat Blondus Decad. III. Lib. VI.

(c) Albergatorum Familiam, & generis nobilitate, & illustribus viris, qui ex ea variis temporibus prodierunt, plurimum polluisse luculentissime demonstrat Sigonius in Vita B. Nicolai Cap. I.

(d) B. Nicolaus natus est anno 1375. teste Sigonio. Petrum Nicolam illius Patrem laudat Auctor Historiæ Miscellaneæ, Philippam illius matrem a domo Chiopetta fuisse dicit Celsus Falconus Libro V. pag. 436.

Philippa. Quem cum primis elementis instituendum, atque informandum, vix ubi ex cunabulis excessit, parentes exhibuissent; ut in iis, quantum satis esse visum est, profeceret, civilibus studiis (quæ peculiari quondam jure plurimum in ea urbe vigent) adhibere operam voluerent. Accessit autem ad ea circiter ad xi. ætatis annum persistitque diutius. Ad novem etenim continuos annos juris civilis auditor fuit; magnamque virtutis, atque doctrinæ etiam in ea ætate spem præstitit.

II. Relicto Sæculo Carthusianorum institutum profitetur. Variis Religionis muneribus sancteque fungitur, magnaque sanctimoniæ fama pollet.

Cumque jam & ingenio, & moribus, & civilibus disciplinis usque adeo claresceret, ut decorandus pro studiorum præmio singulari laurea videretur; ipse contemptis humanis omnibus, relictis civilibus studiis, neglectis honoribus, parentibus, divitiis, re familiari non magni æstimata, Deo immortali sese totum dicavit, & vovit, Religionemque ingredi, ac regularem deinceps ducere vitam constituit: est siquidem Bononiæ paulo extra urbis portas Carthusiense Monasterium loco satis grato situm. Hoc Nicolaus cum assiduus frequentaret, captus monasticæ, & solitariæ vitæ præstantia, ubi consulens saluti suæ Deo immortali serviret, potissimum elegit. Itaque religioso (a) habito sumpto (peractis iis, quæ religio observat, moribus) *aliquot annos in ea omni humilitate, abstinentia, & sinceritate vitæ persolvit; verum ubi perfecta, & explorata est virtus, prudentia, & sanctimonia morum*, qui in religione præsidebant, ad religiosas Nicolaum dignitates extulerunt: pluribus (b) illum pro temporum varietate Monasteriis præfecerunt; ita ut integrum decennium nunquam hujusmodi præfectura caruerit, magistratusque illos eum in modum administravit, *ut in religione, & in populo nihil divinius prædicari posset Nicolai nomine*. Erat enim ipse sanctissimorum operum patrator, & prædicator, plurimosque ad religiosam sanctam vitam, & divina ministeria, suasione sua, & exemplo pertrahebat, humilitatem summam, & abstinentiam asperrimam præseferebat, & omnino a secularibus, terrenisque rebus abdicatus, ad sola cælestia, & divina volabat; venerabantur illum simul, & admirabantur cives omnes, felixque esse ille videbatur, qui hujus perfrui consortio, aut doctrina refici potuisset.

III. Bononiensem Episcopatum a Civibus sibi ultro delatum respuit, illumque tandem Prioris generalis jussu accipit.

Accidit autem, ut circiter eo tempore, qui Bononiensibus Episcopus præerat, (c) fatalem diem suum obiret; quare coacti cives cum clericis, & Ecclesiasticis omnibus Nicolaum sibi Præsulem, & Pontificem delegerunt. Cumque illi electionis suæ decretum attulissent, prostratus in terram Nicolaus, (d) ne se quiete, & pace sua privarent, rogare, & obsecrare cœpit: imparem se omnino tanto oneri, inexpertum, imperitum, indignissimum esse. Illis vero magna vi, omni prece, atque suasione, ut electioni de se factæ annueret, exhortantibus, nullo tamen pacto adduci potuit, ut morem gereret. Sed quanto illi ardentius insistebant, tanto ipse obstinatius recusabat. Per hunc modum, cum integrum semestre Bononiensis Ecclesia Pastore desolata jaceret, illis neminem nisi Nicolaum volentibus, eo autem constantissime detrectante, novas tandem artes cives excogitarunt, ut desiderio potirentur, operamque adhibuerunt, ut qui in ea Religione maxima auctoritate præstabant, quibus imperandi potestas erat, illi ex auctoritate præcipientes, Nicolaum, (e) obedire compellerent. Quibus cum non parere non posset, curam Bononiensis plebis assumere, & Episcopus esse coactus est.

IV. B. Nicolai legatio ad Martinum V. Pont. Max. Mantuæ degentem S. P. Q. Bononiensis nomine. Honores a Pontifice ipsi delati. Ejus reditus in Patriam. Pastoralis sollicitudo, caritas in pauperes, ac religiosa vivendi ratio.

Per ea vero tempora Patres Constantiæ Concilium celebrabant, quo tandem persoluto, cum Martinus ejus nominis V. Pont. Max., qui ad Romanam Sedem adsumptus erat, in Italiam venisset, Bononienses Nicolaum (f) ad Pontificem congratulatum ire voluerunt. Profectus itaque Mantuæ Martinum considentem invenit. Cui cum solitam reverentiam exhibuisset, & populi sui mandata exposuisset, in magno honore a Martino habitus est; commorandi enim locum in palatio, quo habitabat, Nicolao dedit, & ex ærario Pontificio necessaria subministravit, multisque ornamentis affecit, literasque Apostolicas super Episcopatu libens dedit. Absolutis autem, quæ opportuna erant, cum Mantua abscedens Bononiam venisset, suarum ovium aliquandiu (g) quietam curam egit; *erat autem in egenos inopesque piissimus, neminem vacuum abire patiebatur*, neque solum satis erat illi, iis, qui petituri advenirent, elargiri, sed per urbem assidue perquisitis necessaria ministrabat; in divinis vero ministeriis, obsequiisque accurato semper, & indefesso studio versabatur, *videbaturque religiose, & abstinentissime, quippe, cum illam, quam instituerat, Carthusiensium vivendi ritum ad extremum usque semper integerrime conservavit*.

V. Ejus altera legatio ad Pontificem Ferrariæ morantem civium factionum causa peracta.

Verum non diutius, ut parta quiete perfrueretur, illi permissum est. Nam paulo post cum Ferrariam Martinus venisset, (h) iterum ut ad Pontificem accederet, voluerunt. Siquidem Bononienses Martini mentem, atque animum formidabant, curabantque omni arte, ne in illius liberam potestatem declinare cogerentur. Martinus vero nihil prætermittebat, quo abalienatas sibi illorum mentes conciliaret, urbemque in fidem redigeret; Bononiam venturum enim se, atque diutius ibi mansurum, optimaque præstaturum conditiones pollicebatur. Illi vero durioribus, asperioribusque in dies animis esse videbantur. Quare cum aliquandiu eam ob rem Ferrariæ consedisset, nullaque compositione Bononientium animos conciliare posse videret, desperatis fere jam rebus, Ferraria discedens, Florentiam venit ea mente, ut vi, & armis rebellantes, protervosque Bononienses perdomitaret; potissimumque Bononiæ ad eos dies excitatæ rerum novitates erant; Zambeccarii quippe Canetulos (qui sunt alterius factionis) orbe expulerant, totaque intestino dissidio civitas fluctuabat; quarum rerum spe adductus Pontifex, facile confidebat, posse urbem redigi in potestatem.

VI. Beatus Nicolaus Florentiam ad Pontificem proficiscitur civium suorum nomine legatus. Martinus eum benigne excipit, eique occultas literas tradidit.

Bononienses vero, & qui alteram factionem detrectarant, & qui bellum inferri a Pontifice pertimescebant, rursus Nicolaum (i) Florentiam ad Pontificem mittere decernebant. Nicolao vero minime quidem ea sententia probatur; dicebat enim se vereri, ne a Pontifice, qui omnes curas in recuperanda Bononia locavisset, quicquam indiceretur, quod & servare cogeretur invitus, & servatum orbi detrimentum afferret; non se tantum de Pontificis amore confidere, quin longe arbitretur ejus urbis consecutionem illi esse cariorem; itaque ne se mittant, obsecrat: suspicari enim pœnitentiam hujusce rei affuturos eos fore, quod quamnam in partem res verterentur, intelligat. Sed cum illi e contra obstinatius insisterent; & intelligere se ea his Nicolaum factioni suæ minus amicum esse jactarent, eo quod bis ad Pontificem, priusquam adversarii orbe pellerentur, accessisset, nunc obstinate recusaret, hujuscemodi pleraque infestis orationibus iterarent; tandem parere coactus, tres ex primoribus Urbis civibus dari sibi consodales expetit. Profectus ergo ad Pontificem, quæ injuncta fuerant, exposuit, remque civium suorum omni fide, ac diligentia egit. Martinus hoc extremo Nicolai adventu in optimam spem rei perficiendæ erectus, tale aliquid machinatur: interdicti literas clam expediri jubet: Nicolao ad se convocato, gravissimo, & exactissimo imperio mandat, ut e vestigio, nullibi tracta mora, Bononiam proficiscatur, literasque illas cum primum Bononiæ constiterit, populo Bononiensi exhibeat, caveatque, ne quid in iis inscriptum sit, priusquam Bononiæ constiterit, legat. Hæc ut omnino quamprimum exequatur, obstrictissime, atque obnixissime jubet; pœnas insuper, ni paruisset, adjungit. Nicolaus tam gravi devinctus imperio, quamquam quid esi forte, quidve deferrent literæ, conjectura consequeretur; facere tamen nullo pacto poterat, quin Pontifici Martino, cui omnia debebat, tam obstricte potissimum imperanti, non obtemperandum duceret.

VII. Bononiam reversus interdicti sententiam promulgat Pontificis jussu. Cives, seditione facta, insidias ipsi struunt; quare mutatis vestibus Florentiam ad Carthusienses perfugit.

Itaque Bononiam accedens, coactis, qui eam in rem evo-

(a) Religionem ingressus est anno 1394. ætatis xx. Occasionem vero cur B. Vir Carthusiense institutum professus est, ex antiqua Carthusiensium traditione narrat Sigonius Cap. 1. §. 2.

(b) Poggius in Oratione §. II. meminit solius Bononiensis, Sigonius etiam Florentinæ, Garoefeltios Romanæ, & Mantuanæ, eumque Ordinis Procuratorem Generalem fuisse dicit. Gameteltum delcriaunt Donius, Caballus, aliique. *Henschenius*. Dum Florentinæ Carthusiæ Prior esset, Canonicos Regulares Lucenses Monasterio pulsos restitui curavit anno 1402. Vide Gabrielem Penottum class. III. §. xxvi.

(c) Nempe Joannes filius Michaelis Bononiensis S. Proculi Abbas, qui a vita migravit Anno Domini 1417. die 3. mensis Januarii, teste Ferdinando Ughello Ital. Sacræ Tom. II. pag. 38.

(d) B. Nicolaum Episcopatum sibi oblatum respuisse affirmant testes contemporanei, Poggius in Oratione §. III. Auctor Historiæ Miscellaneæ, & Hieronymus de Bursellis.

(e) Bartholomæus Senensis veterem Chartam exhibet ex Archivo Carthusiæ Montellanæ depromptam, quæ Zeni narrationem mirifice confirmat.

(f) Martinus V. Mantuam venit A. D. 1419. mense Februario, teste Odorico Raynaldo ad hunc annum §. 1. 2. 3. Hanc B. Nicolai legationem ad Pontificem describit Ghirardaccius Hist. Bonon. Tom. II. pag. 621.

(g) Pastoralem B. Nicolai curam rigidamque vitæ rationem merito extollunt S. Antoninus, Poggius in Oratione, Auctor Hist. Miscell. & Cherubinus Ghirardaccius loco citato pag. 620.

(h) Secundam hanc B. Nicolai legationem ad Martinum Pontificem Ferrariæ degentem fuse describit Ghirardaccius pag. 623. eumque die vi. Februarii anni 1419. Bononiam profectum dicit. Martinus Ferrariam venit die viii. ejusdem mensis; ibique B. Nicolaus quasdam pacis conditiones civium suorum nomine a Pontifice impetravit; quas Italice redditas edidit Ghirardaccius pag. 623. 624., & seqq. Hujusce pacis conditiones memorat idem Pontifex in Epistola prima ad B. Nicolaum.

(i) B. Nicolaus Bononia discessit Florentiam petens die vi. Martii anni 1420. Itineris, & legationis comites habuit, Petrum Aristotilem, & Petrum Rigi Felsini patritios Bononienses. Vide Histor. Miscellaneam class. III. Bononiensis seditionis historiam narrant Ghirardaccius Tom. II. pag. 632., & seqq. Sigonius in vita B. Nicolai Cap. II. §. II.

evocandi erant, Pontificis mandata persolvens, literas adidit, Pontificis jussa complevit. Tum vero exardere (*a*) in eum omnium animi, excitari voces, proclamitare universi, fremeraque in Episcopum suum dentibus, manibusque cœperunt; in eumque furoris impetum, sævamque rabiem proruperunt, ut in illius visam, caputque conspirarent. Re igitur inter eos composita, plerique ex civitatis principibus ad Pontificales ædes profecti, satellites una trucidandi Nicolai gratia, carnificesque duxerunt: cumque in hujusce causæ sermones gravissimos incidissent, literas ex Præsulis manibus diripientes, in illum impetum effecerunt. Ex iis tamen, qui dedita hanc ad rem opera carnifices venerant, nemo in illum manum injicere ausus est, tantusque illos terror invasit, ut nihil omnino violentum experiretur; literæ vero Pontificales ab iis, qui ex Nicolai familia aderant, recuperatæ, reque infecta inde digressum. At Nicolaus tam temerario, & sacrilego sceleratissimorum hominum ausu perterritus, saluti suæ, ut prudentem decet, consulendum existimavit. Itaque ut primum illuxit dies, commutatis vestibus ignotus urbe digressus, Florentiam venit (*b*), & Carthusiense cœnobium, quod ad duo millia passuum urbe abest, plerosque menses incoluit. Interdictum tamen Bononiæ recte servatum est, integromque semestre nihil religiosum ea in urbe publice celebratum. Martinus autem Summus Pontifex, exercitu comparato, Bononiam vi, & armis occupandam arbitratus, legatum exercitus Gabrielem Condulmarium Venetum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem præfecit. Is est, qui post Martinum Summus Pontifex fuit, qui optimo exercitu, & valida manu Bononiam adortus, non magno illam tempora in Ecclesiæ, Pontificisque redegit potestatem. Quare cum urbe in fidem accepta, Martinus illi Sancti Eustachii Cardinalem, præsidem, gubernatoremque dedisset, cum eo Nicolaus Bononiam venit, aliquandiuque propria in præsulatus Sede quievit.

VIII. Martinus Pontifex ipsum in Gallias legat ad pacem componendam inter Carolum VI. Francorum, & Henricum V. Anglorum Reges.

Cæterum, cum per ea tempora asperrimum bellum Gallos inter, & Anglos diutissima viguisset, quod maximas quidem calamitates, clades innumeras, cædes, depraedationes, direptiones urbium, regionum, atque agrorum devastationes, & plereque hujuscemodi, quæ bella parere solent, in dies majora, gravioraque pariebat: nec ad eam diem ulla diuturna pace tam atrox dissidium sedari poterat; Pontifex (*c*) Martinus, ubi vir idoneus ad perficiendum tam difficile pacis opus perquireretur, etsi penes se omnifaria excellentia præditos quamplurimos haberet; tamen quod in *Nicolai summa virtute, atque integritate* fides illi erat amplissima, eum, quamquam Bononiæ residentem, potissimum elegit, quem ad eam per ea tempora permaximam destinaret. Nicolaus cognita Pontificis maximi sententia, literis quoque, & mandatis acceptis, tametsi jucundius curam suarum ovium exercere maluisset, cum tamen facere nullo pacto posset, quin principi humanorum omnium obtemperaret; ut jussus a Pontifice fuerat, in Gallias pacis pertractandæ gratia profectus est: Remque gravem, & fere desperatam adortus, miris difficultatibus, itineribus, periculis, perturbationibusque innumeris diutius est prosecutus; cumque divina gratia adjutus ad eum jam statum pacis conditiones adduxisset, ut optatus jam, & gratissimus exitus sperari posset, evenit, ut sub idem fere tempus ambo (*d*) Reges ipsi Galliarum, & Angliæ, qui inter se tam acerrimo, ac sævissimo bello decertabant, extremi fati munus persolverent. Itaque potentissimorum Regum interitu perturbatis passim, & commutatis rebus, pace non exacta redire coactus est; & jam decimus octavus mensis elapsus erat, quo in Gallias venerat (quod temporis spatium, ut plurimum regionem, pacis gratia, peragrando consumpserat). Sic Romam ad Pontificem veniens, cum quæ secuta erant exposuisset, nihil sanctius existimavit, quam confestim ad suas depascendas oves sese quamprimum conferre. Bononiam itaque cum venisset, biennium (*e*) apud sibi commissum populum egit.

IX. Cardinalis a Martino creatur. Legatus mittitur in Galliam Cisalpinam ad pacem componendam inter Philippum Ducem Mediolani, Venetos, ac Florentinos.

Per id vero temporis Martino Pontifici Maximo sententia erat ad Romanæ Ecclesiæ regimen Cardinales adsumere. Quare cum maxime omnium in Nicolaum jam dudum animi mentem, atque oculos conjecisset, Romam accitum in cardinaleum (*f*) apicem evexit, & Sanctæ Crucis in Hierusalem Sacerdotalem illi titulum dedit. Veneti ea tempestate, Florentinique adversus Philippum Insubrium Ducem acerrimum gerebant bellum, Florentinorum tamen, ut videbatur, gratia sumptum. Martinum, ut optimum Summum Pontificem decet, ejus belli causa anxium, sollicitumque habebat, & pacem sedari, componique cupiebat. *Jam vero tanta erat de Nicolai Sanctitate, atque virtute opinio, & auctoritas*, ut, qui commodior perficiendæ paci videretur, esset nemo. Ejus itaque pertractandæ, ac perficiendæ pacis cura cum a Summo Pontifice illi injuncta, & demandata esset, (*g*) Nicolaus jussa capessens, mandatisque obtemperans, Roma digressus, Venetias venit; quo cum & Philippi Ducis oratores convenissent, cognitis, ac plene perspectis dissentionum rationibus, cautam pacis eo usque multa & gravi difficultate deduxit, ut Veneti, Florentinique cum Philippi oratoribus convenirent, pacemque firmam decernerent. Dictæ conditiones pleræque, pro exequendis omnibus viginti dierum induciæ præstitutæ. Cæterum quo celerius, liquidiusque perfici res possent, nec, quantum in eo esset, perturbatione ulla deterreri, non parcendum operæ, atque labori, sed in * Ligures ipse proficisci constituit. Cœpit autem initio Philippus nonnulla ex iis, quorum erat data fides, ut conventa erant, servare; majora vero, & graviora, inter quæ nonnullorum oppidorum restitutio erat, postergando differebat, facereque id de industria videbatur, quoad præfinitus laberetur dies. Nam & animum reipsa, & factis paulo postea evidentius patefecit. Missis siquidem a Nicolao Venetis, qui oppida restituenda reciperent, palam denegata restitutio est. At Nicolaus ægerrimo, & iniquissimo id animo ferens, fraudarique se pacis executione prospiciens, non desistendum tamen ratus, quin omnia etiam extrema experiretur literis, nunciis, atque omnibus artibus cum Philippo, quoad ejus fieri potuit, agendo, monendo, suadendo, rogando, nunc precibus, nunc suasionibus, exhortationibus, plerumque etiam admonitionibus, & increpationibus, ut res exigebat, plurimum operæ, dierum consumpsit. Enimvero cum jam tentata omnia in irritum deciderent, nec ad servandas conditiones adduci quoquo pacto Philippus posse videretur, desperatum opus relinquere, atque ad Pontificem Romam redire constituit. Ex * Liguribus itaque Bononia iter faciens, Romam venit: Pontifici, quæ secuta erant compositam pacem, sed non servatam, cujusque id culpa accideret, detulit.

* Insubres i. Henryhenos.

* Insubribus i. Henyhenos.

X. B. Nicolaus iterum ad Philippum Ducem Mediolani Martini Pontificis Legatus pergit. Inde Venetias proficiscitur, pacemque a his veribus componere studet.

Eam ob rem Martinus oratoribus omnium partium ad se venire jussis, ut quæ conventa erant, perficerent, aliquandiu cum iis egit, obtinuitque demum, ut primas jam præscriptas conditiones concordibus omnes pariter animis confirmarent. Quare ne ulla occasione impediri pacis bonum posset, rursus Nicolao cœptum opus perficiendum delegat, atque in Ligures, & ad Philippum proficiscatur, jubet. Itaque Pontificis jussu iterum Roma profectus, in Ligusticos fines venit. Exierat tunc Mediolano Philippus, quod fere alias nunquam consueverat, & ad Pizichatonum oppidum, quod passuum millia quinque supra triginta Mediolano abest, sese contulerat. Cum vero post solitos honores de rebus pacis pariter conferre, atque agere cœpissent, & plerosque dies, sermonesque super hisce causis, conditionibusque protraxissent, nihil rectum Philippus, nihil integrum penitus sentire videbatur. Quod ut singulari prudentia Nicolaus animadvertit, quamquam dolore, & molestia anxius, quidquid agi, dici, tractari, persuaderive potuit, experiretur; neque eo magis proficere quicquam, aut flecti ad servandam conventorum fidem Philippus posse videretur: cum quid ageret, amplius non haberet, certiorandum, consulendumque Summum Pontificem visum est. Erat tunc apud Nicolaum Thomas & sacris, & sæcularibus literis eruditissimus, ex Serzana oppido Januensis regionis oriundus, qui diutur-

(*a*) Eadem narrant S. Antoninus, & Sigonius Cap. II. §. 21. 22.

(*b*) B. Nicolaum ad Florentinam Carthusiam tamquam ad tutissimum tranquillitatis portum in rebus duris confugere consuevisse narrat Bartholomæus Senensis.

(*c*) Hujusmodi legatio B. Nicolao collata fuit A. D. 1422. die 8. Februarii, ut patet ex Epistola II. Martini V. Illam vero vir sanctissimus initio recusavit: idcirco Pontifex Epistola III. ipsi injunxit, ut eam omnino susciperet. Itaque die 25. Aprilis hujus anni B. Nicolaus Bononia discessit in Gallias profecturus, teste Matthæo de Griffonibus, & Hieronymo de Bursellis. Martinus Pontifex eximiis illis epistolis eum instruxit ad Reges & Principes scriptis, nempe IV. V. VI. VII. X. & XI., ex quibus satis superque constat quanta virtutis, & sanctimoniæ fama apud Pontificem polleret. Hanc B. viri legationem laudant Poggius in Oratione §. V. Joannes Germani, Hieronymus Garimbertus, Sigonius Cap. III. §. 13. Ferdinandus Ughellus, & demum Raynaldus pag. 154.

(*d*) Carolus VI. Rex Francorum, ut diximus in notis ad Epistolam II. Martini V., obiit A. D. 1422. die 14. Octobris, Henricus V. Angliæ Rex die 31. Augusti ejusdem anni.

(*e*) Matthæus de Griffonibus B. Nicolaum die VIII. Mensis Junii anni 1423. e Gallis Bononiam rediisse scribit.

(*f*) Nicolaus Cardinalis creatur anno 1426. IX. Kal. Junii. Amplissimam hanc dignitatem invitus suscepit, ut testantur S. Antoninus, Poggius in Oratione §. VI., Vespasianus Florentinus, Auctor Histor. Miscellan., Hieronymus Bursellus, Garimbertus, & Sigonius Cap. III. §. 16.

(*g*) Hujusce legationis Historiam narrant Sanctus Antoninus, Poggius §. VII. Vespasianus Florentinus § V., Blondus, Auctor Historiæ Miscellaneæ, Bursellus, Platina, Marinus Sanutus, Anonymus Florentinus, Andreas Billius, Helias Capreolus, Garimbertus, Sigonius Cap. III. §. 17. & demum Scipio Admiratus. Pacis tabulas vulgavit Dumontius Tom. II. Corporis Diplomatici Juris Gentium Parte II. pag. 203. hæ signatæ fuerunt die 30. Decembris anno 1427.

fuerunt illi operam præstiterat. Hunc propter singulares virtutes, eximiamque doctrinæ, fidei, diligentiæque præstantiam Nicolaus unice diligebat, & primarium apud se constituebat, fideque, atque auctoritate nemo apud illum gratior, & carior erat. Est autem is, qui post Eugenium summæ apostolatus paulo ante præfuit arci. Hunc Thomam ad Martinum Summum Pontificem ire jubet, & quæ Philippo mens, quæ verba, quæ acta, quæ spes, quæ optato concipi valeat, nota facere. Ipse cum Venetias (*a*) venire constituisset, quod graviter in urbe pestilentia laborabatur, Mathematicum venit, quod millia passuum quinque Venetiis abest; ad eum locum Nicolai gratia Princeps Venetus, & Senatus omnis accessit, summique honores Nicolao habiti sunt, de rerumque statu sermones collati, & consilium actum.

XI. B. Nicolaus post varios, diuturnosque labores Italicam pacem componit.

Inde dissolvens cum mandata Pontificis præstolaretur, nunciata est insignis illa clades Philippo illata, quæ apud (*b*) Machilonium, (sic enim loco nomen est) illius militares omnes copiæ a Venetorum ducibus profligatæ, ad internecionemque deletæ fere sunt. Ea calamitate cum ferox ille Philippi animus, qui per superiora tempora flecti nullo pacto potuerat, mitior, compressiorque tandem coactus esset, & pacem tamdiu spretam supplex petere, atque ultro rogare adduceretur, rursum in pacis mentionem, pertractationemque ventum est. Ferraria urbs commoda, & idonea, ubi convenirent, est visa. Eo Nicolaus profectus, oratores partium illuc etiam sunt secuti. Ducta est res diutissime, & de pacis exitu sæpenumero desperari visum. Graves enim inter partes esse videbantur dissensiones, neque in unam poterant convenire sententiam. Subterfugere videbatur Philippus, & quamquam ad pacem proclivis admodum, & promtus apparuerat, instaurationem tamen quærere, & petere non desistebat. Veneti etsi modestioribus animis viderentur, tamen quod parta victoria facile Philippi vires extingui posse arbitrabantur, lentius tepidiusque accedebant: Florentinorum omnino erant promptissimæ, ardentissimæque ad pacem mentes, qui fatigati, fessique diuturno bello, & sumptibus fere intolerabilibus exinaniti, spem omnem quietis in pace defixerant. In tanta rerum, atque animorum varietate, cum desperatis plerumque rebus digressuri infecto negotio oratores partium viderentur; tanta tamen fuit in Nicolao prudentia, tanta diligentia, & patientissima tolerantia, ut superatis difficultatibus universis, paci tandem, (quippe post semestre, quam agitari cœpta erat) optatus, commodusque finis daretur: dictæ conditiones (*c*) præscriptæque; assensus partium omnium præstitus: supererat tantum, ut quæ convenerant, integre servarentur. Eam ob rem Nicolaus nullo fractus labore, iterato in Ligures profectus, fere provinciam omnem non sine gravissimis incommodis pro rerum felici exitu peragravit; sæpe agresti tuguriolo pro locorum difficultate tectus, nonnumquam vilissimo etiam cibo indiguit, bellorum diuturnitate, & rapacitate, atque atrocitate militum passim regione omni exhausta, & rerum in modum rebus usui necessariis exinanita. Cæterum etsi angusta omnia viderentur, nusquam tamen inde digredi adduci potuit, quam servata, executaque conventa conspexit.

XII. Sancita pace in patriam redit, Venetorum, & Mediolanensium legationes audit. Interea seditio Bononiæ excitatur, atroces injuriæ ipsi a Civibus inferuntur.

Redditis itaque, ac restitutis demum oppidis, & pacatis, quietisque, ut videbatur rebus, ex Liguribus Bononiam venit, eo animo, ut paulo post Romam, ad Pontificemque rediret. Sed dum Bononiæ moram trahit, Ecclesiæ, & patriæ suæ causis quibusdam componendis, quæ imminebant, deditus, dissensiones nonnullas de Bergomensi, & Cremonensi agro exortas, nunciatum est: utque controversias eas quietas reddat, priusquam abeat, supplicatum. Quare gravitate rerum Nicolaum Bononiæ distinente, effectum est, ut partium oratores ad illum Bononiam mitterentur. Missus a Venetis Sanctius Venerius Equestris ordinis vir ea tempestate auctoritate inter Venetos præstans. Cum his cognoscendis, componendisque causis Bononiæ Nicolaus ageret: civitas rerum mutationes perpessa est, graviterque intra urbem tumultuatum, & acclamantibus, *populum, libertatemque vivere*, ad arma concursum est: eoque tumulto effectum est, ut a Pontifice, Ecclesiaque deficientes, in libertatem sese Bononienses vendicarent. Gravis admodum, & peracerba Nicolao ea urbis facta commutatio fuit, &, ut par erat, summo illum dolore affecit, eoque magis, quod succurrere ipse tanto morbo, & lapsæ jam rei non poterat. Cæterum, & mœrori mœror, & perturbationi perturbatio accessit. Qui enim summæ rerum in urbe præerant (seu quod Nicolai opera, quem Pontifici gratissimum esse intelligebant, controversias componi posse confiderent, seu quod propterea quia eum studiosissimum Ecclesiasticarum partium, atque ex ea re suspectum, suisque mutationibus adversissimum existimabant, in illius excidium quicquam sævi machinarentur) avocandum ad sese suis consiliis decrevere. Eam cum operam nuncio cuipiam vilissimo homini injunxissent, illeque mandatis obtemperans, ad Pontificem profectus, ut accederet, monuisset: in stuporem, atque mœrorem eximium ea levitas, atque vesania civium Nicolaum eduxit. Continuit tamen sese, & nuncio nihil grave, aut indignum, neque quicquam magis, quam occupationibus distineri, ne accedere valeret, respondit. Hanc suorum civium stoliditatem secum indignanti, advenire ad eum sex ex primoribus civium nunciatur. Quare cum vereretur, ne quid violenti fieret, avocari familiam omnem jussit, utque cives ingressi sunt, fores claudi; jam ad conspectum sui Pontificis aderant, & proponere, nescio quæ, velle videbantur. Verum Nicolaus prior ad illos conversus, dure atque asperrime (ut res, & culpa exigebat) increpare illos adortus; *existimare se*, inquit, *omnino mente alienatos esse Bononienses cives*, (*d*) *seque ob id summo dolore affici, cum eorum cura illi credita sit; consuevisse filios ad patrem ire; cives ad Præsulem; contra naturæ, & juris ordinem esse, neque unquam auditum, ut ad inferiores superior evocatus accedat, Bononienses, cum simplex illorum esset Episcopus, debitos illi semper honores exhibuisse; nunc tum Cardinalatus etiam apice fulgeat, & legationis etiam potestate præmineat, in tam stolidam vesaniam illos addactos, ut per vilissimum nuncium evocare ad sese non erubuerint. Injuriam hanc non sibi, sed Apostolicæ Sedi illatam existimare, cujus vices in ea dignitate, atque legatione contineat, spretum se esse a Bononiensibus, non sibi propter se, sed propter eorum errores, ac perversos, perfractosque mores, curæ & cordi esse; vereri enim se, ne iratum Deum brevi ultorem sentiant; atque propterea, ut ad rectam viam, & sanitatem se mores convertant, hortari*. Hæc atque hujuscemodi cum summa gravitate, atque auctoritate, paternaque caritate monuisset, qui advenerant cives, adeo muti, atque elingues effecti sunt, ut nec verbum ullum ex cujuspiam ore prodierit, sed ut venerant declinatis cervicibus abscessere.

XIII. Seditionis metu clam Bononia discedit, ad Mutinam proficiscitur, Bononienses eum probris, ac maledictis lacessunt. Dissensionem reliquam inter Venetos, & Ducem Mediolani componit, ac tandem Romam ad Pontificem pergit.

Enimvero formidabilis res erat, & majores motus eo initio expectandi videbantur. Quos veritus Nicolaus, ne temeritati facultas delinquendi præberetur, providendum ratus, ut si quis forte tumultus gravior ingruisset, non se arbitrio suo Bononienses uti possent; evocato ad se Carthusiensis monasterii præside, permutatisque vestibus, ut primum inclinare cœpit dies, sub primas fere tenebras, illum ut inferior prosecutus, ad Carthusiæ monasterium venit, eamque noctem ibi in eo egit. Postera vero die, ut primum lux excipi potuit, urbem ingressus, cum paratos sibi extra portam, quæ Mutinam ducit, equos, ut constituerat, comperisset, Mutinam constanti itinere profectus est. Bononienses ut de Nicolai profectione certiores redditi sunt, miris exagitari furoribus cœperunt, in contumeliosasque erumpere voces, hostem publicum, ac patriæ illum proditorem appellantes. Non destitere tamen, quin oratores ad eum Mutinam mitterent. At Romæ, ut nunciata est Bononiensium defectio, Pontificis, & Ecclesiasticorum dolore, ac perturbatione affectis animos; eumque Nicolai opera posse labentibus rebus adhiberi remedia Pontifex (*e*) Martinus consideraret, confestim ad illum raptim perscriptis, & exaratis literis, ne Romam rediret, neve regione egrederetur injussu suo, strictioribus mandatis injunxit. Eam ob rem, cum Mutinæ plerosque menses traxisset moram, neque moveri Bononiensium induratos posse animi viderentur, componendæ controversiæ gratia, (quam occasione Cremonensis, & Bergomensis agri exortam diximus) Ferrariam venit, quam congrua executione sedare, consulto primum Pontifice, Romam redit, bienniogue apud Martinum in Curia fuit Vitæ Sanctimonia, consiliorumque gravitate præcipuus.

XIV. Bellum inter Venetos & Insubres instauratur. B. Nicolaus ad illud compescendum Legatus iterum destinatur. Gallica insuper legatio ei defertur.

Cæterum haud quaquam illi diuturna quiete perfrui licuit. Nam cum Ligusticum bellum longe acrius restauratum esset, Venetique adversus Philippum, & ingentes terrestres copias militares, & classem Padanam amplissimam comparassent, Pontifex Martinus tot calamitatibus metuens, atque obviare desiderans, habito cum fratribus de more colloquio, (*f*) Nicolaum, (quem ad pacem rursum inter Venetos, & Philippum conci-

(*a*) Eadem narrat Marinus Sanutus.

(*b*) *Apud Machilonium* Brixiensis agri oppidum, quod Capreolus Histor. Lib. IX. pag. 54. *Machelaum* nominat. Celeberrima hæc pugna commissa fuit IV. Idus Octobris anni 1427. eamque describunt Capreolus loco citato, Sanutus in Vitis Ducum Venetorum pag. 997. litt. E.

(*c*) Pacis tabulæ exstant apud Dumontium pag. 208. signatæ fuerunt die 19. Aprilis an. 1428.

(*d*) Bononiensis seditio exaltata fuit die prima Augusti anno 1428., ut narrat Auctor Histor. Miscell. Eam violentissimis verbis exsecratur Bornius de Sala in libro de Patientia. Vide Blandum, Bursellum, Andream Billium, Sigonium Cap. III. §. 19. Raynaldum ad annum 1428. §. 4.

(*e*) Martini Epistolas ad B. Nicolaum de hoc negotio fortasse inspicere; eas enim invenire non potuimus. Quæ vero Beatus vir egerit, ut cives suos insanientes ad sanitatem revocaret, fuse narrat Auctor Histor. Miscellaneæ.

(*f*) Bellum inter Venetos, ac Philippum Ducem Mediolani instauratum fuit mense Januarii A. D. 1431., ut narrat Marinus Sanutus in Vitis Ducum Venetorum pag. 1012., & Au-

elendam, mitteret) alagit. Hac etiam adjectione adhibita, ut, postquam Liguricas extinxisset lites, ad perniciosum bellum, quod Anglos inter, & Gallos jam antea exarserat, sedandum vires arriperet. Ita tertio jam Ligustici belli causa, Roma profectus, in Veronenses primo divertit, apudque Piscariam oppidum Veronensis quidem agri, sed cui tunc Mantuanus præerat Princeps, substitit. In armis si quidem tunc omnia, & circumquaque universa regio militaribus fragoribus æstuabat. Quare peropportunum in eo belli ardore pertractandæ paci id oppidum arbitratus, inde partium evocare oratores, & per nuncios, literasque rem gerere constituerat. Hæc dum meditatus paratque Nicolaus, molestissimum de Martini Summi Pontificis (a) funere nuncium accepit; Is enim decimo tertio Pontificatus anno, apoplectico morbo correptus, fatalem Romæ apud Sanctorum Apostolorum Basilicam, ubi residebat, diem summum obierat. Eo tam gravi, ac funestissimo nuncio acerbo mœrore affectus Nicolaus, quid ageret, quid consilii capiendum foret, ancipiti, dubioque animo pervolvebat; Romam ne novi creandi Pontificis gratia proficisci, an Piscariæ manere, & cœptum pacis prosequi opus, seu novi Pontificis creationem, & ejus jussa præstolari satius esset. Melius consilium visum, nova mandata a novo expectare Pontifice: quod nec in tempore ipse Romæ adesse potuisset, & Ecclesiæ brevi a patribus provisum iri non dubitaret.

Martinus Pontifex moritur. B. Nicolaus Piscariæ manet novi Pontificis electionem expectans.

XV. Eugenius IV. Pont. Max. renunciatur, Gallicam legationem B. Nicolao confirmat, qui in Gallias statim proficiscitur, totoque triennio paci conciliandæ studet.

Nec diuturna mora fuit, cum delectum Gabrielem Condulmarium Venetum, qui ex patribus erat, Romanæ Sedi Summum Pontificem datum novit. Is est, qui Eugenius IV. est appellatus. Ad eum, ut par erat, cum & nuncios, & congratulatorias literas misisset, de rebus quoque suis, quæ ad causam attinebant, intersernit: & cum belli conditiones, & quo in statu cuncta versarentur, & quid de pace agi, & sperari posse consideret, (cujus exitum difficillimum, & fere impossibilem judicabat) significasset, summis a Pontifice precibus petiit, ut etiam a Gallicana legatione illum absolvere, & sibi Romam redeundi facultatem, potestatemque facere dignaretur. Annuit initio quidem Eugenius, & Nicolai precibus se morem gerere velle significavit. Paranti igitur Romam proficisci repente commutata sententia, literæ a Pontifice (b) redditæ sunt, quibus ut omnino in Gallias pergeret, idque quam repentissime, (sic enim res exigebat) mandabatur. Pontificis itaque jussibus facturus satis, Piscaria discedens, superatis Alpibus in Gallicanos fines venit. Fremebant undique bella, & per Gallicanam regionem omnem armorum fragores resonabant, nulla pacis vox audiri poterat, nulla perficiendæ concordiæ spes esse videbatur. Quæ etsi Nicolao haudquaquam obscura erant, tentanda tamen primum omnia, & experienda ratus, ad Principes pergere, hortari, monere, suaderaque adortus, & quos ipse adire non poterat, per nuncios, & literas alloqui, quidquid agi, aut cogitari posset, incredibili diligentia, patientiaque pergit. Triennium continuum eo de re in Galliis commoratus, universam Galliam peragravit, neque ulla fere fuit insignis Galliarum civitas, quam ille pacis gratia non adiret.

XVI. Relictis Galliis Basileam ad Concilium Eugenii jussu se confert, ubique magnis honoribus afficitur.

Dum in Galliis Nicolaus protrahit moram, in Germania ingens Eugenio Pontifici, & Ecclesiæ bellum suscitatum est. Nam cum Martinus, priusquam vita excederet, Basileæ cogi universale Concilium indixisset; id creato jam Eugenio ita cœptum, atque adauctum erat, ut etiam ex Patribus plurimi invito, & injusso Pontifice, fuga arrepta, quasi a Pontifice deficientes, Basileam peterent; & jam fere universus eo concurrere, & ibi cogi cœperat terrarum orbis, & multa jam adversum Eugenium ordiri videbantur. Et quamquam præclaros plerosque suo illuc nomine Præsules Eugenius delegasset; tamen cum plurimum *de Nicolai singulari virtute, ac Sanctitate confideret*, ex Galliis avocandum, (c) atque Basileam destinandum putavit, ut Pontificio nomine Synodo præsideret. Habito itaque, & accepto hoc Pontificio decreto Nicolaus ex Galliis in Germaniam trajiciens, Basileam venit: Est siquidem nobilis, & clara Germaniæ urbs, quam Rhenus fluvius mediam ab altera parte præterfluit. Initio adventus sui maximis, & amplissimis exceptus honoribus, urbem omnem, & Patres, Ecclesiasticosque ordines incredibili voluptate complevit. Atque quamprimum ad ea, quæ imminebant, persolvenda conversus, Pontificis partes singulari fide, prudentiaque tuatus, res Pontificias ad optimum commodissimumque brevi statum perduxit. Erat ipse id loci summa auctoritate, ad eum universi, ut fere ad Pontificem maximum confluebant, frequentarique ita illius ædes assiduo cunctorum concursu consueverant, ut aliud separatum apud Nicolaum agi concilium videretur. Effecit denique probatissimis artibus, ut tametsi multorum graves in Pontificem essent mentes, irrita tamen malignantium studia redderentur. Mansit autem eo in loco pauculis minus integro anno diebus: qui si diutius perstitisset, poterat profecto perturbationibus, & calamitatibus, quæ secutæ sunt, finem dare.

Cæterum cum propter Ligusticum bellum, quod in dies vehementius ingravescebat, duos ex patribus sedandarum rerum gratia universa Synodus in Italiam mittere decrevisset, Nicolaus potissimum, qui ad id pacis opus delegaretur, electus est. Comes illi alter ex patribus datus Cardinalis (d) S. Petri ad Vincula ex Hispaniis oriundus. Frequentissimo itaque concursu omnium ordinum, nec minori bene sentientium mœrore extra urbem deducti, in Italiam (e) cum descendissent, Paduam primum, inde Venetias petere, ubi pertractandæ paci incumbere constituerant. Adhibita quidem ab his est diligentia omnia, & nihil prætermissum, quod ad rem perficiendam pertinere potuisset: sed adeo incensi erant partium animi, adeo præruptæ & ardentia in bellum studia, ut conatibus in irritum decidentibus, nihil proficere potuerint. Interea dum hæc agerentur, Eugenius (f) Pontifex Maximus injuriis, contumeliisque a Romanis affectus, vim etiam perpessus, ignotus fuga sibi consuluerat, & ex Romana quidem fuga Florentiam venerat. Quare (g) Nicolaus, cum pacis opera non succederent, minime quidem Basileam sibi redeundum fore constituens, ad Pontificem Florentiam venit, expositisque superiorum temporum actionibus, apud Pontificem Florentiæ manere decreverat.

XVII. B. Nicolaus a Concilio legatus destinatur ad pacem Italicam perficiendam, qua infecta, Florentiam ad Pontificem venit.

Cæterum cum per superiora tempora Gallorum Rex, & Burgundionum Princeps acerrimo sese invicem, ac diuturno bello lacerassent, nullaque spes pacis inter eos conficiendæ vita esset, placuit Pontifici, ut Nicolaus, quem propter vitæ sanctimoniam gloriosi apud illos nominis, & amplissimæ auctoritatis esse sciebat, & ob id paci huic aptissimum, & peropportunissimum fore confidebat, denuo Gallicanas regiones peteret. Ex Florentia itaque in (h) Gallias delatus, apud Atrebatum Burgundiæ Principis urbem constitit. Inde enixissimo studio ad peragendam pacem invigilans, decimo & sexto, postea quam illuc advenerat mense, multis, & gravibus difficultatibus tandem Principes ipsos perpetua, & salutari pace devinxit.

XVIII. Legatus iterum in Gallias mittitur ab Eugenio, Philippum Ducem Burgundiæ in Atrebatensi conventu Carolo Francorum Regi conciliat.

Pacatis itaque, fœdatisque Principibus, controversiisque sopitis, in Italiam rediens, Bononiam venit, Ponti-

XIX. Concilii Ferrariensis Legatus de-

Q tifi-

Acta & Decr. Canon. & Auctor. Histor. Miscell. Hujusce legationis diplomata reperire; ea tamen laudat Eugenius se. in Epistola ad B. Nicolaum, quæ extat in amplissima veterum monumentorum Ecclesiæ Bononiensis Collectione, quam vulgare in animo erat; sed nunc Ms. extat in Bibliotheca domestica SS. D. N. B. Nicolaus die xv. Februarii Ferrariam venit, die x. Februarii Venetias se contulit, ut narrat Sanutus loco citato. Die vero 22. Martii ad Insubres perrexit.

(a) Martinus Pontifex supremum diem obiit die xx. Februarii, ut notat Raynaldus ad hunc annum §. 2.

(b) Eugenii Epistola, qua B. Nicolao Gallicam legationem defert, data est die 29. Aprilis anno 1431. Ad hanc legationem pertinent II. III. & IV. aliæque non pauca, quæ apud nos sunt. B. Viri labores in procuranda hujusce Regni pace memorant ipsi Reges Carolus VII., & Henricus VI., iisque consentiunt Scriptores Itali, Galli, Belgæ, & Angli, quorum testimonia in hanc Collectionem retulimus.

(c) Eugenii Epistola, qua B. Nicolaum Concilii Præsidentem constituit, data est Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1433. XVIII. kal. Januarii A. III. extat apud Labbeum Tom. XII. Concil. General. col. 947. edit. Paris. Alia ejusdem Pontificis Epistola ad B. Nicolaum cæterosque Concilii legatos extat col. 951. Data est Florentiæ anno 1435. XIII. kal. Martii Pontificatus anno V. In actis Concilii Basileensis Sessione XX. pag. 530. die XXIV. Aprilis 1434. B. Nicolaum Concilio *incorporatum* fuisse legitur. De gestis B. Nicolai in Concilio Basileensi vide Poggium, Æneam Sylvium, & Joannem Nauclerum.

(d) Nempe Joannem Cervantem Hispalensem Cardinalem creatum a Martino V., qui obiit anno 1453.

(e) Ad hanc legationem pertinet Epistola B. Nicolai ad Synodum Basileensem, quam edidit Edmundus Martene Tom. VIII. amplissimæ Collectionis Veter. Monument. col. 811. data est Florentiæ die XI. Maii anno 1435.

(f) Eugenius urbanas inimicas fugiens Florentiam venit. IX. kal. Julii anno 1434.

(g) B. Nicolaus minime ad Basileenses reverti voluit; immo in supralaudata Epistola ad eosdem, se a reditu excusat his verbis: *Sanctissimus Dominus Noster me Cardinalem Sanctæ Crucis misit in Galliam pro pace firmanda.*

(h) Hujusce Legationis diplomata extant inter Epistolas Eugenii num. VII, VIII. IX. & X. Data sunt Florentiæ 13. & 25. die Aprilis anni 1435. Conventus Atrebatensis indictus fuit kalendis Julii. B. Nicolaus Atrebatum venit die XII. ejusdem mensis teste Antonio Taberna in Diario; discessit die 5. Octobris. Die vero 9. Decembris Florentiam ad Pontificem rediit, teste Anonymo Florentino. Quæ vero sanctissimus vir in hoc Conventu egerit, Scriptores fere omnes, quorum testimonia in hoc volumen congessimus, fuse narrant, & præ cæteris vide Pium II. Philippum Ducem Burgundiæ celeberrimo edito miraculo ad pacem sanciendam compulisse affirmant Reneus Suay, Pontius Heuterus, Joannes Riesus, Ludovicus Donius, Fabertus, Odoricus Raynaldus. Quanto vero honore Beatum Virum affecerint Carolus Rex, & Philippus Dux aperte constat ex supralaudato Diario Antonii Tabernæ, & ex pacis capitulis, quorum selecta quædam dedimus in hac collectione. Pacis tabulæ signatæ fuerunt die 21. Septembris anni 1435.

ciantur. Venetias proficiscitur, ibique Imperatorem Græcorum excipit, ac Ferrariam perducit.

tificemque illic cum Curia consìdentem comperit; sed cum Græcorum gratia Ferrariæ (a) Pontifex Concilium indixisset, eo etiam Nicolaus Eugenium, ut par erat, est consecutus, obviamque Græcorum Imperatori, & Constantinopolitano Patriarchæ, qui unionis celebrandæ causa ad Ferrariense Concilium accedebant, Venetias a Pontifice missus Ferrariam Græcos adduxit, celebrandæque indefessus unioni incubuit.

XX. Legatus denuo ad Germanorum Principum conventum Norimbergæ indictum, ac Romani Pontificis dignitatem egregie tuetur.

Cum ita totus in fidei rationibus, disceptationibus absorptus Nicolaus esset, ut fere nihil magis cuperet, & anhelaret; alia insuper peregrinatio injuncta est. Nam quoniam in (b) Germania afflictæ, ac perturbatæ in Pontificem res erant, & novum colloquium ad præfinitam diem a Germaniæ Principibus indictum: operæ pretium Eugenius existimavit, Nicolaum ad statutum locum, diemque accedere. Ille itaque, quanquam tot antea itineribus, profectionibusque fractus videri potuisset, tamen recens semper, & integer animo, nec laboribus ullis, aut periculis territus, dum Pontifici modo, & Ecclesiæ, aut cujuspiam saluti obsequi valuisset, ex Ferraria movens, iterum in Germaniam venit; adjumentoque non mediocri Pontificis jam apud Germanos labentibus rebus fuit; & quæ a Pontifice mandata erant, quoad ejus fieri potuit, integre, atque inviolate persolvit.

XXI. Florentiam revertit, ubi anguste habitat, familiam ingenuam optimamque alit, magnaque sanctitatis opinione pollet.

Ubi vero nihil hisce in locis sua opus esse mora intellexit, Italiam repetens, Florentiam petiit. Nam ex Ferraria Florentiam Eugenius Concilium translatarat; fuit autem hæc extrema legationum suarum, itinerationum, peregrinationumque finis, habitavit autem (c) Florentiæ apud S. Spiritus ædem, (sic enim Augustinensium locum Florentiæ vocant) *eumque ibi nos, tum primum ad curiam accessimus, commorantem convenimus, & salutavimus. Habitabat autem satis anguste, & familia (d) ingenua quidem, & optime, honestissimeque morata, & instituta, verum non lauta nimis, & compta, sed modesta admodum, & quæ Præsulis Sanctimoniam sanctificaret: Ipse vero maxima apud omnes venerationis erat, neque quicquam dignius, aut divinius in ore hominum versabatur.*

XXII. Summus Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiarius eligitur. Eximiæ ejus virtutes summatim recensentur.

Pontifex cum illi dignissimum (e) summi Pœnitentiarii contulisset locum, ejus consilio imprimis gravissimis potissimum in rebus maxime omnium utebatur: neque eum diligebat, & amabat solum, sed pia etiam veneratione colebat; & ubi quicquam arduum immineret, audire illum antea cupiebat, & fere omnia Nicolai consilio peragebat. Nicolao vero summæ (f), ac singulares virtutes inerant; simplicissima humilitas, præcipuaque clementia, charitas in omnes, pietasque paterna, fidei, & religionis exardens zelus communi, usu austeram, & asperam satis ducebat vitam; nec carnibus vescebatur, nec strato jacebat. Carthusiæ regulam etiam ad extremum inviolate servavit; sacris literis, posteaquam sese immortali Deo dedicavit, operam enixam adhibuit, neque a sacrorum voluminum, cum per occupationes licebat, lectione cessabat, doctos viros, (g) virtutibus deditos, magno amore prosequebatur, egenisque, & inopibus clericis opem plurimam ad literarum studia conferebat, in pauperes vero omnes, quicquid eleemosynarum poterat, assidue distribuere consueverat, affinium suorum neminem secum domi esse volebat, perturbare illos reliquam familiam dicens, iis, qui illi ministrabant, salaria menstrua exhibere solitus erat, ne pro immeritis supplicare, & de spiritualibus illis satisfacere cogeretur, librorum copiosus fuit, quos fere omnes in morte sacris locis, Monasteriisque legavit.

XXIII. B. Nicolaus Senis obiit ex calculi dolore. Eugenius Pontifex totaque Curia illius mortem deflet. Senenses ob magnam sanctitatis opinionem mortui manus ac pedes summa veneratione osculantur. Calculi magnitudo, ac forma describitur.

Obiit autem (h) mortem Senis, cum ibi Pontifex consideret. Cum enim Romam proficisci constituisset Eugenius, Florentia abscedens, Senas venit: quem Nicolaus quamprimum secutus est, itaut ingredientem Senas Pontificem comitaretur. Pauculos vero post menses, calculi morbo correptus, in horridos, ac terribiles dolorum cruciatus incidit, itaut miserandos continue clamores emittere cogeretur. Et quemquam gravissimo, & extremo morbo affectus, pati tamen non poterat, ut quicquam sibi de solita Cartusiæ observantia mutaretur. Cum vero (i) fatalem sibi ægritudinem hanc fore cognosceret, Sacramentis Ecclesiasticis communitus, sacratissimoque Dominico corpore devote, atque affectuosissime sumpto, de sui corporis sepulcro non immemor, ut in Carthusiensi cœnobio (k), quod prope Florentiam urbem est, conderetur, edicit. Ita aliquandiu flebiliter, cum laborasset, tandem ægritudinis fervore, & cruciatuum horriditate confectus, immortali Deo spiritum reddidit. Incredibile dictu est, quanto mœrore, quibus lacrymis, atque suspiriis hæc Nicolai mors Pontificem, Patres, curiamque, & urbem omnem, populumque compleverit. Nam & splendorem, & decus Ecclesiæ illum concordi omnes, & consona voce judicabant, & prædicare non desistebant. Cum vero in Basilicam, quæ Augustino Doctori dicata est (nam apud religiosos Augustino deditos, Senis locatus erat) exanime corpus delatum est, atque in media Basilica positum; *tantus universi populi, omniumque ordinum concursus effectus est, MANUS PEDESQUE DEOSCULANTIUM, ut comprimere sese inviçem, & vix contineri sacris ædibus possent: felixque sibi videbatur, qui illum contingere licuisset.* Cæterum prohibendi fœtoris gratia (quippe, ut diximus, ad Carthusiæ Florentinæ locum ducendum cadaver erat) cum exesto ventre, viscera eduxissent; mirum dictu, lapis vastæ pro humano corpore magnitudinis compertus est; hujus autem forma erat plus rotunditatis, quam longitudinis habens, simillimusque omnino in quantitate (l) anserino ovo videbatur. Apparebat autem ex minutissimis arenolis paulisper concretis in eam magnitudinem devenisse, quod quidem diuturno admodum tempore fieri oportuisse physici judicabant. Experiri etiam pondus ejus voluere, & ... illum, ut asserebant, comprobavere; hunc nos ... vidimus, manibusque attrectavimus, & solidissimum experti sumus; ex eo gypseæ plures formæ ad ... effigiem conflatæ sunt, & ... monstri ad varia ... loca demisse.

XXIV. Exequiæ magna pompa illi habitæ coram Pontifice. Thomas Sarzanensis B. Viri corpus Florentiam transfert, & apud Carthusianos marmoreo loculo condit.

Quod vero ad funera attinet, exactissima, & splendidissima in principe Senensi Basilica celebrata sunt. Interque alia pleraque hoc illi præcipuum, & singulare, ac memoria dignissimum extitit, quod Pontifex Maximus Eugenius coram ipse consistere, interesseque, atque ... Factum (m) nunquam ante hac patrum memoria celebretum; Neque enim Pontificius, & curiæ mos habet, ut in Cardinalis funeribus Romanus Pontifex ullatam intersit; neque patrutum antea ulla ex ... fuisse quempiam antiquissimorum novarat. Commovere vero Pontificem Eugenium, ut tantum *Nicolao d... & ornamentis impensum vellet, non Sanctitas morum, & immaculata integritas, gloriaque, atque opinio de illo universi terrarum orbis, & omnium hominum:* Sed quod amplissimis Nicolai de Ecclesia, atque Pontifice meritis devinctum, & obstrictissimum sese illi arbitrabatur; quippe qui suarum partium indefessus semper, ac validissimus fautor, & propugnator extiterat. Innumera, quæ inferri, detrimenta potuissent, averterat, suis consiliis non vulgaria Eugenio emolumenta contulerat, auctoritateque, & præsentia sua incredibiles illi semper favores, & Principum cæterorumque hominum studia compararat. Funeralibus egregie celebratis, Thomas

(a) Eugenii Epistola, quæ B. Nicolaum Concilii Ferrariensis legatum constituit, extat N. ex. Data est Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ 1437. IV. nonas Januarii anno VII. Quo vero honore a Senatu Veneto exceptus fuerit, fuse narrat Marinus Senutus.

(b) Hujusce legationis diplomata ex Tabulario Vaticano descripta apud nos extant: Data sunt Ferrariæ anno Incarnationis Dominicæ 1439. pridie Idus Septembris anno Octavo. B. Nicolaus Legationis comites habuit Joannem Archiepiscopum Tarentinum, Petrum Dignensem, & Antonium Urbinatem Episcopos, Joannem Freastel de Capitibus Lisiæ J. U. D. Joannem de Torre Cremata Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatii Magistrum, & Nicolaum de Cusa Decretorum Doctorem. De hac Legatione vide Poggium §. x. Vespasianum Florentinum §. IV. Raynaldum, & Marianum Sanutum.

(c) Romæ B. Nicolaus domum habuit juxta Ecclesiam S. Pontentianæ, quam magna ex parte constituerat. Vide Poggium §. XII. Hanc domum laudat Ambrosius Camaldulensis in Hodœporico.

(d) Eadem narrant Poggius ibidem, & Leonardus Aretinus in Epistola quam suo loco dabimus.

(e) Suffectus est in locum Cardinalis Ursini, teste Poggio §. VIII.

(f) Easdem B. Viri virtutes extollunt Romani Pontifices Martinus V., Eugenius IV., & Pius II. Scriptores item S. Antoninus, Vespasianus, Poggius, Philelphus, Petrus de Monte, Paulus Cortesius, aliique, quorum testimonia habentur hoc volumine. Idem faciunt Galli cum veteres, tum recentiores. Belgæ itidem Nicolaum nostrum virum sanctissimum ubique prædicant, ac præcipue Arnoldus Bostius, & Petrus Dorlandus.

(g) Franciscus Philelphus præter epistolas, quas retulimus Classe III. num. V. illi inscripsit latinam versionem Vitæ Lycurgi a Plutarcho scriptæ, quæ extat in codice Vaticano 1879. pagina 187. Petrus de Monte libellum S. Epiphanii latina a se redditum, cujus præfatio habetur pag. 3. L. de Therunda doctissimam apologiam misit pro Eugenio contra Basileensium vesaniam, quæ est in Cod. Vaticano 4185. pag. 519. Leonardus Aretinus aliquot Epistolas dedit, ac demum Poggius Florentinus ejus familiaritate gloriatur.

(h) B. Nicolaus Senis obiit die 9. Maii hora 24. anno 1443.

(i) Eadem narrant Scriptores coævi, quos superiori note recensui.

(k) B. Nicolai viscera Senis condita fuerunt in Ecclesia Augustinensium, ut diximus in notis ad illius vitam a Vespasiano Florentino scriptam. Testis est Sigismundus Titius Senensis in Historia patria, quæ MS. extat in præstantissima Bibliotheca Chisiana: *Die nona Maii (inquit) Cardinalis S. Crucis in Senis urbe decessit: intestina humata apud D. Augustini ædem juxta gradus majoris aræ, quæ olim inferius erat sub arcu; & superne pileus appensus: corpus vero ad Fratres Carthusienses, cujus ordinis erat, prope Florentiam delatum: alterum quoque galerum in majore Senensi æde appendi mandavit.*

(l) Eandem Lapidis magnitudinem describit Vespasianus.

(m) Id quoque affirmant S. Antoninus, Poggius §. XXI., & Auctor Histor. Miscell. Bonon.

mas Apostolicus Subdiaconus (qui familiæ præsidebat, & apud Nicolaum diutissime manserat, quod illi nemo carior erat) nonnullis ex familia comitibus sumptis, corpus ad Carthusiæ locum, qui parum Florentia abest, (ut a Nicolao vivente institutum fuisse diximus) detulit, & pie religiosissimeque sepulcro condidit, ubi (a) ad hodiernam jacet diem; Anima, ut recte judicandum est, in superis gloriosa felicitate beata.

(a) Epitaphia tumulo incisa recitant Sigonius, & Ughellus. Carminum auctorem fuisse Marianum Volaterranum Carthusiensem affirmat Bartholomæus Senensis. Ejus corpus an. 1633. die 17. Junii primo recognitum fuit a Petro Nicolino Archiepiscopo Florentino, ac deinceps digniorem in locum translatum an. 1678. die 30. Septembris, ut patet ex autentico instrumento, cujus apographum ex Archiepiscopali Archivo descriptum extat in Bibliotheca domestica Santissimi Domini Nostri Benedicti XIV. Pont. Max.

CLASS. I. Epist. 1. — CLASS. I. Mart. V. Epist. 1.

TESTIMONIA ROMANORUM PONTIFICUM DE BEATO NICOLAO ALBERGATO CARDINALIS S. CRUCIS.

1422. 8. Junii.

Epistola prima Martini V. Pontificis Maximi ad B. Nicolaum Episcopum Bononiensem. Fidelitatis Sacramentum a Magistratibus Bononiensibus Romanæ Ecclesiæ nomine recipere jubet.

Martinus &c. Venerabili Fratri Nicolao Episcopo Bononiensi &c.

Ex Tabulario Vaticano lib. 1. Offic. Mart. V. fol. 107.

NUPER siquidem ad salutare regimen, rectoratum, gubernationem, & administrationem, ac pacem, & tranquillitatem prædilectæ, & peculiaris filiæ civitatis nostræ Bononiensis, ejusque Terrarum, Castrorum, Locorum, Comitatuum, Territoriorum, & Districtuum, nec non civium habitatorum, incolarum, & districtualium eorum, ut feliciter gubernentur paternæ considerationis intuitum dirigentes, ac considerantes, quod propter nostram interdum absentiam necessariam omnibus providere non possumus, ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus, dilectis filiis Antianis, Consilio, & Communi civitatis præfatæ regimen, gubernationem, & administrationem Civitatis, Terrarum, Castrorum, & Locorum prædictorum, quamdiu Nos ab ipsa civitate abesse contigerit duraturas sub certis pactis, modis, & conditionibus in aliis nostris desuper confectis literis contentis, gratiose concessimus, ac voluimus inter cætera, ut Antiani dictæ civitatis, qui pro tempore forent, de omnibus in ipsis literis contentis pro statu, honoreque nostro, & Romanæ Ecclesiæ effectualiter observandis, & etiam adimplendis, singulis bimestribus in manibus tuis præstare tenerentur, & deberent (a) fidelitatis debito juramentum, prout in ipsis literis latius continetur. *Nos igitur, Venerabilis Frater, quem in magnis expertum, & arduis nostris, & ipsius Ecclesiæ pertractandis negotiis eximia bonitate, & fidelitate probatum singularium virtutum donis illarum largitor Dominus insignivit, Fraternitati tuæ, ob cujus Vitæ Integritatem, ac præcipuæ devotionis affectum, quem ad Nos, & ad eandem Ecclesiam gerere comprobaris, aliaque merita, & virtutes, de illa specialem in Domino fiduciam obtinemus*, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus ab eisdem Antianis, qui eligentur in posterum singulis bimestribus, & similiter a quodlibet Potestate, aliisque Officialibus, quovis nomine nuncupentur, qui in civitate præfata assumentur, aut deputabuntur pro tempore, & de suis officiis fideliter exercendis jurare sunt soliti de consuetudine, vel de jure, cujuscumque status, gradus, præeminentiæ, vel conditionis extiterint, antequam ipsorum officia incipiant exercere, de ipsis ad honorem, & statum nostrum, ac ipsius Ecclesiæ bene, & fideliter exercendis, nostro, & Romanæ Ecclesiæ nomine solitum recipias juramentum juxta formam, & modum in præfatis nostris literis seriosius annotatam.

Alia & Decr. Canon.

Datum Florentiæ v. Idus Junii Pontificatus nostri anno II.

EJUSDEM EPISTOLA II. AD EUNDEM.

Apostolicæ Sedis Nuntium in Regem Franciæ Beatum Nicolaum constituit ad pacem inter Reges, ac Principes sanciendam.

Martinus &c. Venerabili Fratri &c.

Ex Tab. Vat. Reg. 1. Mart. V. fol. 99.

OMnis pia fidelium procuratio nostra est, nobisque potissimum, qui Divina clementia in Apostolatus apice constituti, licet immeriti, Christiano generi præsidemus, hoc a Domino sollicitudo commissa est, ut inter fideles charitatem, & pacem omni studio, & diligentia procuremus. Cum itaque, sicut nosti, dudum gravi, & atroci dissensione Principum Gallicorum pestiferum bellum suscitatum in Regno Franciæ, & vicinis partibus viguerit, & vigeat de præsenti cum exterminio illarum gentium, & jactura gravissima totius Reipublicæ Christianæ; Nos cupientes finem tantis malis imponere, & indurata Principum corda placare, & ob hanc piam causam tam necessariæ, & sanctæ pacis ad partes illas Nuntium Apostolicum destinare, qui in conspectu Principum, & Populorum justus & idoneus prædicator, & suasor pacis, & charitatis existat, Te ad hoc sanctum opus ex omnibus Prælatis elegimus dignissimum Nuntium tantæ pacis profecturum ad Charissimum in Christo filium nostrum (b) Henricum Regem Angliæ Illustrem, & ad dilectos Filios Nobiles Viros (c) Delfinum &c., & Ducem (d) Burgundiæ, & inter ipsos pacem, & unitatem, & concordiam tractaturum: nam post omnipotentis Dei misericordiam plurimum, in tanto negotio de tua sapientia, & singulari virtute confidimus, & speramus, quod ultra profundos sensus tui naturalis ingenii subministrabit Spiritus Sanctus *devotioni, & humilitati tuæ* gratiam, ut verba nostra ex ore tuo cum fructu optimo exaudiantur. Quare Fraternitatem tuam in Domino hortamur, & affectuose rogamus, ut in sancti, & tam communis boni procuratione Nos adjuves, & pium hunc laborem non refugias, sed pro tot Populorum quiete, & salute fidelium prompta, & læta mente suscipias; quod enim facere potes meritum gratius Deo, quod utilius Christianis obsequium, quam si tot Populos in summis angustiis laborantes, & tot animas, quæ in hoc miserrimo statu rerum versantur in summo pe-

(a) Hujusce Epistolæ fragmentum vulgavit *Ghirardaccius Hist. Bonon. tomo II. pag. 628.* Fidelitatis Sacramentum Magistratus, atque Officiales Bononienses Romanæ Ecclesiæ singulis bimestribus præstare tenebantur coram eorum Antistite ex peculiari conditione in pacis Instrumento apposita, quæ hoc anno Ferrariæ sancita fuit Mense Februario coram Martino PP. V., & B. Nicolao Episcopo Bononiensi, ut constat ex authenticis ejusdem pacis tabulis, quas idem edidit *Ghirardaccius pag. 622.*

Hanc Epistulam ex autographo Canonicorum Bononiensium vulgavit Sigonius in vita B. Nicolai *cap. 9. pag. 81.* Sed a nostra multo diversam: Ex ea tamen temporis notam descripsi, quæ in Regesto Vaticano deerat. Ejusdem etiam fragmentum edidit Odoricus Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis ad A. C. 1422. §. 21.

(b) *Henricum Regem Angliæ*, nempe Henricum V., qui obiit A. D. 1422. die Lunæ 31. Augusti teste Jo. Juvenal Ursino in Historia Caroli VI. *pag. 391. edit. Reg.*

(c) *Delfinum*, hic est Carolus VII., Caroli VI. Francorum Regis filius tunc Franciæ Delphinus; Carolus VI. ejus Pater obiit A. D. 1422. die 20. Octobris teste eodem Juvenale Ursino p. 3..

(d) *Ducem Burgundiæ*, scilicet Philippum III. cognomento Bonum, Joannis Intrepidi filium, qui a militibus Caroli prædicti Franciæ Delphini proditorie occisus fuit apud Monasteriolum, vulgo *Monstereau* die 26. Augusti An. 1419., ut idem Ursinus narrat *pag. 370.*

CLASS. I. Mart. PP. V. Epist. 2.

periculo perditionis extremæ, Deo adjutore, tuo labore, & sapientia liberabis? *Cum enim charitas tua semper ad juvandum proximum sit parata, hoc in casu pro tam publica utilitate debet esse ferventior.* Itaque, *Venerabilis Frater, hoc tibi manu confidenter imponimus, quia cognoscimus ardorem tuæ charitatis in proximum, & erga nos, & Sedem Apostolicam fidelis obedientiæ puritatem.* Cæterum hac de causa Te ad nos vocare nolumus, & laborem itineris duplicare; sed pro informatione tua inclusas præsentibus instructiones agendorum mittimus, & literas nostras cum copiis ipsarum literarum, quas Principibus illis scribimus super ista materia; volentes, quod instructionibus suprascriptis dicendo, & agando, & negotium hoc tractando addas, & minuas secundum quod circumspectioni, & prudentiæ tuæ videbitur expedire. Datum Romæ apud Sanctum Petrum VI. Idus Februarii Pontificatus nostri anno V.

Epistol. 3.

EJUSDEM EPISTOLA III. AD EUNDEM.

1422. 14. Martii.

Beatum Nicolaum Gallicæ Legationis onus modeste recusantem excitat Martinus Pontifex, jubetque, ut quantocius iter suscipiat.

Martinus &c. Venerabili Fratri &c.

Ex Tab. Vat. Regest. Mart. PP. V. n. 21. fol. 14. Epist. 10.

SI nostro, & Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium judicio de Te ipso anteponis tuum, vide, ne error potius, quam humilitas dici possit; Nos enim, & præfati Cardinales, cum de procuranda pace fidelium tractaramus, & multi sapientia insignes Prælati, & altiari status, quam Tu nominarentur, *in te uno quievimus, visumque nobis omnibus fuit hoc electionis tuæ a Spiritu Sancto consilium accepisse, & in hoc rei bene gerenda a Domino sancto auspicium datum esse.* Propterea noli, Frater, sicut per tuas literas nuper respondisti, infirmitatem tuam, (a) vel corporis, aut animi imbecillitatem in excusationem adducere, cum pridem Nos hæc omnia metientes, & gravitatem causæ cum *tua humilitate* comparantes, discussis omnibus, quæ apud Te reiterare non expedit, ita conclusimus, atque firmavimus, & ad multos de Romana Curia literæ diversorum nuntiarunt, Te ad illud sanctæ pacis negotium continuo profecturum, quos scimus de tua electione gavisos, & plenos optimæ spei jam cupidissimis animis tuam præsentiam expectare. Quare ad cæteras rationes, quæ Te debent inflammare, & cum sancta voluptate conducere ad procurationem tanti boni, non est levis a te ratio existimanda, ne videamur, Te non eunte, sitientes pacem delusisse, & inani gaudio replevisse. *Tuum vero animum in rebus operationibus laborantem, & Domini auxilio confidentem;* quæ tantæ rei moles, aut difficultas deterrere potest? an nescis, quia Deus quærentes pacem adjuvat? speramus enim, quod hanc pacem, Deo auctore perficies; multa sunt enim argumenta, quibus in hanc spem adducimur, inclinatis jam animis, & Principibus, & Populis fatigatis non ita difficulter, ut forte putas, persuadebis; & multa sunt insuper nuntiata Nobis, propter quæ bene speramus. Quare velis, Frater, hoc opus animo magno amplecti, & in gratia Dei sperare, quæ omnem infirmitatem tuam fortificabit, nec est tibi tantum in tuis viribus cuiquis diffidendum, quantum in ejus infinita potentia confidendum; quod si etiam optata compositio non succederet, quam certe successuram esse confidimus, non propterea operam perdidisses, qui tam necessariam, & salutarem pacem procurasses. Non enim ex eventu rerum, sed hominum voluntate, & conscientia recta factorum, & Divino judicio, quæcumque facimus, extimanda sunt. Nullam igitur amplius excusationem quæras, sed Omnipotentis Dei gratiam, quam ex hoc singulariter promereris, omnibus tuis difficultatibus anteponens, ad iter accingere, & læto animo nostræ satisfacias voluntatis, cui nihil gratius facere potes, quam si, omissa omnium literarum replicatione, Te quamprimum senserimus profecturum (b) in Galliam, de Bononia recessisse; quod ut facias Fraternitati tuæ in virtute sanctæ obedientiæ per præsentes præcipimus, & mandamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum II. Idus Martii Pontificatus nostri anno V.

CLASS. I. Mart. PP. V. Epist. 4.

EJUSDEM EPISTOLA IV. AD HENRICUM V. ANGLIÆ REGEM.

Epist. 4.

Henricum hortatur Pontifex ad pacem cum Gallis componendam. B. Nicolaum eximiis ornat encomiis, quem ad sedandas hujusmodi discordias Apostolicæ Sedis Nuntium prædicto Regi, cæterisque Galliarum Principibus mittere significat.

Sept. 14. Martii.

Martinus &c. Carissimo in Christo filio Henrico Regi Angliæ Illustri &c.

Ex Annal. Eccl. Odoric. Raynal. ann. 1422. §. 30.

TAnta est apud Nos opinio pietatis, & humanitatis tuæ, quod omnino confidimus, vocem nostram, immo vocem Omnipotentis Dei per Nos Vicarium suum in terris, licet immeritum, Te vocantes ad pacem, benigna, & devote suscepturum; & quod etiam omni cupiditate, & ambitione seclusa, quam certe in tuo regali animo regnare non credimus, in hac tanta re, a qua status universæ Christianitatis dependet, nostris, & Apostolicæ Sedis hortationibus, & consiliis acquiesces, & publicam tot fidelium salutem tuis propriis commodis antepones. Non est opus, Fili carissime, ut commemoremus ea, quæ notissima tibi sunt, & in oculis tuis versantur, vastationes (c) Urbium, & Provinciarum, afflictiones, & calamitates innumeras populorum, quæ propter contentiones, & dissidia Principum Gallicorum per hos annos proximos acciderunt. Major certe est hæc clades, graviorque jactura non solum illarum gentium, quæ sunt propinqua, vel immistæ periculis, sed totius Reipublicæ Christianæ, quam cujusquam possit sermonibus explicari; quæ mala, quæ discrimina, quos labores, cum jam dudum ex Apostolatus apice lacrimantes aspiciamus, & pro pace fidelium, Deum continuo suspirantes oremus, & omnes nostras curas, & cogitationes ad hoc potissimum intentas habeamus, ut inspirante Domino aperiamus aliquam salutarem viam compositionis, & pacis, ad Te imprimis, quem propter amplitudinem excellentiamque regalem, & vim atque potentiam militarem omnia magna posse, propter clementiam, & benignitatem naturæ tuæ omnia bona velle non dubitamus, recurrere visum est: & speramus in eo, qui inspirat omnia sana, & sancta consilia, quod nulla belli felicitas te faciat a salute Christianorum, & pacis consiliis abhorrere. Considera præterea, Fili carissime, nullam tantam esse posse rerum humanarum felicitatem, præsertim in bello, in quo omnia varia, & dubia sunt, quæ non periculis, & casibus innumeris sint subjecta; itaut plerumque, qui manutenere victoriam videantur, aliqua subito, & improvisa necessitate superentur; & hæc tibi jam cognita, & explorata esse confidimus, qui versaris in bellis, & nunc læta, nunc tristia, æquo & forti animo pertulisti: tantaque est dubietas, & vertigo casuum bellicorum, ut si nulla res sanctior animas hominum inclinaret ad pacem, tamen esset certa pacis securitas cuilibet felicitati, & speratæ victoriæ anteponenda. Sed quoniam apud animi tui magnitudinem plus valere publicæ utilitatis, quam proprii laboris, aut periculi rationem putamus, velis, Fili carissime, cogitare, & ante oculos ponere præsentem totius Christianitatis statum, & pro tua pietate, & sapientia quantum potes providere, ne in graviorem miseriam prolabatur; nam apud Septentrionem, ut vides, pestifere, & horribili hæresi suscitata; & ad eam exstirpandam tota Alamania laborante, si Regna illa, & Nationes apud Occidentem diuturno bello inter se usque ad extremam perniciem vexabuntur, necesse est, universam Rempublicam in maximis periculis, & miserabili calamitate variari. Quare per misericordiam Jesu Christi rogamus, & obsecramus Serenitatem tuam, ut habita ratione potius humanitatis, quæ potest in pace servari, quam felicitatis, quæ in bello cruento non potest esse perpetua, habitaque consideratione tot populorum, qui ad extremam miseriam deducuntur, & pensato communi Christianorum statu, læto corde, & prompto animo hortationes nostras, & verba nostra recipias, *ac Venerabilem Fratrem Nicolaum Episcopum Bononiensem, virum religionis observantia,* Integritate, & Sanctitate Vitæ *dudum Domino servientem dignissimum Nuntium tuæ pacis exaudias; quem virum ex multis Prælatis elegimus propter suam insignem sapientiam, & munditiam singularem ad hoc pium, & sanctum opus idoneum;* (d) *& spe-*

(a) Tenuem, imbecillemque B. Nicolai valetudinem abstinentia asperrima, jejuniis, ac macerationibus extenuatam graphice ob oculos ponunt Scriptores coævi. Auctor *Histor. Miscell. Bonon. tom. 18. Script. Rer. Ital. pag.* 608. Vespasianus Floren. in vita Beati Nicolai, quæ extat inter Italorum testimonia n. 1. 5 & Jacobus Zenus *cap.* 11. *pag.* 7. *& cap.* 20. *pag.* 40.

(b) Pontificis imperio confestim paruit B. Nicolaus; nam teste Matthæo de Griffonibus in Memor. Hist., quod extat *tom.* 18. *Script. Rer. Ital. pag.* XXI. ad An. 1422. 25. Aprilis *D. Nicolaus Episcopus ivit pro Ambaxiatore Domini Papæ ad Regem Franciæ, & Regem Angliæ.*

(c) Infelicem Galliarum Statum, quem hac epistola deplorat Sum. Pontifex, graphice describunt oculatissimi illorum temporum testes Jo. Juvenalis Ursinus *pag.* 379. *& seqq.* Nicolaus de Clemangis in Oratione ad Principes Galliarum, quæ extat inter ejus Opera *pag.* 169. Enguerannus de Monstrelet *tom.* 1. *pag.* 317. Alanus Auriga in Dialogo super deploratione Gallicæ calamitatis *pag.* 455., & demum Jo. Germani Episcopus Cabilonensis in vita Philippi III. Ducis Burgundiæ, quam edidit Jo. Petrus de Luddewig in Reliquiis MS. *tom.* 11. *pag.* 40. *& seqq.*

(d) Qua vero sanctitatis opinione B. Nicolaus hac Legatione ad Henricum Regem functus fuerit, testis est Poggius in o-

CLASS. I. Mart. PP. V. Epist. 1. *& speramus, quod Spiritus Sanctus ex hujus humilis, & devoti hominis ore in cor tuum, & aliorum, quorum consensus est necessarius, desiderium, & amorem pacis infundet.* Datum Romæ apud S. Petrum &c.

Epist. 5.

EJUSDEM EPISTOLA V. AD CAROLUM DELPHINUM VIENNEN.

1422. 14. Martii. *Delphinum enixe monet Pontifex, ut depositis civilibus odiis, ac diuturnis inimicitiis pacem Galliis reddat. Egregias Beati Nicolai virtutes laudat, quem pacis firmandæ studio ad ipsum misisse dicit.*

Martinus &c. Dilecto Filio Carolo Delphino Viennensi &c.

Ex Tab. Vat. Reg. Mart. PP. V. n. 45. fol. 60. Epist. 224. JAm dudum de summo Apostolatus apice lacrimantes aspicimus labores tuos, populorumque afflictiones, & patarum Regni calamitatem, Tibique, & cæteris fidelibus, qui laborant, & in tanta bellorum confusione versantur, Fili dilecte, pro nostra erga te, & tuos paterna charitate compatimur, & de capitis tui periculo in tanta rerum vertigine formidamus; sed cum sola pax possit te tutum præstare, & conservare statum tuum, & gentes, atque provincias, quæ tibi obediunt, atque favent, a continuis cladibus, & periculis liberare, pro hac pace Deum continue suspirantes oramus, ut nobis aperiat aliquam viam salutarem hujusmodi desideratæ compositionis, & pacis, per quam omni deposita memoria injuriarum, cum sanguine tuo primum reducaris in gratiam, & mutuam charitatem; deinde cum carissimo in Christo Filio nostro Henrico Rege Angliæ Illustri pacifice, & quiete vivas. Hoc unum certe inter omnia nostra desideria primum est, quia sic expedire cognovimus non solum tibi, & adversariis tuis, & vestris populis, qui vos sequuntur, sed etiam universæ Reipublicæ Christianæ; nam apud Septentrionem, ut vides, pestifera atque horribili (a) hæresi suscitata, & ad eam extirpandam tota Alemania laborante, si Regna illa, & nationes apud Occidentem inter se diuturno bello usque ad extremum excidium vexabuntur, necesse est, universam Christianitatem in maximis periculis, & miserabili calamitate versari: propterea, Fili dilecte, & tui & tuorum causa, & etiam consideratione publicæ utilitatis animum tuum fortasse exulceratum offensionibus, & injuria lacessitum mitigare, & per misericordiam Jesu Christi inclinare velis ad pacem Deo gratissimam, & necessariam tibi, & tuis, atque utilem omnibus Christianis, pro qua tractanda, & Deo auctore perficienda ad præfatum Regem, & tuam generosam Excellentiam, & ad dilectum Filium nobilem Virum Ducem Burgundiæ destinavimus venerabilem fratrem *Nicolaum Episcopum Bononiensem virum religionis observantia*, Integritate, & Sanctitate Vitæ *dudum Domino servientem, quem unum elegimus ex multis Prælatis sapientia insignem, & munditia singularem ad hoc pium, & sanctum opus, & idoneum, & dignissimum Nuncium tantæ pacis;* nam speramus in Domino, qui solum inspirat sancta consilia, *quod ex hujus* Humilis & Devoti Hominis *ore Spiritus Sanctus in cor tuum, & aliorum, quorum consensus est necessarius, desiderium, & amorem pacis infundet.* Datum Romæ apud S. Petrum &c.

Epist. 6.

EJUSDEM EPISTOLA VI. AD PHILIPPUM DUCEM BURGUNDIÆ.

1422. 26. Novemb. *Hortatur Ducem Burgundiæ ad amplectanda pacis consilia, eique B. Nicolaum Apostolicæ Sedis Nuncium vehementer commendat, cujus virtutes summopere extollit.*

Martinus &c. Dilecto Filio Nobili Viro Philippo Duci Burgundiæ &c.

Ex Tab. Vat. Reg. Mart. PP. V. n. 45. fol. 31. Epist. 94. QUamprimum fuimus divina favente clementia ad apicem summi Apostulatus assumpti, nihil magis curæ fuit Nobis, quam pacem regnorum Franciæ, & Angliæ procurare, & hac pro causa transmisimus ad eas partes venerabilem fratrem Jordanum (b) Episcopum Albanensem, & dilectum filium Guilelmum tit. S. Marci Presbyterum S. R. E. Cardinales Apostolicæ Sedis Legatos, qui animos Principum inclinatos in bellum mitigare juxta nostrum desiderium nequiverunt; sed non propterea minus ardens, atque sollicitus in hoc proposito animus noster est factus; immo tanto magis, ac magis in desiderio hujusmodi pacis quotidie accensus fuit, quanto in dies majora belli detrimenta, strages Urbium, & desolationes Provinciarum, cædes hominum, & etiam tui status, & capitis periculum nuntiabantur; quæ cupientes avertere, & Te incolume illud catholicum Regnum Franciæ a tantis cladibus liberare, *postea Venerabilem Fratrem Nostrum Nicolaum Episcopum Bononiensem, Virum Devotum, & in fervore spiritus Domino ferventem ad te misimus, & ad alios Principes,* a quorum voluntatibus pax dependet; *& quamvis præfatum Episcopum idoneum, & utilem in hac sancta procuratione Nuncium judicemus;* tamen pro nostro desiderio singulari non videmur nobismetipsis satisfacere, nisi & venerabilem fratrem nostrum Ludovicum Episcopum Portuensem S. R. E. Cardinalem cum plenæ Legationis officio ad hoc pacis negotium deputamus; magnam, ut speramus, in præfato Regno auctoritatem, & gratiam merito dignitatis, & sanguinis habiturum, & gratum mediatorem Excellentiæ tuæ futurum. Te vero, Fili dilecte, rogamus, & obsecramus per misericordiam Salvatoris nostri, ut animum tuum inclines ad pacem: nihil Tibi, & tuis melius dari potest; nam solo pacis beneficio parari potest tranquilla securitas status tui, & Tu cum tuis fidelibus a tantis vexationibus respirare. Velis igitur, & tui particularis, & publici boni causa, iram etiam justam deponere, & Te paratum ad donandam veniam exhibere, & quod facere debent viri Deo devoti, & illustres in sæculo, injuriarum omnium oblivisci. Datum Romæ apud S. Marcum VII. Kal. Decembris Pontificatus nostri anno VI.

EJUSDEM EPISTOLA VII. AD LUDOVICUM EPISCOPUM PORTUENSEM S. R. E. CARDINALEM.

Ludovicus Episcopus Portuensis Galliæ Legatus renunciatur ad pacem inter Reges, ac Principes sanciendam. Monetur, ut consilio, atque opera B. Nicolai in hujusmodi negotio utatur omnino, cujus egregias animi dotes recenset Pontifex. 1422. 5. Decemb.

Martinus &c. Venerabili Fratri Ludovico (c) Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinali Apostolicæ Sedis Legato &c.

CUM fuerimus semper, & simus ad omnem pacem fidelium procurandam sincera voluntate dispositi, præcipua regni Franciæ Nos cura sollicitat; & ut illud aliquando videremus in se ipso, & cum regno Angliæ, cum bono utriusque Regni statu compositum, maxime optavimus. Dudum itaque ad hoc ipsum opus intenti, in ipso nostræ ad apicem Apostolatus assumptionis initio venerabilem fratrem Jordanum Episcopum Albanensem, & dilectum filium nostrum Guillelmum tit. S. Marci Presbyteros S. R. E. Cardinales de Latere nostro transmisimus, & nonnullos alios Prælatos, & honestos viros, per quorum diligentem operam furor incipiens restingui non potuit, & contundi, nec Principum calescentes animi mitigari; Postea vero nostro de hac desiderio non cessante, transmisimus illuc venerabilem fratrem nostrum *Nicolaum Episcopum Bononiensem, quem propter integerrimam vitam ejus, & observantiam Religionis in lege Domini*, existimavimus gratum Deo Nuntium, & ad hoc pium opus idoneum. Nec propterea destitimus per Nuntios, & literas incitare alios quoscumque credidimus ad hanc concordiam afferre aliquid operis posse, & præsertim dilectum filium nobilem virum Amadeum Sabaudiæ Ducem, sperantes, interpositionem suam in hac compositione mul- Ex Tab. Vat. Reg. Mart. PP. V. n. 45. fol. 53. Epist. 20.

tum

in oratione funebri de B. Nicolao §. v. *Sensi ego* (inquit) *qui in Anglia tunc morabar, quanti a Rege fieret, quanti virtus ejus, & sapientia æstimarentur ab omnibus, quantaque cum omnium commendatione munus sibi injunctum obiisset. Prædicabatur ab his, qui a Rege veniebant, continentia hujus innocentia, integritas, religio: & hunc unum ad se missum ajebant sine ambitione, sine cupiditate, in quo veræ sanctitatis specimen elucet.*

(a) *Nam apud Septentrionem, ut vides, pestifera, atque horribili hæresi suscitata* - scilicet Taboritarum, atque Hussitarum, quæ jam e Bohemia eruperat, ac Germaniam, ac Poloniam longe lateque pervaserat.

Hanc Epistolam fere integram vulgavit Raynaldus ad A. C. 1421. §. 21.

(b) *Jordanum Episcopum Albanensem, & Guillelmum tit. S. Marci &c.* nempe Jordanum Ursinum, & Guillelmum Philasterii Cenomanensem, quos Martinus V. Pont. Max. in Galliam misit An. 1418. dum ipse Constantiæ adhuc moraretur. De Jordano vide Ciacconium. Guillelmum vero laudant Andreas Victorellus in additionibus ad Ciacconium, & Petrus Frizonius in Gallia Purpurat. *pag.* 466. Legationem hujusmodi a prædictis Cardinalibus peractam memorant Juvenalis Ursinus in Vita Caroli VI. *pag.* 347. Enguerrannus Monstreletus *tom.* 1. *cap.* 187. Odoricus Raynaldus ad A. C. 1418. §. 25., *& seqq.*

(c) *Ludovico Episcopo Portuensi.* Hic est Ludovicus Cardinalis Dux Barri de Regum, & Barri Ducum prosapia ortus. Patrem habuit Robertum primum Barri Ducem, Matrem vero Mariam Joannis Galliarum Regis filiam. Fuit primo Episcopus Virdunensis, postmodum Cabillonensis, & demum a Benedicto XIII. pseudo Pontifice Cardinalitia purpura donatus. Ejus vitam, & res gestas narrant Sammarthani Fratres in Gallia Christiana, in Episcopis Virdunensibus, & in Genealogia Regiæ Domus Franciæ *lib.* 8. *pag.* 176. Andreas Du Chesne in Historia Genealogica Ducum Barri *pag.* 58. Augustinus Calmet in Historia Lotharingiæ *tom.* II. *col.* 755. Vide etiam Odoricum Raynaldum in Annalibus Ecclesiasticis ad Anno 1422. §. 31., ubi hanc eamdem Legationem a Martino Quinto ipsi commissam memorat.

CLASS. I. Mart. PP. V. Epist. 7.

tom posse proficere. Sed cum hoc, & plura fecerimus pro hac pace, quæ narrare non expedit, cor nostrum pro ardenti desiderio non quiescit, nisi eam perfectam, & absolutam videamus; ad quam etem personam tuam multis rationibus opportunam esse putamus, & propter auctoritatem, & gratiam, quam habes apud omnes merito dignitatis, & sanguinis, & propter illarum rerum cognitionem, & sapientiam tuam; quæ res cum tua sincera, & ad bonum publicum inclinata voluntate conjunctæ, Nobis spem de optimo effectu certissimam pollicentur. Videbimus etiam libenter tantam per manus suas concludi, qui es honorabile Ecclesiæ membrum, & hoc arbitramur plurimum ad honorem nostrum, ac suum, & ipsius Ecclesiæ pertinere. His igitur considerationibus moti, Te Legatum de latere ad ista feliciter, Deo propitio, exequenda, & statum Regni Franciæ componendum in pace creavimus, sicut per nostras literas Legationis poteris intueri. Et sic circumspectioni tuæ, de qua summa confidimus, præsentiam tuam committimus, & mandamus, quatenus Te conferas ad ea loca, quæ hujusmodi tractatui magis opportuna cognoveris, & cum quibuscumque Principibus, Dominis, Magnatibus, Communitatibus, & Universitatibus expediens esse putaveris, pacem hanc, & concordiam procurando, dicas, & facias nostro nomine quidquid fuerit actum prudentiæ tuæ, quam sine alia directione nostra ad hoc negotium instructissimam judicamus; & placet etiam Nobis, quod præfatus Episcopus non discedat, sed eumdem advoces, & consiliis tuis admittas, ut circa aliquod ministerium exercere eum possis; *Nam parebit ipse libenter præceptis tuis, & humilitate, & beatitate tua*, & his nostris admonitionibus; Tu autem *in eo Viro reperies, præter contemplationis ejus excelsas in Deum, in humanis etiam rebus prudentiam, atque fidem, & in practicatione boni studium indefessum*: Speramus enim in Domino, qui inspirat sancta consilia, quod Principes, & sequaces eorum, a quorum voluntate pax ista dependet, tuis admonitionibus flectentur, & Spiritu Sancto dirigente prudentiam tuam, consiliis tuis nullatenus repugnabunt, cum sint etiam bello diuturno, & cladibus innumeris fatigati. Propterea, Venerabilis Frater, in hanc tanta rerum opportunitate exhibe alacri animo te paratum, & suscipiat causam hanc sanctam tua virtute, & sapientia dirigendam, in qua simul, & Dei gratiam, & hominum benevolentiam promereberis, ut Gentes, Civitates, atque Provincias ab extrema pernicie liberando, & honorem nostrum, & Ecclesiæ, quem scimus tibi esse carissimum, in conspectu Principum, & Populorum amplificando, valeas adjuvare. Datum Romæ apud S. Marcum Kalendis Decembris Pontificatus nostri anno VI.

Epist. 8.

EJUSDEM EPISTOLA VIII. AD B. NICOLAUM.

1422. 29. Decembr.

Urbanum Carthusiensem B. Nicolai Nuntium audisse significat. Jubet, ut toto animo, studioque omni in absolvendum pacis negotium incumbat.

Martinus &c. Venerabili Fratri Nicolao &c.

Ex Tab. Vat. lib. 11. Brevium Ep. 112. fol. 112.

AUdivimus, & intelleximus diligenter dilectum filium Urbanum de Ordine Carthusiensi super his, quæ ex mente tua nobis exposuit, sed quanto magis consideramus publicum bonum pacis, & quam acceptum obsequium Deo præstetur in ejus procuratione per Te præsertim, (a) *cujus operationes indifferenter omnibus gratæ sunt*, tanto reddimur in hoc proposito firmiores, ut nullo modo discedas, sed tractatum pacis inceptum, Deo propitio, prosequaris. Propterea fraternitatem tuam hortamur, ac etiam ex corde requirimus, ut pro tanta, & tam publica utilitate, & pro nostro, & Ecclesiæ honore studeas perficere quod cœpisti, & pacem omnino procures secundum quod Tibi tua discretio, & conscientia suadebit. Datum Romæ apud S. Petrum die XXIX. Decemb. Pontificatus nostri anno VI.

Epist. 9.

EJUSDEM EPISTOLA IX. AD EUMDEM.

1423. 18. Januarii.

Pacis negocium B. Nicolao iterum commendat Pontifex, ac Urbanum Carthusiensem ad ipsum remittere nunciat.

Martinus &c. Venerabili Fratri Nicolao &c.

Ex Tab. Vat. lib. 1. Brevium n. 101. fol. 17.

PRopter summum nostrum desiderium illius pacis dudum magno studio procuratæ, sicut alias fraternitati tuæ scripsimus, placet Nobis, & omnino volumus, ut adhuc ibi resideas, & prosequaris incepta, vel per Te ipsum, vel simul cum venerabili Fratre nostro Ludovico Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinale per Nos ad hoc pium opus pacis procurandæ cum plenæ legationis officio deputato, prout ex pluribus nostris literis cognovisse debuisti; *Nobis enim videtur, quod tua integritas, quæ omnibus grata est plurimum profutura sit* in isto negotio, & propterea non graveris perseverare usque ad conclusionem, quam speramus esse propinquam. Cæterum pro tua consolatione remittimus ad Te dilectum filium Urbanum de Ordine Carthusiensi, qui Te etiam de hac nostra intentione plenius informabit. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVIII. Januarii Pontificatus nostri anno VI.

CLASS. I. Mart. PP. V. Epist. 10.

Epist. 10.

EJUSDEM EPIST. X. AD JOANNEM BETFORDIÆ DUCEM.

1423. 26. Januarii.

Joanni Bethfordiæ Duci B. Nicolaum commendat, eique in Pacis negotio ut faveat, hortatur.

Martinus &c. Dilecto filio nobili Viro Joanni Duci Bethfordiæ &c.

Ex Tab. Vat. Reg. Mart. PP. V. n. 45. fol. 63. Ep. 256.

DUM celebris, & præclaræ memoriæ Henricus Rex Angliæ frater tuus ageret in humanis, ad eum, & ad alios Principes, quorum consensus est necessarius pro tractanda pace, transmisimus *venerabilem Fratrem Nicolaum Episcopum Bononiensem virum Deo devotum, & dignum Nuntium tantæ pacis*, qui ex commissione nostra eamdem adhuc materiam prosequatur. Propterea nobilitatem tuam affectuose requirimus, & rogamus, ut ad tantum bonum Deo auctore feliciter concludendum, & sibi præbeas propitium, & benignum: Nam nulla res est, in qua magis possis Dei gratiam, & hominum benevolentiam promovere. Datum Romæ apud S. Petrum VII. Kal. Februarii anno VI.

Epist. 11.

EJUSDEM EPIST. XI. AD CAROLUM REGEM FRANCORUM.

1423. 10. Februarii.

Carolum Regem orat, ut rebus in Gallia fere compositis, & Ludovico Episcopo Portuensi commissis, B. Nicolaum Bononiam reverti sinat.

Martinus &c. Carissimo in Christo Filio Carolo Francorum Regi Illustri &c.

Ex Tab. Vat. lib. 1. Brevium fol. 104. n. 180.

PAcem, & quietem tuam, & Regni tui semper optavimus, & omni studio, & charitate quæsivimus, & specialiter hac pro causa destinavimus ad eas partes *venerabilem fratrem Nicolaum* (b). *Episcopum Bononiensem speravimus, ejus Immaculatam Vitam, prudentiam, & sinceritatem* plurimum in eo pacis tractandæ negotio profuturam, nec dubitamus, eumdem pro tanto, & tam publico bono, sincere, & libenti animo laborasse; quem licet Serenitas tua libenter audiret, & ob nostram, & Apostolicæ Sedis reverentiam, ac etiam ob sua merita honoraret, & in omnibus benignitate regia pertractaret, sicut per literas ejus accepimus; tamen Nobis, illius pacis desiderio nostrum animum stimulante, visum fuit ad tractatum tantæ rei eminentiorem personam cum plenæ legationis officio deputare, videlicet Venerabilem Fratrem Nostrum Ludovicum Episcopum Portuensem S. R. E. Cardinalem, tunc putantes, sicut etiam nunc putamus, eum parti utrique gratum esse futurum; nec propterea videbamus præfatum Bononiensem Episcopum revocare, quamvis forsitan, Cardinale ex commissione nostra negotium hoc tractante, ipsius Episcopi præsentia non multum necessaria videretur. Nunc vero pro nonnullis novis, & arduis necessitatibus nostris cupimus, & est nobis expediens, ut Episcopus antedictus ad Civitatem nostram Bononiensem revertatur. Quare Excellentiam tuam rogamus, ut, si assistentia sua non est admodum necessaria, si recessus ejus non affert impedimentum, aut turbationem aliquam rebus cœptis, sicut credimus non afferre; præsertim, sicut intelleximus, rebus inclinatis ad pacem, & Cardinale ad hoc negotium deputato, benignam licentiam ei concedas, ut possit cum bona tua gratia ad Nos reverti; Nos enim eidem in hanc sententiam scribimus, ut in Italiam revertatur; ita tamen, ut, si ejus præsentiam necessariam esse cognoverit tam salutaris pacis perficiendæ causa, tantum bonum, & omnem voluntatem tuam omnibus nostris, & Ecclesiæ necessitatibus ante-

Po-

(a) *Cujus operationes indifferenter omnibus gratæ sunt*. Egregio hoc Summi Pontificis testimonio mirifice consonant ea, quæ in hanc rem narrat Poggius in Oratione funebri de Beato Nicolao §. v. dum inquit: *In Gallias igitur profectus est, & cum utroque Rege sæpius collocutus, ad pacemque adhortatus, eos in admirationem sui attraxit. Nulla munera, nulla dona accepit, sed solitam suam continentiam, modestiamque servavit. Et cum se cum utrique Rege, tum reliquis omnibus, maxime vitæ continentia, gravitate, ac prudentia probasset; tamen in tanta sententiarum diversitate, difficile fuit concordiam statuere. Id tamen egit, ut ob suas virtutes tam Gallis, quam Anglis relinqueret desiderium sui, & a singulis vir rectissimus, atque optimus putaretur*. Eidem peorsus affirmat Vespasianus Flor. in Vita B. Viri, quem superius laudavi.

Scribit Martinus Joanni Duci Bethfordiæ Henrici V. fratri, quia ipsi, ac Philippo Duci Burgundiæ Rex adhuc vivens Regni, ac Henrici VI. filii sui adhuc pueri tutelam commiserat, ut narrat Thomas Walsinghamensis Monachus S. Albani in Chronica Regum Angliorum, quæ extat in Anglicis, Hibernicis &c. Guilielmi Camdeni *pag.* 406.

(b) Beatus Nicolaus Bononiam reversus est die 9. Mensis

CLASS. I. Mart. PP. V. ponat. Datum Romæ apud S. Petrum xiv. Kalendas Martii Pontificatus nostri anno vi.

Epist. 12.

EJUSDEM EPISTOLA XII. AD BEATUM NICOLAUM.

1428. 27. Aprilis.

Beato Nicolao gratulatur Pontifex, quod præcipua illius studio, ac sapientia pax inter Ducem Mediolani, Venetos, ac Florentinos sancita fuerit.

Martinus &c. Dilecto filio Nicolao &c.

Ex Tab. Vat. lib. Brevium to. 9. fol. 40.

RExcepimus tuas litteras, quibus significas Nobis, pacem conclusam esse inter dilectos filios Nobilem Virum Ducem Mediolani, ac Venetos, & Florentinos, ex quo immensam in Domino lætitiam suscepimus, benedicimus Deum, & ei gratias agimus pro hoc tanto bono, tamque optato a Nobis; *tuum autem plurimum commendamus studium, & prudentiam tuam*, cujus maxime cura, & opera hæc pax facta est; ita enim ferunt omnes (*a*) tua sollicitudine, & industria pacem secutam esse. Quare & Deus summe laudandus est hujus boni largitor, & tibi gratiæ agendæ. Verum circa hoc nil amplius scribimus, ad præsens expectantes a te literas, quibus explicentur peculiarius Nobis conditiones pacis (*b*). Datum Romæ xxvii. Aprilis Pontificatus nostri anno XI.

Eugenii PP. IV. Epist. 1.

EPISTOLA PRIMA EUGENII IV. PONTIFICIS MAXIMI AD B. NICOLAUM CARDINALEM S. CRUCIS.

B. Nicolaus pacis causa amplissima Legatione in Gallia legatur.

1431. 28. Aprilis.

Eugenius &c. Dilecto filio Nicolao Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem Presbytero Cardinali ad pacificandum Regnum Franciæ Apostolicæ Sedis Nuntio cum potestate Legati &c.

Ex Tab. Vat. Reg. Eugen. IV. fol. 10.

CUM primum fuimus Divina favente Clementia ad apicem summi Apostolatus assumpti, considerantes, quod licet immeriti gerebamus, ut gerimus æterni, & pacifici Regis vices in terris, & quod illi æternum Regi pax fidelium acceptabile sacrificium est, quam ipse pro speciali dono suæ hereditatis transiturus ad Patrem reliquit Apostolis; & videntes, quod propter pestiferam, & cruentam dissensionem dudum exortam in regno Franciæ innumeræ civitates, & provinciæ affliguntur populorum cladibus, vastitate, & depopulatione Terrarum, & innumeris aliis detrimentis, qualia fiunt in bellis, maxime inter Potentes, & graviora malis præsentibus pericula belli diuturnitate secutura formidantes, quæ ulterius procedente discordia necesse est sequi, & Angliam exhauriri viris, & opibus, & Franciæ regnum devenire ad extremam calamitatem. Et cum hæc duo regna sint firmissima, & fortissima præsidia Reipublicæ Christianæ, his regnis laborantibus, consequens est, universam Christianitatem opportuna subventione carentem, cum summo periculo etiam fidei catholicæ laboratura, præcipue a Septentrione invalescentibus Bohemis Hæreticis, & ab aliis plagis mundi infidelibus insurgentibus contra Christianos, ad pacificandum præfatum regnum Franciæ convertimus omnes nostros sensus, & spiritus. Nos igitur, & alios effectus pestiferos quos guerrarum, & hujusmodi præcipue furor producit, & favet, in nostræ considerationis aciem extollentes, ac plenis, & paternis desiderantes affectibus, ut scandalorum, & guerrarum materia, quæ dudum pestifere viguit, & versatur inter carissimos in Christo filios nostros Carolum Franciæ, & Henricum Angliæ Reges illustres, & dilectos filios nobiles viros Duces, Comites, Barones, Milites, ac Universitates, & Communitates, & alios quoscumque præfatis Regibus adhærentes, ac complices, & sequaces eorum, pacis Auctore cælitus inspirante, in bonum salutaris concordiæ, & unitatis pacifica commutetur, & de tuæ circumspectionis industria, *quam potentem opere pariter, & sermone in magnis expertum, & arduis, eximia probitate, fidelitate, magnitudine consilii, morum elegantia, & aliis grandium virtutum titulis, eorum Largitor Dominus multifarie insignivit, in cujus affectibus gerimus*, prout indubitanter tenemus, fluctuantes turbines, ac diffidentia quæque in pacis pulchritudinem commutare; sumentes in Altissimo fiduciam specialem, quod illa, quæ eidem circumspectioni tuæ, cujus præsentia nobis summe perutili pro tam celebris boni consecutione votiva in præsentiarum carere compellimur, duximus committenda, cura exactissima, atque pervigili curabis adimplere: habita super hoc cum venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, deliberatione matura, *Te tanquam pacis Angelum, ac Pacrarium* nostro, & Ecclesiæ Romanæ nomine ad pacificandum præfatum regnum Franciæ Apostolicæ Sedis Nuntium cum potestate Legati de eorumdem Fratrum consilio, cum tanto pacis Angelo, providimus destinandum; indubitabili ratione tenentes, quod inspirante pacifico regum Rege, qui, ut dictum est, pacem jure hereditario de mundo transiturus ad Patrem suis reliquit Discipulis in discessu, fomenta discordiarum quæcumque inter Reges prædictos mota restinguere, & salutaris concordiæ, ac inæstimabile pacis bonum producere modis omnibus satages. Tibique propterea inter præfatos Reges, nec non Duces, Comites, Barones, Milites, ac Universitates, ac Comunitates, & alios quoscumque præfatis Regibus adhærentes, ac complices, & sequaces eorumde, & super quibuscumque discordiis, differentiis, atque guerris, urgentibus, & quæ esse possent inter eosdem Reges, & alios supradictos, quibuscumque juribus, actionibus, occasionibus, seu modis, quomodocumque, & qualitercumque nostro, & Ecclesiæ nomine, partium tamen diffidentium accedente consensu, tractandi, & componendi, ac indicendi sub spe pacis treguas, inducias, & sufferentias quaslibet temporales, nec non pacem, & concordiam perpetuo duraturas sub illis capitulis, pactis, modis conditionibus, atque formis, pœnarum adjectionibus, obsidibus personarum, jurium, & bonorum obligationibus, renunciationibus, promissionibus, cautelis, clausulis, & solemnitatibus, atque modis, de quibus eidem circumspectioni tuæ quomodolibet videbitur expedire, & inter partes ipsas quomodolibet diffidentes poterit concordare, seu componere quovis modo; roborandi; validandi, observari, & exequi mandandi, ac faciendi auctoritate nostra omnia, & singula, quæ inter Reges supradictos, & eorum adhærentes, aut habentes facultatem ab eis, firmata, vel conclusa fuerint per Te sub illis censuris, & pœnis Ecclesiasticis in quascumque personas Ecclesiasticas, & Sæculares, etiamsi Regali, aut Reginali, Pontificali, vel alia quavis præfulgeant dignitate, nec non Civitates, Provincias, Diœceses, Terras, Castra, & Loca alia, seu Universitates, de quibus prædictorum Regum accedente consensu, ac Tibi, ut præfertur, visum fuerit, quomodolibet convenire, & in præmissis, & circa ea, ac dependentia, emergentia, seu connexa omnia, & singula alia, per Te, vel alium ab eadem circumspectione tua deputatum gerendi, mandandi, exequi faciendi, quæ pro securitate, & observatione inter partes ipsas conclusorum, & concordatorum, & dependentium ab illis opportuna, vel utilia quomodolibet videbuntur, ac super his omnibus, & quodlibet eorumdem, seu incidentium, dependentium, seu emergentium quomodolibet a præmissis unum, vel plura, publicum, seu publice documenta cum membris, & capitulis opportunis confici, ac fieri faciendi, semel, & pluries, & quoties oportere videbitur, ita quod plene de jure subsistant; & nihilominus contradictores quoslibet, & rebelles quacumque Ecclesiastica, seu mundana, etiamsi Regali, Reginali, & quacumque alia dignitate præfulgeant, per censuram Ecclesiasticam, & alia quæcumque juris remedia, quoties opus esse noveris, appellatione cessante, eadem auctoritate compescendi; nec non aggravandi, & reaggravandi quoscumque processus, & sententias super his, aut eorum aliquo factas, & latas semel, & pluries, ac etiam invocandi quotiescumque noveris oportere sæculare brachium quorumcumque Regum, Principum, & Dominorum tam spiritualium, quam temporalium, nec non Universitatum, & singularium quarumcumque personarum contra quoslibet recusantes observare firmata, vel in aliquo contrafacere per se, vel alios præsumentes; & omnia, & singula alia in prædictis, & circa ea, ac pro præmissis, gerendi, faciendi, exercendi, & exequendi, etiamsi talia essent, quæ mandatum exigerent speciale, & in generali commissione non caderent, quæ eidem circumspectioni hujusmodi, Regum accedente tamen, ut præfertur, consensu, opportuna videbuntur, quibuscumque privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, & literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus sub quacumque forma, vel expressione verborum concessis, per quæ nullum cuicumque cujuscumque status, gradus, conditionis, vel ordinis, etiam Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstraten-

CLASS. I. Eugenii PP. IV. Epist. 1.

sis Augusti hujus anni teste Matthæo de Griffonibus in Memoriali Historico *col.* 229., & Cherubino Ghirardaccio *Hist. tom.* 2. *p.* 645. Bononia hoc anno pestilenti morbo laborabat; quocirca ipsum ex Galliis a Martino revocatum scribit Jo. Ant. Victorius in Vita MS. Beati Nicolai *fol.* 80. Ego vero opinor, Martinum Pontificem illum Bononiam reverti jussisse ad reprimendos seditiosos quorumdam Civium motus, qui paulo post eo prorupere, ut necesse fuerit eos aperto bello compescere. Rem hanc diligentissime narrat Ghirardaccius *tom.* 2. *pag.* 642.

(*a*) Hujusmodi pacem præcipuo B. Nicolai studio, & auctoritate inter Italicos Principes firmatam fuisse narrant universi illorum temporum Historici, quorum testimonia habebis inter Italicos Scriptores *class.* 3.

(*b*) Pacis capitula recenset Blondus *Decad.* 3. *lib.* 3. *pag.* 445., Bernardinus Corius *Hist. Patriæ part.* 5., & Marinus Sanutus in Vitis Ducum Venetorum a clariss. Muratorio editis *tom.* 22. *Script. Rer. Ital. col.* 979.

CLASS. I. Eugenius PP. IV. Epist. 2.

tensis, Grandimontensis, Calatravensis, Carthusiensis, Vallisumbrosæ, Camaldulensis, Humiliatorum, Sanctorum Benedicti, & Augustini, Hospitaliemque Sancti Joannis Hierosolymitani, S. Mariæ Theutonicorum, S. Jacobi de Spata, seu quorumcumque aliorum Ordinum existant, in hac parte volumus afferre suffragium, nequaquam obstantibus, plenam, & liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Quocirca circumspectioni tuæ per Apostolica scripta committimus, & mandamus, & quatenus injunctum tibi ministerium laboris hujusmodi pro divina, ac dictæ Sedis, & Nostri reverentia devote suscipiens, sic illud utiliter, sicque sollicite, & laudabiliter *juxta datam tibi a Deo prudentiam* exequaris, quod de tuis laboribus, divina favente clementia, desiderati, ac pacifici fructus adveniant; Tuque illam, quæ pias, pacificasque causas quærentibus cælesti retributione impenditur, feliciter consequi palmam gloriæ merearis. Nos enim sententias, quas rite tuleris, & pœnas, quas inflixeris in rebelles, ratas habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Ut igitur præmissa omnia plenius, & efficacius sortiantur effectum, per viscera misericordiæ Dei nostri obsecramus ipsos Reges; Patriarchis vero, Archiepiscopis, Episcopis, ac Electis, Administratoribus, & Abbatibus, cæterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatis, & ordinum quorumcumque Prioribus, Præceptoribus, & Magistris exemptis, & non exemptis, & Capitulis, & Conventibus, & eorum Locatenentibus in ipsis regnis Francorum, & Angliæ in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, quatenus Tibi, aut deputandis a Te circa conclusionem, & observantiam omnium promissorum, & cujuslibet eorumdem, quoties requiri contigerit, faveant modis omnibus, & assistant, ut per salutaris concordiæ ministerium inter partes ipsas reflorescant pax, & quies, prout in desideriis gerimus cordis nostri, ut ultra nostram, & præfatæ Sedis benedictionem, & gratiam, ab Auctore pacis valeant æternæ beatitudinis munera promereri. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCDXXXIII. Kal. Maj. Pontificatus nostri anno Primo.

Epist. 2.

EJUSDEM EPISTOLA II. AD EUNDEM.

1434. 13. Maii.

Beatum Nicolaum hortatur Pontifex, ut universos Regiæ Domus Principes mutuo pacis vinculo conjungere studeat, eique potestatem facit eosdem solvendi a quocumque jurisjurandi Sacramento.

Eugenius &c. Dilecto filio Nicolao &c.

Ex Tab. Vat. Reg. Eugen. IV. n. 45. fol. 218.

INter pia, & sancta desideria, quæ inspiravit Deus in corde nostro quumprimum Divina favente clementia fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti, hoc præcipuum semper fuit, pacem, & quietem fidelium, & præsertim in regno Franciæ procurare, jamdiu bellicis cladibus, & intestinis Principum discordiis laborante: ad quam pacem procurandam tanto ferventius animamur, quanto ex ea majora commoda, non solum in regno prædicto, sed etiam in universa republica Christiana proventura conspicimus. Ad hoc etiam pium propositum Nos invitat, quod, prout ex multorum relatione cognovimus, Principes de Christianissima Domo Franciæ, tam ex linea masculina, quam fœminina propter submovendam turbationem, quæ jamdiu in dicto Regno viguit, & viget etiam de præsenti, cupiunt se invicem concordare, ac re, & verbis, intentione, & voluntate se unire; considerantes pacem aliter dari non posse Regno prædicto, ex cujus turbatione strages, & mors infinitorum sunt secutæ, & dubitatur sequi in futurum; nec solum fuit longo tempore, vastatis agris, eorum cultura deserta, Civitates, & Populi desolati, mercatorum exercitia destituta, ex quibus universus fere Orbis utilitatem, & sustentationem percipere consuevit; sed etiam divinus cultus in eo Regno perturbato diminutus, & impeditus fuit, & res Ecclesiasticæ occupatæ, ministrique ejus Ecclesiæ serviliter, & injuste tractati. Nos igitur, prout debitum est nostri pastoralis officii, ne tot, & tanta mala perpetua fiant, sed aliquando finem capiant, providere volentes juxta pium desiderium cordis nostri, *circumspectioni tuæ, de cujus eximia probitate, & sapientia singulari* certissimam spem habemus, quod in prosecutione tanti boni satisfacies votis nostris, præsentium tenore committimus, & mandamus, quatenus omni sollicitudine, & diligentia studeas, & procures præfatos Principes de ipsa Domo Regia, & quoscumque alios tam ex linea masculina, quam fœminina reducere ad pacem, & concordiam ad invicem, & mutuam charitatem: etiam auctoritate nostra monendo, qui monendi videbuntur, & per censuram Ecclesiasticam compellendo, qui Tibi videbuntur similiter compellendi, ut aliquando Deum timentes cogantur sub pœnis, & comminationibus ab iniqua eorum pertinacia, & contentione discedere, & mitigatis animis, & reductis, ad meliora consilia se inclinare; quod, ut speramus, perficere poteris, quia, sicut præmittitur, ipsa Regni necessitas eos plurimum jam commovit. (a) Verum quia, sicut accepimus, nonnulli ex eis propter offensiones graves, & varias, indignatione concepta, cum aliis fecerunt ligas, fœdera, quæ voto, & juramento firmarunt, promittendo, se nunquam ad invicem concordare, sed perseverare in bello, atque discordia usque ad extremam destructionem, ex quibus promissionibus, & juramentis redduntur forsitan difficiliores ad pacem in animarum eorum perditionem, & detrimentum publicum dicti Regni; volumus, quod unumquemque eorum Principum taliter ligatorum, nec non quoscumque alios utriusque sexus, quatenus bono pacis obviarent, ab hujusmodi fœderibus, promissionibus, obligationibus, votis, ac juramentis, qualiacumque sint, eadem auctoritate penitus liberes, & absolvas; cum nihil magis absurdum esse videatur, quam religiosam fidei observantiam, & juramenta sub Scripturis Evangelicis præstita, quæ ad Dei honorem, & boni communis augumentum servanda sunt, sceleribus, & peccatis perpetuandis fomenta præstare. Nos enim eidem circumspectioni tuæ præfatos Principes, & alios requirendi, monendi, compellendi, eisque præcipiendi, & mandandi, & prout tibi expediens esse videbitur, inhibendi, eosque ab obligationibus, fœderibus, colligationibus, promissionibus, votis, & juramentis quibuscumque liberandi, & absolvendi, ipsaque juramenta relaxandi tenore præsentium eadem auctoritate plenam, & liberam concedimus potestatem. Datum Romæ apud S. Petrum Idibus Maii Pontificatus nostri anno II.

CLASS. I. Eugenius PP. IV. Epist. III.

Epist. 3.

EJUSDEM EPISTOLA III. (b) AD EUNDEM.

1435. 15. Maii.

Beatum Nicolaum solatur Pontifex, quod Principum animos ad pacem flectere adhuc non potuerit, eumque hortatur, ut totius animi viribus eandem exhibendam procurare non desinat.

Eugenius &c. Dilecto filio Nicolao &c.

Ex Tab. Vat. Reg. Eug. IV. n. 45. fol. 219.

MIramur plurimum, & dolemus, quod cum tua circumspectio ex concessione nostra pacem Regni Franciæ *tanto studio, & diligentia, tantoque personæ tuæ incommodo, & labore* (c) procuraverit, & procuret, non fuerit adhuc tamen inter illos Principes, quorum necessarius est consensus, concordatum de loco, in quo Oratores partium pro pace tractanda apud Te debeant convenire, quæ difficultas eligendi loci tanta esse non deberet, cum nullum præjudicium alicui parti locus possit afferre, maxime præstita securitate Oratoribus per opportunos salvosconductus, ut fieri in talibus consuetum est, qui violaret eos nihil nisi perpetuam infamiam lucraretur. Commendandus autem est multum dilectus Filius nobilis vir Philippus Dux Burgundiæ, qui, sicut per literas tuas accepimus, in facto loci paratus est obsequi voluntati tuæ, cui super hoc scribimus commendantes eum, & hortantes ad pacem. Scribimus insuper carissimo in Christo Filio nostro Carolo Francorum Regi illustri, & dilecto filio Nobili Viro Joanni Duci Betbfordiæ nos similiter hortantes ad pacem, ut in facto loci velint esse concordes juxta determinationem tuam, ne ex levi discrepantia relinquatur practica tanti boni quod utile, & necessarium non solum Regno Franciæ, sed etiam universæ Reipublicæ Christianæ, pro cujus boni consecutione non gravetur *tua singularis bonitas* laborare, quousque perfeceris, vel saltem manifeste cognoveris per manus hujusmodi non posse concludi: Nam *si tu non feceris auctoritate nostra, & Ecclesiæ, ac prudentia, & diligentia tua, non videmus per quem hominem fieri possit*. Cæterum non est opus, ut tuam prudentiam in agendis per nostras dirigamus, nec *tuæ optimæ voluntatis ardorem* nostris hortationibus incitemus; sed rogandus est Deus, ut animis Principum sancta consilia pacis inspiret, & Tibi perficiendi rem tuam sanctam, & salutarem, gratiam per suam misericordiam largiatur. Datum Romæ Idibus Maii anno II.

EJUS-

(a) *Verum quia sicut accepimus*: Hisce verbis Summus Pontifex designat Philippum Ducem Burgundiæ, qui necato Joanne illius Patre fœdus cum Henrico V. Anglorum Rege percussit, quo solemni juris jurandi Sacramento se devinxit ab armis nunquam discessurum, donec Patris sui Manibus Regiæ Domus sanguine parentasset. Rem hanc fuse narrant Joannes Juvenalis Ursinus, Alanus Auriga, Enguerannus Monstrelet, aliique.

(b) Hujusmodi Epistolam fere integram vulgavit Sigonius in Vita Beati Nicolai *cap.* 13. *pag.* 90.

(c) B. Cardinalis labores in procuranda Galliarum pace graphice describunt illorum temporum Scriptores. Vespasianus Florentinus in ejus vita §. 3. Anonymus Parisiensis in Diario apud Dionysium Gothofredum in Vita Caroli VII. p. 516. Jo. Carrier in Vita ejusdem Regis ab eodem Gothofredo edita *pag.* 75. Enguerannus de Monstrelet *fol.* 90., aliique, quorum testimonia mox recensebimus.

CLASS. I. Eugenii PP. IV. Epist. 4.

EJUSDEM EPISTOLA IV. AD CAROLUM VII. FRANCORUM REGEM.

Carolum Francorum Regem hortatur Pontifex, ut in pacis negotio Nicolao morem gerat, ac certum locum ab illo statui sinat, quo Principes ad pacem firmandam tute convenire possint.

1433. 13. Maii.

Eugenius &c. Carissimo in Christo filio Carolo Francorum Regi Illustri &c.

Ex Tab. Vat. Reg. Eugen. IV. n. 41. fol. 116.

MIremur plurimum, & dolemus, quod *cum dilectus Filius noster Nicolaus tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus ex commissione nostra pacem regni Franciæ tanto studio, & diligentia, tantoque personæ suæ incommodo, & labore procuraverit, & procuret*, non fuerit adhuc tamen inter Serenitatem tuam, & alios Principes, quorum necessarius est consensus, concordatum de loco, in quo Oratores partium pro pace tractanda apud ipsum Legatum debeant convenire, quæ difficultas eligendi loci tanta esse non deberet, cum nullum præjudicium alicui parti locus possit afferre, maxime præstita securitate Oratoribus per opportunos salvosconductus, ut fieri in talibus consuetum est; qui violaret eos nihil nisi perpetuam infamiam lucraretur. Quare, Fili carissime, per misericordiam JESU CHRISTI Celsitudinem tuam rogamus, ut inclines animum tuum ad pacem, & velis concedere electionem de loco juxta dispositionem, & voluntatem præfati Cardinalis, ne ex loci discrepantia relinquatur prattica tanti boni, quod est utile, & necessarium non solum Regno tuo Franciæ, sed etiam universæ Reipublicæ Christianæ. Datum Romæ Idibus Maji anno II.

Joanni Duci Bethfordiæ, & Philippo Duci Burgundiæ scriptum est in eumdem modum, quo supra.

Epist. 5.

EJUSDEM EPISTOLA V. AD BEATUM NICOLAUM.

Prioratum S. Firmini B. Nicolao largitur Pontifex, ejusque virtutes, ac merita summopere extollit.

1434. 23. Martii.

Eugenius &c. Dilecto filio Nicolao &c.

Ex Tab. Vat. Reg. Eugen. IV. fol. 13.

INtellecto nuper obitu bon. mem. (*a*) Alphonsi quondam Cardinalis S. Eustachii, tua charitas primum occurrit Nobis, cui provideremus de Prioratu S. Firmini (*b*) Montis Pessulani, quem idem Cardinalis vivens obtinebat. Fecissemus hoc idem antea in aliis, si commoda facultas fuisset, qua tibi gratificari possemus, & tuo statui providere juxta desiderium cordis nostri. *Etenim ita te amamus ex corde* propter excellentiam virtutis Tuæ, *ut semper in nostro animo tua memoria observetur. Experti quidem sumus tuam prudentiam, consiliique maturitatem, & quod admodum laudabile est, cognovimus, Te esse* procul ab iis passionibus, *quibus si ceteri carerent, res Ecclesiæ sese melius haberent*. Licet ergo tua circumspectio majora mereatur; accipies hoc tamen grato animo, quod a mente benevola proficiscitur, & vere proprio motu. Cum autem tempus se dabit, ut ampliora possimus, intelliges profecto, Nos esse memores tuorum erga Nos, & Ecclesiam meritorum. Quia vero supervacaneum arbitramur Te docere, aut monere, quid sis in (*c*) Concilio acturus, omnia enim agis, quæ tanti viri sapientia requirit, ad ea vigilet, & intendat tua prudentia, quæ tibi pro utilitate, & statu nostro, & Ecclesiæ, & pace populi Christiani videbuntur expedire. Datum Romæ apud S. Grisogonum x. Kalendas Aprilis anno IV.

CLASS. I. Eugenii PP. IV. Epist. 6.

EJUSDEM EPISTOLA VI. AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM TARENTINUM.

Prioratum S. Firmini ab Archiepiscopo Tarentino occupatum B. Nicolao ob præcipua illius merita se jam ultro contulisse significat.

1434. 1. Aprilis.

Eugenius &c. Venerabili Fratri Joanni Archiepiscopo Tarentino &c. (*d*)

Ex Cod. MS. Bibliothecæ Chis. n. 380. fol. 47.

COgnovimus ex litteris, quas tua Fraternitas scripsit ad Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Spalatensem, te fecisse provideri tibi, vigore gratiæ per Nos tibi concessæ de Prioratu S. Firmini Montis Pessulani vacante per obitum bon. mem. Alphonsi quondam Cardinalis S. Eustachii. Verum Nos antea concesseramus ipsum Prioratum dilecto Filio nostro Nicolao tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero Cardinali, *ipso neque petente, neque conscio Nostræ voluntatis, sed sponte nostra. Fecimus autem hoc multis ex causis, sed maxime propter multiplicia ipsius in Ecclesiam merita, & singularem erga nos affectionem. Quantum etiam virtute sua, & opera mereantur non est ignotum Tibi*. Nos quoque cum eam Tibi gratiam concessissemus, nullo modo intelleximus, neque voluntatis nostræ fuit, ut Cardinalium decedentium beneficia in ea comprehenderentur, quæ sunt præcipuo quodam jure solius Pontificis voluntati reservata. Idcirco habeat Tua Fraternitas patientiam ad præsens, & gratiam illam reserves ad alia beneficia, quia de iis, & similibus intendimus specialiter providere, prout videbitur Nobis. In aliis vero non reservatis volumus, ut tua gratia effectum consequatur. Datum Romæ apud S. Grisogonum vii. Aprilis Pontificatus nostri anno IV.

Epist. 7.

EJUSDEM EPISTOLA VII. (*e*) AD HENRICUM REGEM ANGLIÆ.

Gaudet de Conventu Atrebatensi pro sancienda pace jam indicto, atque Henricum Regem monet, ut tandem pacis consilia serio amplectatur. B. Nicolaum summopere commendat, eumque ad hujusmodi conventum Apostolicæ Sedis Legatum mittere significat.

1435. 25. Aprilis.

Eugenius &c. Carissimo in Christo filio Henrico Regi Angliæ Illustri &c.

Ex Tab. Vat. Reg. Brevium Eugen. IV. tom. 2. fol. 21.

PLacuit Nobis multum, quod nuper audivimus, certam scilicet conventionem fieri debere Kalendis Julii proxime futuri in Villa (*f*) Attrebatensi pro tractanda Regnorum pace, scis enim carissime Fili, ob magnam affectionem, quam habemus ad hanc pacem inter regna Franciæ, & Angliæ componendam, misisse Nos dudum dilectum Filium Nicolaum tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyterum Cardinalem Legatum nostrum ad partes Franciæ, & ad tuam Serenitatem, qui tamen, peccatis hominum exigentibus, hanc rem exoptatam Nobis nequivit perficere, de quo admodum doluimus & perturbati fuimus in mente nostra. Nam conspicimus, & omnes vident quanta mala provenerunt Christiano populo, & Ecclesiæ Dei, & etiam proveniunt ex hoc pernicioso bello, quod nimium diu viguit, pacis æmulo procurante. Non enim, ut alia omittamus, Saraceni hostes Christianæ fidei ausi fuissent invadere, & spoliare regnum Cypri in dedecus totius nominis Christiani, neque hodie classem molirentur ad capiendam insulam Rhodi, nisi confisi dissensionibus, & bellis intestinis principum Christianorum, & præcipue vestris, quæ jam sedandi tempus esset, & pium parcere sanguini Christiano, quia jam nimium diu in regno Franciæ, & alibi etiam ob illam causam est effusus. Nos quidem, si ad hoc corporis nostri sufficerent vires, ad ipsam Villam personaliter accederemus pro statuendo tanto bono pacis, & tam necessario. Verum decrevimus illuc destinare *præfatum Cardinalem virum, ut no-*

Acta & Decr. Canon. R *stri,*

(*a*) *Bonæ memoriæ Alphonsi &c.* nempe Alphonsi Carilli Hispani, quem Benedictus XIII. Pseudopontifex Diaconum Cardinalem S. Eustachii renunciavit A. C. 1408. mense Septembri. Obiit Basileæ die 14. Martii 1434. Ciacconius *tom. 2. col.* 745.

(*b*) *Prioratu S. Firmini*. Sæculo xvi. Prioratus iste unitus fuit Episcopatui Monspeliensi, quem instituit Paulus III. vi. Kal. Decembris 1536., ut patet ex illius Bulla, quam ediderunt Sammarthani Fratres Galliæ Christianæ *tom.* 3. *pag.* 619.

(*c*) *Quid sis in Concilio acturus*. Eugenius IV. B. Nicolaum Basileensis Concilii Præsidentem, seu Legatum constituit una cum Jordano Sabinensi, Petro Albanensi Episcopis, & Angelotto tit. S. Marci Presbytero S. R. E. Cardinalibus A. C. 1433. 18. Kal. Januarii, ut constat ex Legationis Diplomate, quod vulgavit Labbeus *tom.* 13. *Concil. General. pag.* 947.

(*d*) *Joanni Archiepiscopo Tarentino*. Hic est Joannes ex Comitibus Tagliacotii, seu ut aliis placet de Pontibus Neapolitanus Tarentinæ Ecclesiæ præfectus A. D. 1421. 13. Kal. Novembris. Nuncius ad Basileense Concilium missus ab Eugenio IV. a quo creatus fuit Cardinalis anno 1437. unde Cardinalis Tarentini nomen habuit, ac postmodum Prænestinam Ecclesiam obtinuit. Obiit A. D. 1449. 11. Kal. Februarii. Vide Ughellum *Ital. Sacr. tom. 9. pag.* 194., & *tom.* 1. *p.* 249. in Episcopis Prænestinis; Ciacconium *tom.* 2. *p.* 901. A. D. 1434. Joannes iste die Veneris ultima Maii interfuit reconciliationi Dominici Cardinalis Capranicæ cum Eugenio IV. Pont. Max., quæ præcipuo B. Nicolai studio Venetiis peracta fuit, ut patet ex ejusdem reconciliationis actis, quæ extant in Codice Chisiano *num.* 410.

(*e*) Hanc Epistolam vulgavit Raynaldus ad A. C. 1435. §. 3.

(*f*) *In Villa Attrebatensi*, nempe *Arras* notissima Belgii Urbe, in qua hoc anno celeberrimus ille principum conventus habitus fuit, cui interfuit B. Nicolaus Apostolicæ Sedis Legatus, cujus ope pax sancita fuit inter Carolum vii. Francorum Regem, & Philippum Ducem Burgundiæ.

CLASS. I. Eugenii PP. IV. Epist. 8.

sti, sapientem, sine affectione partium, non quaerentem quae sua sunt, sed quae Jesu Christi, & amatorem pacis, qui licet sit Nobis admodum necessarius in agendis Ecclesiae propter Excellentiam Virtutis suae; tamen omnia alia postponere volumus, ut eum ad tantum bonum procurandum destinemus: sperantes enim in Dei benignitate, cujus misericordiae sunt super omnia opera ejus, quod forsan flectet corda vestra, & inspirabit in te, & aliis spiritum pacis, & charitatis. Idcirco rogamus tuam Serenitatem per viscera misericordiae Domini Nostri Jesu Christi, ut sumens animum, & mentem pacis, quam etiam ex Prophetae verbis inquirere, & sequi teneris, velis eligere viros ex tuo sanguine sine passionibus, sine affectionibus privatis, pacis amatores, & timentes Deum, quos mittat ad praefatam conventionem, & quibus des talia mandata, ut appareat toti Christianitati, te pacem cupere, te velle concordiam ponere inter Regna praefata, & finem facere diutinis bellis, & sanguinis effusioni. Nosti, & tuum Consilium novit, quam bona sit pax, quam necessaria, quam sancta, quam accepta Deo, qui eam prae caeteris bonis reliquit Discipulis suis tanquam hereditatem suam, quam qui amplectitur, hic servat charitatem, & dilectionem, quae sunt pacis vincula, sine quibus vera pax esse non potest, hic legem implevit, hic est Christianissimus appellandus. Datum Florentiae Idibus Aprilis Pontificatus nostri anno V.

EJUSDEM EPISTOLA VIII. (a) AD CAROLUM REGEM FRANCIAE.

Ejusdem Argumenti.

1435. 13. Aprilis.

Eugenius &c. Carissimo in Christo Filio Carolo Regi Franciae illustri &c.

Ex Tab. Vat. Regest. Brevium Eugen. IV. from. 10. fol. 23.

COmmendamus maritis laudibus, carissime Fili, affectionem, quam per tuas literas Nobis praesentatas per Thesaurarium S. Hilarii consiliarium tuum te habere cognovimus ad pacem, & concordiam componendam, pro qua tractanda, & concludenda certa conventio de proximo fieri debet in villa Attrebatensi. Ad hunc autem tractatum eligas viros tuae voluntatis ministros, qui similiter ament pacem, & quietem tuam, & regni tui, quod jamdiu nimium laceratum est, & conquassatum a turbine bellorum. Inspiret Deus, & infundat spiritum charitatis, & dilectionis in corda eorum, qui hanc pacem tractaturi sunt, ut aliquando fiat finis ab effusione sanguinis Christiani. Non hortamur te ad hanc rem, cum videamus, te tua sponte promptum ad ea, quae sunt pacis, & concordiae. Unum monemus tuam Serenitatem paterna affectione, ut ea velis, ea quaeras, per quae manifeste appareat, te pacem cupere, & rationi parere, non passioni. Quod autem (b) petis a Nobis quatuor Cardinales accedere ad hunc tractatum; id nullo modo potest fieri propter paucitatem Cardinalium, qui sunt in Curia. Verum destinamus *eum, qui prae caeteris ad hanc pacem practicandam est aptissimus, videlicet dilectum filium nostrum Nicolaum tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyterum Cardinalem Virum sapientissimum, magnaeque auctoritatis, ut nosti, & procul ab omni passione remotum, cujus omnes cogitationes, omniaque consilia tendunt ad concordiam, & pacem; & licet sua praesentia sit Nobis, & Ecclesiae plurimum necessaria propter multas causas, tamen pro tali re tam utili, tam necessaria, quia videmus ipsum esse utilem, propter ejus prudentiam, & consilii gravitatem, ipsum Legatum mittere volumus*, sperantes, quod Altissimi misericordia superabit peccata hominum, & tantum bonum tam optatum a Nobis largietur populo suo. Datum Florentiae Idibus Aprilis Pontificatus nostri anno V.

Epist. 9.

EJUSDEM EPISTOLA IX. AD PHILIPPUM DUCEM BURGUNDIAE.

De eadem re.

1435. 13. Aprilis.

Eugenius &c. Dilecto Filio Nobili Viro Philippo Duci Burgundiae &c.

Ex Annal. Eccl. Odoric. Raynaldi A. C. 1435. §. 1.

REcepimus nuper literas tua manu scriptas, & simul audivimus ea, quae venerabilis frater Episcopus Ambianensis (c) Referendarius noster, & dilectus filius Praepositus Insulensis ex parte tuae Excellentiae retulerunt Nobis, in quibus admodum consolati sumus, videntes tuam singularem erga Nos, & Romanam Ecclesiam affectionem, & laudabilem intentionem, & voluntatem erga pacem ponendam in regno Franciae, quod nimium diu bellis variis, & intestinis dissensionibus laceratum est, & adeo desolatum, ac prostratum, ut ad compassionem ejus, & lacrimas movere deberet etiam hostes suos. Et certe si animum recte adduxeris, ruina illius Regni trahit secum etiam reliquae Christianitatis desolationem, & magnam Ecclesiae jacturam; itaque tuam prudentiam maxime commendamus, quae mentem adhibet ad procurandam pacem illam tam utilem, tam necessariam, tam sanctam; in qua quidem re, ut omnes tuas vires, omnem diligentiam, omnem operam, & studium colloces te in Domino exhortamur: Nobis enim qui id summe cupimus, & Ecclesiae Dei, cunctoque populo Christiano tam ita gratam facies, ut nulla ad praesens gratior esse possit. Deo autem offeres munus acceptissimum, & quod salutem animae tibi pariet, & summam gloriam apud homines. Nos quippe tantum desideramus hanc pacem, ut, si vires corporis sufficerent, personaliter accederemus ad eam componendam juxta desiderium cordis tui. Verum, quoniam id est Nobis impossibile, destinabimus ad hoc opus dilectum Filium *Nicolaum tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyterum Cardinalem Legatum nostrum, virum circumspectum, sapientem, gravem consiliis, praeclarum jamdiu moribus, & vitae sanctimonia, qui summe diligit hanc pacem* & tibi magna charitate afficitur, ac etiam in hac pace tractanda diutius versatus est; & quamvis sua praesentia sit Nobis admodum necessaria propter multa ardua negocia, quae imminent tractanda, quamvis *etiam ipse gravetur variis aegritudinibus, ut difficilis ei sit itineris labor*; tamen voluimus ipsum accedere ad hoc tantum bonum procurandum, postpositis rebus nostris: *& ipse labores suos non curat, dummodo dare possit aliis quietem, & pacem.* Haec tamen latius tuae Excellentiae scribet ex parte nostra praefatus Episcopus, cujus literis credas tanquam nostris. Datum Florentiae Idibus Aprilis anno V.

EJUSDEM EPISTOLA X. AD BEATUM NICOLAUM.

In Gallias iterum ad pacem conciliandam inter Reges Franciae, & Angliae Legatus mittitur B. Nicolaus amplissima Legatione.

Eugenius &c. Dilecto Filio Nicolao tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero Cardinali ad pacificandam Regnum Franciae Apostolicae Sedis Legato &c. 1435. 26. Aprilis.

QUum primum fuimus, divina disponente clementia, ad apicem Summi Apostolatus assumpti, considerantes, quod licet immeriti, gerebamus, & gerimus aeterni pacifici Regis vices in terris, & quod illi regnum Regi pax fidelium acceptabilis est, quam ipse pro speciali dono haereditatis suae transiturus ad Patrem reliquit Apostolis; & videntes, quod propter pestiferam, & cruentam dissensionem dudum exortam in regno Franciae innumerae civitates, & provinciae affliguntur populorum cladibus, vastitate, & depopulatione terrarum, & innumeris aliis detrimentis, qualia fiunt in bellis, maxime inter Potentes, & graviora malis praesentibus pericula belli diuturnitate sequutura formidantes, quae ulterius procedente discordia necesse est sequi, & Angliam exhauriri viris, & opibus, & Franciae regnum devenire ad extremam calamitatem: & cum haec duo Regna sint firmissima, & fortissima praesidia reipublicae Christianae: iis Regnis laborantibus, consequens esse, universam Christianitatem opportuna subventione carentem, cum summo periculo etiam fidei Catholicae laborare; praecipue a Septemtrione incalescentibus Bohemis haereticis, & ab aliis plagis Mundi infidelibus insurgentibus contra Christianos, & hodie classem insulam Rhodi facere molientibus in dedecus potius nominis Christiani, ad pacificandum praefatum regnum Franciae convertimus omnes nostros sensus, & spiritus. Nos igitur, & alios effectus pestiferos, quos guerrarum, & hujus praecipue furor producit, & fovet, in nostrae considerationis aciem extollentes, ac piens, & paternis desiderantes affectibus, ut omnis scandalorum, & guerrarum materia, quae dudum pestifere viguit, & versatur inter charissimos in Christo Filios nostros Carolum Franciae, & Henricum Angliae Reges Illustres, ad dilectos Filios Nobiles Viros, Duces, Comites, Barones, Milites, ac Universitates, & Communitates, & alios quoscumque praefatis Regibus adhaerentes, ac compli-

Ex Annal. Eccl. Odoric. Raynald. A. C. 1435. §. 2.

(a) Hujusce Epistolae laciniam vulgavit Raynaldus ad A. C. 1435. §. 4.

(b) *Quod autem petis a Nobis quatuor Cardinales*. Eadem narrat Caesar Egassius Bulaeus Histor. Universitatis Parisiensis tom. 5. pag. 418.

(c) *Episcopus Ambianensis* nempe Joannes le Jeune, qui postmodum in sacrum Purpuratorum Patrum Collegium cooptatus fuit ab Eugenio IV. A. D. 1439. XVI. Kal. Januarii, unde Cardinalis Morinensis nomen adeptus est. Scripsit etiam Nicolai PP. V. teste Ferreolo Locrio apud Sammarthanos Galliae Christianae tom. 2. in Episcopis Ambianensibus. Obiit Romae die 9. Decembris A. D. 1451. sepultus in Ecclesia S. Laurentii in Lucina, cujus titulum vivens obtinuit. Eum laudant Sammarthani loco citato, Frizonius Galliae Purpuratae pag. 484., & Ciacconius tom. 11. pag. 1135. edit. 2.

Class. I. Eugenii PP. IV. Epist. 10.

plices, & sequaces eorum, pacis Auctore cælitus inspirante, in bonum salutaris concordiæ, & unitatis pacifice commoveretur, *& de tuæ circumspectionis industria, quam potentem opere pariter, & sermone in magnis expertum, & arduis, eximia probitate, fidelitate magnitudine consilii, morum elegantia, & aliis gradium* virtutum titulis, *earum largitor Dominus multifarie insignivit, in cujus affectibus geritur*, prout indubitanter tenemus, fluctuantes turbines, ac diffidentia quæque in pacis pulchritudinem commutare; sumentes in Altissimo fiduciam specialem, quod illa, quæ eidem circumspectioni tuæ, cujus præsentia nobis summe perutilis pro tam celebris boni confectione votiva in præsentiarum carere compellimur, duxerimus committenda, cura exactissima, atque pervigili curabis adimplere, habita super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, *Te tanquam pacis angelum, ac pacarium*, nostro, & Romanæ Ecclesiæ nomine ad pacificandum præfatum regnum Franciæ Apostolicæ Sedis Legatum de eorumdem fratrum consilio, comitante pacis Angelo, providimus destinandum, indubitabili ratione tenentes, quod inspirante pacifico regum Rege, qui, uti dictum est, pacem jure hereditario, de mundo transiturus ad Patrem suis reliquit discipulis in discessu, fomenta discordiarum quæcumque inter Reges prædictos tollere salutari concordia, ac inextimabile pacis bonum producere modis omnibus satages, tibique propterea inter præfatos Reges, necnon Duces, Comites, Barones, Milites, ac Universitates, & Communitates, & alios quoscumque præfatis Regibus adhærentes, ac complices, & sequaces eorum, de, & super quibuscumque discordiis, differentiis, atque guerris vigentibus, & quæ esse possent inter eosdem Reges, ac alios supradictos, quibuscumque juribus, actionibus, occasionibus, seu modis, quomodocumque, seu qualitercumque nostro, & Ecclesiæ nomine, partium tamen dissidentium accedente consensu, tractandi, & componendi, ac indicendi sub spe pacis treguas, inducias, & sufferentias quaslibet temporales, nec non pacem, & concordiam perpetuo duraturas sub illis capitulis, pactis, modis, conditionibus, atque formis pœnarum adjectionibus, juramentis, obsidibus personarum, jurium, & bonorum obligationibus, renunciationibus, promissionibus, cautelis, clausulis, & solemnitatibus, atque modis, de quibus eidem circumspectioni tuæ quomodolibet videbitur expedire &c., plenam, & liberam concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ MCDXXXV. sx. Kal. Maji, Pontificatus nostri anno V.

Epist. 12.

EJUSDEM EPISTOLA XI. (a) AD BEATUM NICOLAUM.

Beati Nicolai eximias virtutes laudat, eumque Concilii Ferraren. Legatum constituit.

1437. 12. Februarii.

Eugenius &c. Dilecto Filio Nicolao &c.

Ex Tab. Var. Arc. Eugen. IV. fol. 29.

DUm onus universalis gregis Dominici superna dispositione Nobis injunctum diligenter attendimus, & nostrum prospicimus imperfectum, videntes, quod nequimus circa singula per Nos metipsos absolvere debitum Apostolicæ servitutis, nonnumquam Viros excellentes, atque insignes dignitatis splendore præditos, virtute conspicuos, & illustres, de quorum experta fide, sapientia, altitudine consilii, & scientiæ claritate firmam spem, plenamque fiduciam obtinemus, in partem negotiorum, & rerum agendarum statum nostrum, & Ecclesiæ concernentium assumimus, ut per ipsos vices nostras supplentes, & ipsorum cooperatione salubri pro tempore alleviantes nostri oneris gravitatem, ministerium nobis commissum, favente Divina gratia, facilius, & efficacius exequi valeamus. Cum itaque Nos nuper Basileense Concilium ex certis causis urgentissimis, ac paci Ecclesiæ necessariis ad civitatem Ferrariensem de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu duxerimus auctoritate Apostolica transferendum, ac postmodum ipsum Concilium, in quo quamprimum intendimus, & volumus personaliter interesse, certo tempore tunc expresso inchoandum statuerimus, & etiam celebrandum: *Nos considerantes præcipua virtutum dona, quibus personam tuam Altissimus insignivit, quodque sapientia tua in magnis, & arduis nostris, & Ecclesiæ negotiis, summa cum prudentia, & integritate versata ingentem laudem tuis operibus comparavit; ac ideo in Domino confidentes, quod solitam prudentiam, fidem, & integritatem præstabis* similiter in reliquis negotiis tuæ circumspectioni de cætero committendis; Te de eorumdem Fratrum consilio Sedis Apostolicæ Legatum cum plena potestate Legati de Latere, ac non nostrum, & ipsius Sedis in præfato Concilio Ferrariæ celebrando Præsidentem eadem auctoritate tenore præsentium facimus, constituimus, & etiam deputamus: circumspectioni tuæ Concilium hujusmodi in eadem civitate inchoandi, continuandi, & prosequendi, ac in eo, donec Nos personaliter accesserimus, nostro & ipsius Sedis nomine præsidendi, & cum ipsius Concilii consilio, & approbatione, auctoritate prædicta ordinandi, decernendi, & statuendi omnia, & singula, quæ ad pacem, exaltationem, & reformationem Ecclesiæ universalis, & pro illius unitate conservanda, nec non Occidentalis, & Orientalis Ecclesiarum unione, paceque, & tranquillitate populi Christiani, ac extirpatione utilia, seu necessaria videbuntur, nec non omnium, & singulorum plenariam executionem, propter quæ Concilium Basileæ fuit ab initio institutum; ac etiam alium, vel alios, de quibus, & prout tibi videbitur, pro præmissis exequendis loco tui substituendi; contradictores quoque quoslibet, & rebelles cujuscumque status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis extiterint, & quacumque Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, etiam cum invocatione auxilii brachii sæcularis, compescendi, omniaque alia, & singula agendi, statuendi, tractandi, mandandi, ordinandi, concludendi, & exequendi, quæ in præmissis pro Statu Sedis prædictæ, ac Romanæ Ecclesiæ, nec non præfatæ Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ unitate, reformatione morum, statuque pacifico reipublicæ Christianæ noveris profutura, auctoritate prædicta concedimus plenariam potestatem, ratum, & gratum habituri quidquid per Te, aut a Te substituendos in ipso Concilio, nostro nomine fuerit statutum, & decretum; idque faciemus auctore Domino firmiter observari. Quocirca circumspectioni tuæ per præsentes injungimus, & mandamus, quatenus injunctum tibi humeris onus laboris hujusmodi pro divina, nostraque, & ipsius Sedis reverentia sic in virtute Domini *juxta Tibi ab eo datam prudentiam*, pro utilitate Ecclesiæ universalis, augumento Fidei, ac populi Christiani, Fidelium pacem, & tranquillitatem cureris laudabiliter exequi, ut ex tuis bonis operibus fructus desiderati proveniant, atque illam, quæ recta sentientibus, rectaque agentibus proposita a Deo est, mercedem æternæ gloriæ consequaris. Datum Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ MCDXXXVII. quarto nonas Januarii Pontificatus nostri anno VII.

PIUS II. PONTIFEX MAXIMUS.

Pius PP. II.

In Responsione ad Orationem Oratorum Gallicorum (b) in Conventu Mantuæ publice habita.

1459. Ex Spicilegio Lucæ Dacherii tom. 3. pag. 303.

SEd neque Rex ipse Carolus, qui tempestate nostra Franciæ præsidet, ab Apostolica Sede relictus est: his enim memoria nostra Nicolaus Cardinalis Sanctæ Crucis in Galliam missus est, ut quieti ejus regni consuleret; primo ex Martini decreto, secundo Eugenii. *Norunt omnes, cujus doctrinæ, Sanctimoniæ, cujus auctoritatis hic vir fuerit, ex cujus familia duo Romani Præsules assumpti sunt Nicolaus V., & Pius II. ambo enim illius discipuli, & contubernales fuimus, ambo ex illius schola ad summum Apostolatum inscrutabili Dei judicio vocati sumus: ambo in minoribus agentes in Atrebatensi magno conventu ei servivimus*, sed Nicolaus major natu, & meritis *majori loco apud eum fuit*. In eo Conventu Legatus Apostolicus, quamvis capitales inimicitiæ inter Carolum Regem Franciæ, & Philippum Burgundiæ Ducem vigerent, & odia hinc, atque inde pene implacabilia extarent, alteri tamen alterum conciliavit, & pacem illam (c) Atrebatensem confecit, ex qua Regnum Carolo (d) firmatum, & solidatum est, & afflictæ, laceratæque Franciæ quies data &c.

(a) Hanc Epistolam vulgavit Raynaldus ad A. C. 1438. §. 2. Eam quoque edidit Labbeus parte prima Concilii Florentini *tom.* 18. *Concil. General. pag.* 891., ad cujus calcem hæc ibidem notata sunt. *Octava igitur Januarii anni a Nativitate Domini* 1438. *idem Nicolaus Cardinalis Legatus legitimum universale Concilium feliciter inchoavit. Quomodo autem id egerit sequenti publici Notarii testimonio constat*. Sequuntur acta a B. Nicolao in ipso Concilii initio edita.

(b) Hanc orationem primum edidit Lucas Dacherius t. 8. Spicilegii *pag.* 293. In nova vero ejusdem Spicilegii editione extat *tom.* 3. *pag.* 815. Eam postmodum descripsit Philippus Labbeus *tom.* 19. *Concil. General. pag.* 230. *edit. Veneta*.

(c) Celeberrimæ hujusce pacis capitula recitat Engueranus Monstreletus *tom.* 11. Chronicorum *fol.* 108., eaque postmodum Latine reddita vulgavit Labbeus *tom.* 17. *Concil. General. pag.* 590. Gallice vero ex Monstreleto descripta extant in Corpore Diplomatico Du-Montii *tom.* 3. *pag.* 309.

(d) *Regnum Carolo firmatum*. Id ultro fatentur universi Gallicæ historiæ scriptores, atque inter cæteros Vir Cl. Andreas Duchesne in historia genealogica nobilissimæ apud Gallos stirpis de Montemorenciaco pag. 555. ubi paucis innumera, quæ florentissimo Galliarum regno commoda intulit pax Attrebatensis, præcipuo B. Nicolai studio ac labore sancita, egregie describit. Ait enim „ L'an. 1435. la paix
„ fut

CLASS. I. BENEDICTUS PP. XIV.

SS. D. N. BENEDICTUS XIV. PONTIFEX MAXIMUS.

In præstantissimo Opere de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione.

Libro 1. Cap. 13. §. 18.

Tom. 1. pag. 30. edit. Romanæ.

CArthusianus Ordo Seculo undecimo initium habuit. Plures ex eo prodierunt Sanctitate celebres, quorum elenchum Frater Georgius Garnefelt Carthusianus edidit post vitam B. Nicolai Albergati eundem Ordinem professi &c.

Hic idem Ordo, dum fungebar munere Fidei Promotoris, supplicavit pro introducenda causa Canonizationis Beati Nicolai Albergati sui alumni, qui Episcopatum Bononiensem pluribus annis administravit, & inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales adscriptus pluribus per universum Orbem Legationibus functus est, desumptis Sanctitatis probationibus non tam ex gestis in solitudine, quam ex patratis coram aliis. Hæc tamen dicta sint per transennam, cum ad rem de qua agitur, satis sit aliquos ex Cistercensibus, & Carthusianis in Beatorum, & Sanctorum Album esse relatos, eorumque consuetudini semper prævalere debeat universalis aliorum Ordinum Religiosorum usus ab Apostolica Sede comprobatus.

Libro 2. Cap. 18. §. 16.

Tom. 2. pag. 324.

DEmum Beatis hactenus indicatis, quorum corpora coluntur in civitate, aut diœcesi Bononiensi, totidem alios etiam Bononienses addemus, eosque in antiqua cultus possessione eodem modo præstantes, attamen extra Bononiensem diœcesim conditos; hoc est Beatum Nicolaum Albergatum, Beatum Archangelum Canaetum, & S. Bononium Abbatem. Anno 1443. in civitate Senensi pie in Domino defunctus est B. Nicolaus Albergatus ex Monacho Carthusiaco Bononiæ Episcopus, postea amplissimus S. R. E. Cardinalis, & ejus cadaver Florentiam ad monasterium Carthusiense translatum est. De quo porro hæc habentur apud S. Antoninum in Chronico *part. 2. tit. 25. cap. 22. §. 2. Ex hac Religione* (scilicet Carthusianorum) *assumptus ille vir venerabilis* Nicolaus *nomine Bononiensis ad Episcopatum Bononiensem* Invitus, *& postea ad Cardinalatum a Martino Papa V.*, semper servans rigorem suæ Religionis, speculum sine macula *omnibus Curialibus, & Præsidentibus; pater pauperum; inter Principes sæculi dissidentes pacis reformator; schismatis impeditor. Demum sub Eugenio Papa Senis migravit ad Christum ex infirmitate calculi, cui exenterato repertus est lapis grossus ad modum ovi in fundo vesicæ quasi incarnatus:* & rursus *part. 3. tit. 22. c. 7.* §. 3., ubi egregia ejus facinora exponuntur. *Qui postmodum Cardinalis Presbyter a Pontifice creatus, sicut in Episcopatu fuerat Antistitum exemplar insigne, ita in Cardinalatu extitit Cardinalium speculum.* Tres item celeberrimi viri Jacobus Zenus, Poggius Florentinus, & Carolus Sigonius vitam ejus exararunt; tum Frater Georgius Garnefelt Carthusianus Coloniensis anno 1618. eximios adunavit Scriptores, qui Beati Nicolai cum sanctitatis laude meminerunt. Ejusdem vita iterum typis edita fuit a Fratre Bonaventura Cavallo ex Ordine Minorum Observantium Reformatorum; ut etiam alia nondum evulgata conscripta fuit anno 1697. ab Archipresbytero Joanne Antonio Victorio. Quod autem attinet ad ei præstitum cultum, ejus Imago depicta apparet coruscantibus, & splendentibus radiis ornata nedum in Carthusia Bononiæ, ac Florentiæ, sed etiam in toto Ordine, multisque aliis in ecclesiis, præcipue vero in templis Beatissimæ Virginis Mariæ de libertate, Sancti Stephani, S. Agnetis Sacri Ordinis Prædicatorum, & S. Claræ Ordinis Patrum Capuccinorum. Præterea die nona Maji, natali videlicet ejusdem, in ecclesia S. Annæ Patrum Carthusianorum omnis honor, & cultus Beato Nicolao defertur, Missæque celebrantur, nulla tamen mentione de eo facta. Extat insuper Bononiæ veneranda quædam triginta trium Sodalitas in honorem vitæ Domini nostri Jesu Christi annorum instituta, & a perseverantia fauste denominata, cujus Fratres Crucem, Beati Nicolai proprium insigne, manu gestantes, vexillo præeunte, in quo depicta est Imago Beati, singulis primis diebus Dominicis cujusque mensis, instituto supplici agmine, ecclesiam adeunt Beatissimæ Virginis a D. Luca depictæ, & publica precatione intercessionem Beati Nicolai implorant; itemque quotannis Dominica Septuagesimæ, supplicatione peracta, Concionatorem ex Ordine Prædicatorum audiunt Beati Nicolai virtutes, & laudes enarrantem, tum ad nuper memoratam Sanctæ Annæ ecclesiam accedunt, ubi solemnis canitur Missa, nulla tamen facta commemoratione Beati.

CLASS. I. BENEDICTUS PP. XIV.

§. 17. Hæc ex syngrapha deducta sunt, quam Canonicus Simeon Santagata Presbyter Bononiensis ad Bollandianos misit rogatu Patrum Carthusiæ Bononiæ, quamque Bollandiani ipsi typis ediderunt ad diem nonam Maji in vita Beati. Sed etiam confectus fuit auctoritate ordinaria processus super fama ejus virtutum, & miraculorum, necnon cultu immemorabili, nulla tamen ab ordinario Bononiensi prolata sententia; qui ad Urbem quoque missus fuit pro introducenda causa Canonizationis, dum ibi ipse morabar, Fideique Promotoris munere fungebar. Verum, etsi ex nonnullorum requisitorum defectu *Commissionis Signatura* obtineri minime potuit, nullum nihilominus præjudicium publico cultui, cujus possessionem ab immemorabili tempore Beatus hic noster tenet, allatum est.

Libro 3. cap. 33. §. 22.

Tom. 3. pag. 341.

BEatus Nicolaus Albergatus Bononiæ Episcopus, & S. R. E. Cardinalis in suis Legationibus ad Venetos, & Florentinos conciliandos, ad Venetos, & Ligures pacificandos, ad Gallos, & Anglos, ad Basileense Concilium, ad Germanos, quam pie, quam sancte, & quanto cum profectu Christianæ reipublicæ se gesserit, testis est Jacobus Zenus Episcopus Feltrensis Auctor contemporaneus in *ejus vita*.

Libro 4. part. 2. Cap. 14. §. 3.

De Electione SS. in Patronos.

Tom. 4. pag. 444.

A Quadam Confraternitate, quæ hic Bononiæ erecta dicitur *Perseverantiæ* B. Nicolaus Albergatus in Patronum electus fuis &c.

Ex Monitis Pastoralibus ejusdem Sanctissimi Domini Nostri. De cranio S. Annæ, quod extat Bononiæ in Oratorio PP. Carthusiensium.

Tom. 3. n. 9.

ABbiamo detta autentica la predetta reliquia, imperocchè, riflettendo essere stato portato dalla Palestina a Costantinopoli il corpo di S. Anna verso il 750. sotto l' Imperadore Giustiniano II., che ancora in onore della medesima in quella occasione fabbricò un tempio solenne, avere il Conte Luigi de Blois, che era andato in Grecia con Balduino di Fiandra eletto Imperadore d' Oriente, mandato in Francia verso il 1200. il di lei capo, come può vedersi nella nota terza sopra la vita della Beatissima Vergine *al Tom. I. di Tillemont*, avere Enrico Re d' Inghilterra, che erasi fatto coronare Re di Francia in Parigi, donato al B. Nicolò Albergati Cardinale, e Vescovo di questa città nell' ultima sua Legazione in Francia il cranio di S. Anna, ed averlo questi successivamente donato a' suoi religiosi della Certosa, che lo collocarono nella chiesa predetta, sarà difficile il ritrovare cose più convincenti per rendere autorica la Santa Reliquia, tanto più, che in questa materia non essendo possibile l' avere prove metafisiche, o fisiche, basta la certezza morale.

Fu fatto il regalo al B Nicolò Albergati circa l' anno 1435.; ed avendolo esso portato a questa nostra città, fu ricevato con grand' onore, come attesta il Sigonio nella di lui vita al capo xv. *Nicolaus egregie ab omnibus collaudatus in Italiam se recepit, ac cranium S. Annæ Matris Beatæ MARIÆ Virginis ab Henrico dono acceptum pridie Kalend. Decembris Bononiam attulit, atque ingenti ab universis honore acceptum monachis suis Carthusiensibus dono dedit, qui & Oratorium S. Annæ in via S. Isaiæ condiderunt, ubi nunc etiam asservatur.*

Ed è tale il concerto, che si ha della probità del Sigonio, e del merito del sempre insigne Beato Nicolò Cardinale Albergati, che in sequela dell' uno, e dell' altro Adriano Baillet scrittore per altro assai libero, e censore troppo severo non ardisce di contrastarci il possesso, ed il grado autentico di questa sagra Reliquia, come può vedersi nella vita di S. Anna ai 26. di Luglio da esso inserita fra le altre vite de' Santi. (a)

RE-

„ fut traitée & jurée à Arras entre le Roy Charles VII. „ & Philippe le Bon Duc de Bourgogne. D' où derivèrent „ de grandes benedictions aux François, & de grandes ruï„nes aux Anglois. Car l' année suivante Paris ouvrit les „ portes au Roy, qu' elle luy avoit fermées pour l' amour „ de Jean Duc de Bourgogne tué à Monstreau. Les An„glois en sortirent, & le Roy y fut receu comme vi„ctorieux de ses ennemys. „ A l' exemple de quoy les „ habitans de Pontoise mirent aussi les Anglois hors „ &c.

(a) Alia, eaque luculentiora de B. Nicolao scripsit S. D. N. in egregio opere de *Festis quorumdam Sanctorum, de quibus celebratur Officium cum Missa in civitate, & diœcesi Bononiensi*, quod Italice prodiit nitidissimis typis impressum Patavii anno 1747., ac Latine redditum extat Tomo x. Editionis Romanæ pag. 620.

CLASS. II. Carolus VII. Rex Francorum.

REGUM TESTIMONIA
DE
BEATO NICOLAO ALBERGATO
CARDINALI S. CRUCIS.

EPISTOLA CAROLI VII. REGIS FRANCORUM AD SYNODUM BASILEENSEM.

1435. 24. Martii.

Legatos petit a Synodo Basileensi, qui una cum Beato Nicolao Conventui Attrebatensi præsideant.

Sacrosanctæ Synodo Basileensi &c. Devotus Filius Francorum Rex Carolus salutem &c.

Ex Actis Conc. Basileen. apud Labb. to. 12. pag. 573. edit. Paris.

NIHIL quidquam apud rempublicam, regna potissimum, erga Christicolas omnes felicius, & accomodatius arbitramur, quam illos, & ipsa optata pace, atque beata perfrui. Ea propter multa ratione persuasum habemus, ad ea, quæ paci magis attinent; maxime regni nostri, & subditorum nostrorum, charitate sincera operas nostras conferre debere, sicut ex animo hucusque omni solicitudine, atque cura, prout legis præcepta inducimur, fecimus. Profecto nil sanctius ipsa, aut beatius nobis fuit. Et cum superiori tempore *pia, atque devota supplicatione carissimi, & dilecti amici nostri* Cardinalis S. Crucis *res ipsa non modica disceptatione variis assignationibus agitata fuerit, quoniam labori, periculis, atque expensis minime ipse pepercit, usque in portum, & salutis finem non pertigit;* postmodum proximis his diebus Christo pacis auctore (ut pie credimus) faciente, novissime celebrata est in materia componendæ pacis cum Duce Burgundiæ apud civitatem (a) Nivernensem conventio, & ad eamdem nostra ex parte cum decenti, & sufficienti potestate carissimos, & dilectissimos consanguineos nostros Ducem Borbonii, & Arverniæ, & Comitem Richsmondiæ Constabularium nostrum, & dilectos, & fideles consiliarios nostros Archiepiscopum Remensem Cancellarium nostrum, & Chrystophorum de Harcuria consanguineum nostrum transmisimus. Et cum res ipsa post longam disceptationem, optimam ad ea quæ pacis sunt, dispositionem habuit, cupientes omnes etiam partes eodem, & unanimi consensu, ac favore pacis, & unitatis præstantius agere, in alterius Dietæ, * & conventionem apud civitatem nostram Attrebatensem ad primam diem mensis Julii proxime instantis concordarunt. Consentientes etiam, ut res tanta efficaciam habeat ampliorem, & certiorem, ut pro parte Sanctissimi Patris nostri Cardinales S. Crucis, & Arelatensis, & e sacro Basileensi Concilio Cardinales de Cypro consanguineus noster, & S. Petri ad Vincula ad ipsam assignationem, & locum transmittantur. Quamobrem amicitiam vestram majorem in modum oramus, & deprecamur, sit res ille tam sacra, atque fidei Orthodoxæ tam utilis, & necessaria, vobis curæ, & solicitudini; & ad illam Dietam præfatos Cardinales de Cypro, & S. Petri transmittere vestri ex parte velitis. Confidimus, ut tantorum Patrum præsentia, & singulari præstantia, atque virtutum magnitudine differentia omnis ex medio tollatur, absolutaque sit. Proinde ipsis transmissis, atque re confecta, non parvam nos sumus percepturi lætitiam, ac gratiam vobis habituri. Datum in civitate nostra Turonensi. Die XXIV. mensis Martii MCDXXXV.

* Forte assignationem, & conventionem.

Henrici VI. Regis Angliæ. Ep. 1.

EPISTOLA I. HENRICI IV. REGIS ANGLORUM AD EUGENIUM IV. PONT. MAX.

1435. 20. Junii.

Pontifici significat, se Oratores suos ad Conventum Attrebatensem jam destinasse.

Beatissime Pater.

Ex tom. 10. Actor. Public. Angliæ Thomæ Rymer. pag. 610.

HUmillime filiali recommendatione præmissa, sacras Vestræ Sanctitatis literas, Nobis, ejusdem Sanctitatis ex parte, per fidelem ejus Nuncium, nostrumque ligeum Joannem Ely præsentium bajulum, ultima Maji præsentatas, læta manu recipimus, legimus, & relegimus, quarum series nos adhortari decrevit, ut ad villam Attrebatensem, in qua pro regnorum nostrorum Franciæ, & Angliæ componenda pace Dieta quædam est appunctuata, viros de nostro sanguine sine passionibus, sine affectionibus privatis, pacis amatores, & timentes Deum cum mandato, & potestate sufficientibus mittere curaremus. Qua in re, Pater Beatissime, cujus inclinationis, & voluntatis, qualisque dispositionis huc usque fuerimus, æstimamus, Beatitudinem Vestram non latere.

Recolimus namque cum Nobis in ipso regno nostro Franciæ, circa negotia nobis incumbentia, versantibus, Vestræ Clementiæ placuit, *Reverendissimum in Christo Patrem Cardinalem Sanctæ Crucis, ob hoc illic Legati fungentem officio, destinare*, eidem in hoc ipso pacis negotio mentem nostram aperuisse, quam per eumdem Vestræ Sanctitati remur esse relatam: Hanc utique, tam sacro Basileensi Concilio per nostras sibi directas literas, ac Oratorum nostrorum etiam vocis oraculo, quam etiam Serenissimo Principi Sigismundo Dei gratiam Romanorum Imperatori &c. Fratri nostro carissimo Nos ad ipsius pacis bonum crebrius exhortanti curavimus in latum aperire. In cujus recta voluntatis, & intantionis effectu inflexibiliter persistentes progenitorum nostrorum, qui paci, & unitatis præcipui zelatores extitere, vestigiis inhærentes, ad Dei Omnipotentis honorem, & ut sanguinis Christiani vitetur effusio, ac ut Vestræ Sanctitatis, sicut decet, pluralibus monitis, & hortamentis intendamus, ad memoratæ conventionis locum ambassiatores nostros mittere jam decrevimus, plena potestate fulcitos, tales, ut arbitramur, qui Deo dante, quibuscumque pacis rationabilibus mediis se curabunt inclinare: sicque tam Vestræ Sanctitati, quam cæteris Orbis Christiani Patribus, & Principibus palam erit, Nobis imputandum non fore, quin Pax ipsa (quam semper optavimus, diligenterque quæsivimus) optatum perveniat ad effectum, præstante Altissimo, qui Vestram Beatitudinem in votivæ prosperitatis augumento conservare dignetur, & dirigat in æternum.

Script. in Palatio Westmonasterii XX. die Junii 1435.

EJUSDEM EPISTOLA II. AD OMNES REGNI SUI INCOLAS.

Henrici VI. Regis Angliæ. Epistola 2.

1435. 17. Martii.

Idem B. Nicolai in procuranda pace studia, ac labores memorat, ac novos Oratores pro novo pacis conventu destinat.

Rex omnibus ad quos &c. Salutem.

Ex iisdem Actis to. 10. pag. 643.

SCiatis, quod nos Beatissimi in Christo Patris Domini Eugenii Sacrosanctæ Romanæ, ac Universalis Ecclesiæ Summi Pontificis, Reverendissimorumque Patrum in Concilio Basileensi nuperrime congregatorum, crebris per suas litteras exhortabamur instantiis, quatenus propter vitanda mala, & incommoda, quæ ex continuatione guerrarum nunc longa miserabiliter evenerunt, pacis inire tractatum curaremus cum parte Nobis in regno Franciæ adversante, *pro cujus rei prosecutione Reverendissimus Pater Cardinalis S. Crucis de Sede Apostolica mandata, operam in Francia ultra biennium impendebat*. Et demum deliberato, quod quædam Dieta alias apud Attrebatum pro reformatione pacis haberetur; illuc, utique ad honorem ejus, qui pacis est auctor, & amator, & sub spe consequendæ pacis, quam semper ex toto corde incessanter exoptamus, nostros Ambassiatores, & Commissarios cum potestate sufficienti ad tractandum, & concludendum in ea parte, fecimus destinari: Verum, quia fructus ex illa Dieta, quam advenisse sperabamus, nullatenus secutus est, immo majora mala, & inconvenientia etiam prioribus graviora post-

(a) Conventus Nivernensis habitus fuit A. D. 1434., ut narrat Jacobus Boverius in Chronico suorum temporum, quod edidit Dionysius Gothofredus in Appendice ad Historiam Caroli VII. *pag.* 388. Huic conventui interfuere Philippus Dux Burgundiæ, Carolus Dux Borbonii, Arturus Richemundanus Magister equitum, Reginaldus de Carnoto Archiepiscopus Remensis, aliique, quos laudat Franciscus de Mezeray in Historia Gallica *tom.* II. *pag.* 621.

CLASS. II. Henrici VI. Regis Angliæ. Ep. 2.

postmodum succreverunt, Sedes Apostolica super his informata carissimum Avunculum nostrum Ducem Britanniæ per suas litteras iteratas hortanter invitavit apud Nos cum instantia mediare, ut rursos pro componenda pace (a) inter Nos, & ipsum adversarium nostrum vicissitudo tractatus alterius baberetur, sicuti per Epistolas ejusdem Avunculi nostri nobis transmissas sumus credibiliter certiores effecti, per quas juxta Apostolicæ Sedis votum, Nobis cum instantia supplicavit, tractatui pro reformanda pace denuo consentire; Et insuper propter hoc ipsum carissimus consanguineus noster Dux Aurelianensis apud Nos jugiter intercessit oblatis capitulis, juxta quorum appunctuamenta instanter rogavit dicti tractatus dirigi, & formari processum, preces suas assiduas insuper porrigendo, quatenus aliquibus personis idoneis potestatem, cum celeritate, ex causis premissis, committere curaremus, quæ hujusmodi tractatus negotio possent intendere, & vacare; Nos enim in tam virtuoso, tamque appetibili negotio toto cordis nostri desiderio, veluti præmisimus, ardenter accensi, ac instantiis præmissis propensius inclinati, & ne culpa, vel neglectus Nobis in hoc casu adscribi valeat in futurum, dilectos, & fideles nostros, Egidium Abbatem de Fescamp, & Thomam Dominum de Schales, Joannem Popham, Dominum de Therigny Thesaurarium Hospitis nostri, Andream Ogert, Consiliarios nostros, ac Richardum Heryngton Ballivum Cadovicosam, Milites, & Magistrum Radulphum Russelly Thesaurarium Ecclesiæ Rothomagensis Consiliarium nostrum, nec non & Magistrum Joannem Rynell Secretarium nostrum, nostros deputavimus, tenoreque præsentium, constituimus, & ordinamus Procuratores, Commissarios, Ambassiatores, & Nuncios tam speciales, quam generales. Damusque, & concedimus eisdem Procuratoribus, Commissariis, Ambassiatoribus, & Nunciis nostris prædictis, ac ipsis septem, sex quinque, quatuor, & tribus eorum, quorum prædictus Joannem Popham, & Johannem Rynell duos esse volumus, potestetem generalem, mandatum tam generale, quam speciale, una cum præfato carissimo avunculo nostro, & apud eum, nec non cum Nuncus, Ambassiatoribus, & Commissariis Partis adversæ, potestatem in hac parte babentibus, ac cum cæteris, quorum interest, vel iteresse poterit, quibuscumque, hujusmodi tractatos præparatorie nostro nomine ingrediendum &c. Cæteraque omnia, & singula faciendum, & expediendum, quæ in præparatorus tractatos hujusmodi, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna cum suis emergentibus incidentibus, dependentibus, & connexis, quibuscumque; promittentes, & promittimus in verbo regio, Nos ratum, gratum, firmum, & stabile perpetuis futuris temporibus habituros totum, & quidquid per prædictos Procuratores, Commissarios, Ambassiatores, Nuntios nostros, septem, sex, quinque, quatuor, tres eorum, quorum prædictos Joannem Popham, & Joannem Rynell duo esse volumus, in ea parte procuratum, actum, gestumve fuerit in præmissis, vel aliquo præmissorum, in cujus &c.

Apud Westmonasterium xvii. die Martii 1438.

CLASS. II. Henrici VI. Regis Angliæ. Ep. 2.

(a) *Ut rursus pro componenda pace.* Iterum de pace inter Anglos, & Gallos hoc anno, sed frustra, actum fuisse affirmat antiquus Anonymus in Breviario vitæ Caroli VII. Francorum Regis, quod edidit Gothofredus pag. 341. ait enim; *Les deputez de France, & d'Angleterre s'assemblerent entre Calais, & Gravelinges; pour trouver Paix esdits Royaumes, mais ils ne firent rien cette fois.* Conventus hujusce historiam fusius narret Engoerennus de Monstrelet Tom. II. Chronicorum fol. ax. edit. primæ.

Hanc vitam quam in priori editione vulgavimus ex recentiori apographo, quod extet in Bibliotheca Vaticana Cod. 31a. fol. 96., nunc iterum damus recognitam ad fidem antiqui Codicis Chartacei xv. Sæculo conscripti, qui non ita pridem in Bibliothecam domesticam SS. D. N. illatus fuit dono amplissimi Præsulis Melchioris Maggi Cameræ Apostolicæ Clerici. Vitæ auctor est Vespasianus Florentinus Beati Nicolai coævus, ac Nicolai V. Pont. Max. familiaris: scripsit vitas illustrium Virorum, qui suis temporibus floruerunt, quas sæpe laudant Ferdinandus Ughelius in Italia Sacra, Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciacconium, & Cl. V. Dominicus Georgius in Præfatione ad vitam Nicolai Papæ V. In quibusdam schedis MSS. immortalis memoriæ Viri Hieronymi Cardinalis Alsandri, quæ extant *in Cod. Vaticano numero 3024. fol. 24.* de Vespasiano nostro hæc habentur. *Vespasianus Florentinus, qui fuit Bibliopola Nicolai v., & scripsit vitas nonnullorum Senatorum* (nempe Cardinalium) *in idiomate Florentino.*

CLASS. III. Vespasianus Florentinus.

ITALORUM TESTIMONIA

DE

BEATO NICOLAO

CARDINALI S. CRUCIS.

I.

VITA BEATI NICOLAI

AUCTORE

VESPASIANO FLORENTINO.

CLASS. III. Vespasianus Florentinus.

I. B. Nicolai genus, patria, dignitates, mores, Religio.

MESSER Nicolajo fu degli Albergati, e fù Cardinale del Titolo di Santa Croce di Gerusalem: a Fù Frate dell' Ordine di Certosa, e di poi Vescovo di Bologna, e di Nazione Bolognese: Fù fatto Cardinale da Papa Martino senza che ne sapesse nulla. *Fù di santissima vita, & costumi, però sempre l' abito di Certosa con una cappa proprie come portano e Frati insino a terra, dormì sempre in sur un sachone come e Frati vestite,* e *non mangiò mai carna per ignuno tempo, ne sano, ne infermo.*

II. Ob sanctitatem, & doctrinam famam Legatus mittitur Apostolicus ad Gallos.

Fatto Cardinale mandò per lui Papa Eugenio, cha era a Bologna, a stava con lui Maestro Tomaso da Serezana, che fu poi Papa Nicola, fù de lua alievi; & vega ognunu mareviglioso huomo, che fù: fecesi porra nome (a) Nicolejo per riverenza del Cardinale. Andando a Roma essendo oltre alla Santità della vita, dottissimo (b) in Teologia, & avendo notitia di regione Canonica; avendo fama per tutto il mondo per la Santità della vita, a grandissima autorità in ogni luogo; desiderando *Papa Eugenio* mettere pace tra il Re di Francia, e quello d' Inghilterra, tra il Re di Francia, ed il Duca di Borgogna, *non conoscevo huomo di maggiore autorità del Cardinale di Santa Croce*, a per questo mandò lui Legato Apostolico per comporre questa paca.

III. Studium & labor B. Nicolai in procuranda pace.

Andato il Cardinale di là, era cosa mirabila *quanto quegli Signori per la sua Santità l' avevano in reverenzia, & il simile quelli Popoli.* Durovvi fatica grandissima per comporla; quelli d' Inhilterra erano tanto duri che nollà pote mai conducere: condusse quella di Francia, e di Borgogna, che fù gran cosa levar via tanti inconvenienti, quanti segultavano ogni dì. Acquistò assai riputasiona in corte di Roma, & per tutta la provincia di Francia, a di Borgogna per aver levati via tanti inconvenienti, quanti seguitavano ogni dì, a tutto il Paese si guastava.

Tut- .

(a) Id ipsum affirmant Æneas Sylvius, postea Pius II. In Oratione de morte Eugenii IV., & creatione Nicolai V., quæ extat *tom. 7.* Miscellaneorum Stephani Baluzii p. 554. Jacobus Zenus in epistola nuncupatoria ad Petrum Barbum Cardinalem S. Marci vitæ Beati Nicolai præmissa, quæ habetur *tom. 3.* Maji Bollandiani p. 470. Bartholomeus Senensis in vita B. Petri Petronii Senensis apud eosdem Bollandianos *tom. 7.* Maji *pag.* 227

(b) Eximiam B. Nicolai doctrinam satis superque testentur non pauca ipsius ingenii monumenta, quæ diligentissime recensent Theodorus Petreius in Bibliotheca Carthusiensi, & Christophorus Garnefelt in vita Beati Nicolai *pag.* 129.

CLASS. III. Vespasianus Florentinus.

Tornò a Roma con questa pace aveva fatta, gli fù fatto grandissimo onore, e *Papa Eugenio veduto la sua autorità aveva per tutto dove gli andava*, sendo (a) nella Magna differenza, e guerre tra più Signori, vi mandò il Cardinale Legato per fare queste paci, e giunto di là, ebbe tanta maniera con tutti quelli Signori, che gli le conchiuse, & il simile fù cagione di grandissimo bene di levare tutto quello Paese dalla guerra, che n' era pieno: acquistò assai per lo frutto vi fece, e non solo acquistò nella Magna, ma in corte di Roma parve cosa maravigliosa, avendo avuto a fare con gente così istrane di potere riducergli alla Pace.

IV. Legatus mittitur ad Germanos, quos pace jungit.

V. Pacatis Gallis, & Germanis Italiam quoque componit.

Istato quivi alquanto tempo, essendo conchiuso ogni cosa, tornò a Roma con grandissimo onore: sendo tornato a Roma, e avendo pacificata la Francia, & la Borgogna, di poi andato nella Magna & fatto quello medesimo, volle Papa Eugenio, che pacificassi Italia; e per questo sendo la guerra istata per più anni tra il Duca Filippo, e Viniciani, si deputò Ferrara per luogo di mezzo, dove fussino gli Ambasciadori di tutta l' altre queste potentie, e rimessono le loro differenze in Papa Eugenio, & vollono mandasse il Cardinale di Santa Croce a Ferrara per essere mezzo di fare questa pace. Istatovi per alquanto tempo, & disputatola per una parte, & per l' altra; le differenze erano tra loro. In fine il Cardinale come huomo di mezzo, e di grandissima autorità la conchiuse, & pacificossi Italia con questo mezzo, che fù cagione di grandissimo bene: & se della due passate paci ebbe onore, e riputatione; di questa non poteva avere maggiore appresso a tutta Italia, & in Corte di Roma.

VI. Mala valetudo B. Nicolai ob rigidissimam vitæ rationem.

Nell' andata sua di Francia, dove molti sogliono, quando egli vanno Ambasciadori, menare con loro qualcuno per pigliare qualche ispasso, la compagnia, che menò fù Don Nicolò da Cortona Priore della Certosa di Firenze huomo santissimo, del quale nella Vita di Papa Nicola s' è dette tante lodi. Era il Cardinale per tanti longhi viaggi, quanti aveva fatti, molto infermato di più infirmità, che spesso lo tormentavano, *& pe' digiuni, & per non mangiare carne, & per lo cilicio portava indosso, & per dormire vestito sempre. Era per questo molto angustiato da varie infirmità, le quali sopportava con ismisurata pazienza.*

VII. Romæ privatas discordias sedat: Bononiæ Episcopales ædes restituit.

Era in Corte di Roma, e molte differenze, che nascevano tra Religiosi, & altri, tutte erano rimesse al Cardinale, & colla sua bontà, & autorità le troncava tutte. Partissi Papa (b) Eugenio da Firenze, & andò a Bologna, dove stette per alquanto tempo. Era la casa del Vescovado tutta guasta, giunto a Bologna comisse a Maestro (c) Tomaso la facesse acconciare a nicistà non a pompa, & feccvi edificare grande parte di nuovo, dove ordinò una buona, & laudabile stanza per un Vescovo come si vede fino al presente dì. Istato Papa Eugenio per alquanto tempo a Bologna, si partì, & andò a Ferrara, ordinò, che Greci passassino in Italia per fare l' unione, come fece.

VIII. In morbum incidit, moreri se proximum agnoscit, medicinam respuit, & sanctissime moritur.

Istato a Ferrara si partì, e ritornò a Firenze, dove istette per alquanto tempo: di poi volendo ritornare a Roma si partì da Firenze, & andossene a Siena; essendovi l' aque triste che tenavano digrosso, & del gesso, *il Cardinale di Santa Croce* amalò di febre con uno veementissimo male di pietra. Vedutosi amalato *subito ordinò, & dispose della roba sua, benchè non avessi molta*, perchè dava assai per Dio. Lasciò alla Certosa di Firenze più libri, infra quali fù una Bibia, che era costa ducati cinquecento, & volle, che il Corpo suo fusse (d) sepelito quivi, dove egli aveva grandissima devozione per riverenza di Frate Nicolò da Cortona, del quale abbiamo scritto inanzi. Sendo gravato di questa sue infermità, v' era più medici, e non conoscendo esservi rimedio ignuno, se non uno, & quello era pericoloso, di bere un bicchiero di sangue di Becco, *andando al Cardinale con questa deliberatione, lo argò per ispresso, dicendo in prima, e sono tanti anni che io me feci monaco di Certosa, & mai non ho rotta la mia regola, al presente io sò, che questo non è rimedio, che me possa liberare conoscendo la mia infirmità, & la natura sua, & per nulla per non volere rompere la sua regola non voleva fare.* Papa Nicola non veniva mai a questo passo *di tanta constantia d' animo quanto era nel Cardinale*, che non lacrimassi. Fatto questo atto si volle attendere co' Religiosi, & santissimi huomini aveva appresso di lui, che credo vi si trovassi Domenico da Cortona, & stando a questo modo per alcuni dì *santissimamente com' era vivuto, rendè l' anima al suo Redentore.* Morto, che fu, Maestro Tomaso volle, che fussi isparato per vedere la pietra: era di grandezza quanto un' uovo d' Ocha, & di peso uncie (e) dictotto. Venendo Maestro Tomaso a Firenze da poi la morte del Cardinale la regò seco, (f) *& dettemela in mano* a dimostrare la passione aveva supportata il Cardinale, & che i medici se ne ingannavano: che non solo era difficile a romparla, ma impossibile.

IX. Judicium Historici de B. Nicolao, cæterisque Prælatis.

Questa vita di sì degno huomo chi bene la considera *vedrà in lui una mirabile, & inaudita virtù in tutte le condizioni, che si possono attribuire a un' huomo degno*, e chi biasima li Prelati, vega gli huomini degni, che ha avuti in tutte le condizioni, & uniti, e buoni, e giusti, & degli altri, che non vivono secondo i Dio, n' abbi compassione, & preghi i Dio, che allumini loro l' intelletto.

II.

S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus.

SANCTUS ANTONINUS

Archiepiscopus Florentinus.

Chronicorum part. 2. tit. 16. cap. 22. §. 2.

Tom. 2. pag. 100. tit. 2. edit. Lugdunen. Anni 1587.

EX hac religione, (scilicet Charthusiensium) assumptus *illo vir venerabilis Nicolaus nomine Bononiensis ad Episcopatum Bononiensem* invitus, & postea ad Cardinalatum a Martino Papa V. semper servans rigorem suæ Religionis: *speculum sine macula* omnibus Curialibus, & Præsidentibus, Pater pauperum. Inter Principes sæculi dissidentes pacis reformator, schismatis impeditor. Demum sub Eugenio Papa Senis migravit ad Christum ex infirmitate calculi, cui exenterato repertus est lapis grossus ad modum ovi in fondo vesicæ, quasi incarnatus.

Idem part. 3. tit. 22. cap. 7. §. 3.

Tom. 3. pag. 000. l. c.

CReavit ipse (*Martinus Papa V.*) plures Cardinales, & inter cæteros virum Religiosissimum Dominum Nicolaum Ordinis Carthusiensium. Hic Nicolaus Bononiæ cum esset Prior in monasterio Bononiensi dicti Ordinis, *una voce cleri, & populi vocatus fuit in Episcopatum Bononiensem*, cum vacaret Ecclesia. Quem plurimum renitentem confirmavit, & instituit Martinus Constantiæ Pontifex creatus. Episcopus autem factus, nihil dimisit de observantia, & austeritate Ordinis sui, & in humilitate animi Domino serviens reditus suos pauperibus erogabat, & reparationi Ecclesiæ, & cultui divino ampliando: multaque bona opera operatus est Dominus per eum in diœcesi sua Bononiensi. Quorum cives ingrati, & immemores, quia civitatem rebellem Ecclesiæ de mandato Martini Papæ interdicto supposuit, mortem ei intentarunt. Sed occulte mutato habito fugiens impetum furoris eorum evasit. Qui postmodum Cardinalis Presbyter a Pontifice creatus, *sicut in Episcopatu fuerat Antistitum exemplar insigne, ita in Cardinalatu extitit Cardinalium speculum*, destinatusque Legatus ad hoc inter Florentinos, & Venetos colligatos ex una, & Ducem Mediolanensem ex parte altera, jam fessos expensis, & laboribus diutini belli, composuit pacem; Legatusque missus postea in Galliam Transalpinam satis laboravit ad concordiam ponendam inter Regem Franciæ, & Ducem Burgundiæ. Demum reversus (cum Eugenius successor Martini cum sua curia Senis resideret) infirmatus ex calculo, nullo remedio fieri potuit, ut illum ejiceret. Nec mirum, nam corpore post mortem exenterato, reperta est lapis in collo vesicæ incarnatus, grossus ad modum ovi parvi gallinæ. Cujus exequiis honorabiliter funeri adhibitis, præsente Pontifice, delatum est corpus ad monasterium Carthusiense S. Laurentii prope Florentiam, ibique in Ecclesia sepultum, prout ipse mandaverat.

Idem cap. 8. §. 9.

Pag. 103.

CIrca hæc occupato Carminiola duce exercitus, Martinus Pontifex, cujus opera, ut credebatur a moltis, bellum antea tractum fuerat, veritus ne amissa Brixia, reliquarum quoque urbium discrimen subiret, de pace agere cœpit, literisque Ducem, Venetos, Florentinos ad pacem cohortatus, illius spe minime dubius *Cardinalem S. Crucis virum sanctissimum Nicolaum*, prudentia, & æquitate insignem primo Venetias Legatum misit, qui cum cives haud abhorrere concordiam sensisset, Mediolanum profectus, Philippum quoque pacis

(a) De Germanica B. Nicolai Legatione, præter ea, quæ narrant Jacobus Zenos *cap.* 18., & Sigonius *cap.* 16. consulendi sunt Odoricus Raynaldus A. C. 1438. §. 23., & A. C. 1439. §. 38. Christophorus Browerus Annal. Trevirensium *lib.* 19. §. 40. *& seqq.*, & Joannes Dlugossi, seu Longinus Historiæ Polonicæ *tom.* 1. *pag.* 716.

(b) Eugenius Bononiam venit A. C. 1437. Bulla translationis Concilii Basileensis ad Civitatem Ferrariensem data est *Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ* 1437. *Kal. Octobris*.

(c) Nempe Thomam Sarzanensem, qui postea fuit Nicolaus V.

(d) B. Viri Corpus Florentiam delatum fuit, & apud Carthusienses sepultum, ejus vero intestina Senis humata fuerant in Ecclesia S. Augustini, ut testatur Sigismundus Titius Historiæ Senensis *tom.* 4., quæ MS. extat in Bibliotheca Chisiana *Cod.* 907. *fol.* 150.

(e) *di peso uncie dicioto* hæc desunt in antiquo Codice, Lapis in vesica B. Viri repertus, a Zeno *cap.* 20. *bilibris* dicitur a S. Antonino *grossus ad modum ovi parvi Gallinæ*.

(f) Hinc constat Vespasianum eadem, qua B. Nicolaus, ætate vixisse.

CLASS. III. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus.

cis cupidum comperit. Florentiam non adiit, quoniam sciebat civitatem diutino bello exhaustam pacem optare, & apud Venetos pacis, & belli arbitrium esse. Sabaudiæ Dux Amedeus de pace est postulatus. Egit igitur Legatus, ut singuli oratores decernerent, qui Ferrariæ convenirent, de concordia se auctore, suasoreque acturi.

§. II.

Pag. 106.

INeunte hyeme Pontifex legatum eundem, qui priorem pacem firmaverat, Cardinalem S. Crucis ad componendam pacem misit, jussit omnibus, quorum intererat bellum, oratores Ferrariam decernere. Florentini diuturna impensa exhausti pacem optabant; Sabaudiæ ducis, qui jam cum Philippo occulte pacem fecerat, oratores pacem suadebant, haud quaquam Philippi postulata improbantes; Veneti inter spem, metumque dubii, hostis vires minui cupiebant. Hinc ambitio, & majorum rerum appetitus bellum continuare suadebant. Philippi quoque ea postulata erant, quæ omnem belli timorem excutere viderentur. Interim quamvis hyems esset asperrima, tamen a Carminiola multa oppida tum in Cremonensi, tum in Brixiensi agro ab hoste capta.

Re pacis contentionibus variis diu protracta, tandem virtute legati, auctoritateque post quintum mensem est constituta mense Martio anno supra 1428. Conditiones hæ sunt additæ &c. (a)

III.

POGGIUS Florentinus

POGGII FLORENTINI

Oratio in funere Beati Nicolai Cardinalis S. Crucis.

I. Orationis exordium, quo eximiæ B. Nicolai virtutes generatim recensentur.

IN maximo dolore, præstantissimi Patres, & acerrimo luctu, quem ex optimi, & sanctissimi Viri morte suscepi, hoc mihi solatium mœroris videtur tribui, quod & ea proculdubio sim dicturus, quæ summo omnium consensu, summa approbatione, summo favore accipiantur. *Et in virtutibus amplissimis tanti viri commemorandis*, & si non debitum, at qualem facultas ingenii dabit, honorem sim vitæ omni cum laude castissimæ præstiturus. Accedit, quod maxime ad viventium spectat utilitatem, ut in excellentium virorum exemplis, & vita recensendis, multi ad laudem, & gloriam, ipsorum memoria virtutum, incitentur. Conferunt enim nos parum præclaris ingeniis gesta priscorum ante oculos posita: quæ nobis subdunt tanquam calcar, & incitamenta, quædam ad eorum, quos laudari videmus, imitationem. Equidem existimo, majores nostros, & orationes quæ olim in præclarorum funeribus habebantur, & imagines, quæ priscorum memoriæ dicabantur, non tam defunctorum laudes, & gloriam ostendere, quam posteris consequendæ virtutis eorum exempla nobis præbere voluisse. Quanquam huic nostro omni laude ornatissimo Viro nullius gloria, nullius laudatione opus est, ad ejus vitam in hoc funere exornandam; Neque hoc dicendi munus tanta virtus desiderat, quæ omnem orationem, quantumvis amplissimam, superare videtur: Sua illa merita, sua virtutum ornamenta, sua sanctissime acta vita, mores castissimi, sua in omnes pietas, sua religio adeo illum ornavit, ut nullo sit opus externo adjumento ad laudem hominum consequendam. Quo mihi facilior erit orationis cursus, cui datur ea materia ad dicendum, ut non verbis ornare hunc hominem, sed tantum, quæ ab eo acta sunt, referre satis esse pro ejus meritis videatur. Sed profecto *integerrimi, ornatissimique viri* vitam explicaturus, dum ejus in me, dum vixit, charitatem, dum in doctos viros benevolentiam considero, dum ejus virtutem, humanitatem, pietatem mente revolvo, dum, quo præsidio Ecclesia, quo auxilio inopes, quo adjumento boni sunt spoliati, animadverto; nequeo ullo modo, quæ ultro etiam mihi invito in ejus commemoratione effluunt, lacrymas continere. Quis enim tam inhumanus, tam durus, vel ferreus potius esset qui in talis tam laudati, tam desiderati communis Patris memoria non moveatur animo, & ad fletum prorumpat? Quis est, qui eum cum nobis, qualem sæcula rara fuerunt, ereptum videat, non mente, & animo ingemiscat? subtractus est nobis *vir vita, & moribus singularis, cui parem ætas nostra non protulit*. Interiit, quamquam non interiit, sed ad meliorem profectus est vitam, *vir summa prudentia, & sapientia præditus, vir religione insignis, pietate præcipuus, excellens integritate vitæ, de omnibus optime meritus. In quo nullorum, quamvis perspicaces oculi ullum unquam locum maledicto invenire potuerunt*. Facultatibus egenos, subsidio imbecilles, consilio plurimos, opibus singulos, omnes patrocinio sublevabat, ut veluti parentem unicum bonorum, ac calamitosorum refugium lugere, & gemere compellamur; verum quoniam tempus requirit, ut ad ejus laudum commemorationem posthabita tantæ jacturæ querela veniamus, complectar paucis vitæ institutionem, & mores ejus: ut & ea, quæ ipsi nostis, tanquam in vestro conspectu, meis verbis proponantur: & quibus id animi est, ejus viri proposito exemplo, occasio detur ad idem virtutis iter ingrediendum.

CLASS. III. Poggius Florentinus.

II. B. Nicolai Patria, Parentes, Studia. Carthusiensem Ordinem profitetur, Religionis munera, ac dignitates pie, sancteque fungitur.

Natus est vir iste insignis Bononiæ, urbe celeberrima, atque antiqua, & quæ inter Italiæ præclaras urbes facile adnumerari queat, honestis parentibus, & haud obscuro loco natis; sed qui filio per omnem vitam, quocumque esset in statu, possent esse ornamento. Cum pluribus annis Juri civili operam dedisset, plurimumque in ea scientia profecisset: tandem cum sagisset hujusmodi sapientiam apud Deum stultitiam esse, spiritu Dei ductus, qui eum in suum obsequium disposuerat segregandum, abjecta legum cura, relicto sæculo, contempto patrio censu, Ordinem Carthusiensium est ingressus: eam professus religionem, quæ arctissima omnium judicatur. Sunt plures vivendi formulæ propositæ his, qui se Dei cultui dicarunt: e quibus leviores quædam, & ad facilitatem vitæ propensiores existimantur, non levem aliquam, non facilem, non vitæ, & communibus moribus indulgentem elegit, sed illam potissime, quæ est ardua inter omnes, difficilis, austera, severitatis, & disciplinæ arctioris plena; magna proculdubio mutatio animi, major corporis, quod a licentia quadam vitæ communis ad tam laboriosum vivendi genus, ad tam inluctum onus religionis ascendit: non solum Religiosorum vitam sumens, sed eam, in qua persistere difficillimum existimamus; & certe ea religio admodum gravis, & toleratu difficilis putatur, ita parvis terminis circumscripta, ut nisi speciali dono Dei suffulti, in ea diutius nequeant persistere. Sed omnia sunt volentibus facilia. Nihil tam durum, tam asperum Christum recta via sequentibus, quin leve & mollе conantibus fiat. Brevi tempore effecit, ut omnes difficultates superaret, omnem victus austeritatem obedientia, & patientia vinceret, compulit non multo post vitæ illius integritas sui monasterii Religiosos, ut illum eligerent in suum Superiorem. Quo in regimine ea fuit modestia, prudentia, temperantia, ut ab omnibus ipsius virtus celebraretur. Et quamvis in monasterio sedulus, atque abditus viveret, cultui divino, & gubernandi curæ intentus; *virtus tamen, & Sanctitas claudi minime poterat*; sed Bononiam usque horum certa vestigia perlata omnes cives in admirationem, stuporemque perduxerant. Ipsi, quibus præerat, absque ulla invidia (quam vitare difficile his, qui præsident cæteris) virtutes ejus admirantes efferebant. Neque vero mirum, facile est ejus laudem consequi illis, qui non præesse cupiunt, sed prodesse.

III. Clerus, & populus Bononiensis ipsum invitum, ac reluctantem Ecclesiæ suæ Antistitem renunciant.

Hoc vitæ curriculo, hac viri fama permotus Bononiensis populus, cum in defuncti Episcopi locum successor quæreretur, diffidente parum Clero, (alii alium postulabant) uno consensu, una mente in suum Pastorem, approbante Clero, elegit. *Permagnum sane singularis hoc testimonium virtutis fuit, universum populum sua sponte, nemine rogante, nullo dissentiente, (nescio cujus voce illum nominante, Dei voluntate jussa) in vestigio in ejus electionem exarsisse*. Sperabant enim illum unicum esse futurum Antistitem, in quo salus omnium sita esse videretur, cujus ope boni sublevarentur, & opprimerentur mali: qui mores labentes ad meliorem frugem, & vitia posset ad virtutes traducere. *Accitum ad Urbem, per alterius rei simulationem, ignarum populi voluntatis, multis precibus omnes civitatis ordines hortati sunt, etiam reluctantem, ne onus sibi injunctum recusaret*. Ille multum, diuque cogitans, quanti esset laboris, ac periculi animarum curam, medelamque suscipere, quamve esset grave hujusmodi pondus illis, qui animarum salutem ex tali dignitate, non quæstum quærunt: cessit vix tandem vir optimus populi voluntati. Attamen ea conditione assensus est, primum ut omnia bona, & castella, quæ distracta erant, Ecclesiæ restituerentur, tum ne quid expenderet pro confirmatione Pontificis; sibi enim nummos non esse; Quæ vero ab Ecclesia subministrarentur, in alios usus, hoc est, in pauperum alimenta distribuenda sibi esse asseverabat, quod utrumque est vir sanctissimus assecutus. *Nihil eo honore, nihil ea dignitate elatus, nulla in re vitam pristinam mutavit, eadem humilitate, eadem continentia, eadem vitæ austeritate vixit, victu tenui nullo apparatu contentus*. O virum optimum, & cunctis sæculis summis laudibus celebrandum! O Virtutem raram, & quam rariores homines sequuntur! Recensete alios, illorum vitam inspicite, qui simili sunt præditi dignitate; quem mihi dabitis, qui ejusmodi gradum non appetat, quærat, enixe procuret, cælum, terramque defatiget, ut illum consequatur? Quotumquemque reperietis, qui non inflectur animo adepta dignitate, & intumescat? Qui dignitatem non habeat quæstuosam, qui non voluptatibus plus solito, & quie-

(a) S. Antoninus obiit A. D. 1459. teste Daniele Papebrochio in Commentario prævio ad vitam S. Antonini a Francisco Castilloaensi conscriptam, quæ extat *tom. 1. Maj. Bolland. p. 312.*

quieti corporis indulgeat, qui non deterior in diem fiat?

IV. Corruptos Cleri, ac populi mores castigat. Judæos signum deferre jubet. Pauperes frumento, vel pecunia juvat. Viduas tuetur. Virginibus dotem largitur.

At hunc nostrum *virum sanctissimum omnia prioris vitæ servantem vestigia vidimus, nulla in re immutatum, nullam in partem a cura populi sui oculos deflectentem*. Primum in id maxime multis reluctantibus incubuit, ut Clerus, qui ad eam diem dissolutior fuerat, non solum vestibus, sed moribus quoque compositioribus uteretur. Tum populum a lascivia ad frugalitatem deflexit, non solum verbo, sed exemplo, quod plurimum valet ad animos hominum commovendos. In primis id statuit, etiam renuente in multis Pontifice, ut Judæi certo signo a Christianis dignoscerentur. Religiosum quemdam Ordinis Minorum ad reddendum depositum mulieri viduæ, quod negabat, in certis conjecturis cognitum, licet reluctantem coegit. Pauperes, qui egestatem erubescebant, occulte perquirens, frumento aut pecuniæ clanculum domum missæ sublevabat, virginibus egenis dotem subministrabat, confluentibus undecumque mendicis victum publice largiebatur. Id agebat, ut omnes intelligerent, non utilitatem aliquam, aut privatum commodum ex Ecclesia, sed rationem pauperum, populi correctionem, sacerdotum emendationem, ab illo esse susceptam. Erat in corrigendis superiorum temporum moribus, tum mitis, tum severus, prout utilitas ovium sibi concessarum postulabat. Denique parvo tempore effecit, ut longe alius populus, alius clerus esse videretur. Etenim facile est illi cæteros corrigere, qui sibi ipsi bene vivendi legem induxit, facillimeque in officio continentur homines ab eo, qui seipsum continet. Præclare enim a sapientibus scriptum accepimus: *quales Principes in Republica fuerint, tales reliquos esse solere*.

V. Pacis causa a Martino V. in Gallias legatur. Reges ac Principes in magnam sui admirationem traducit.

Hunc autem fere, his virtutibus florentem Martinus Pontifex aptissimum judicavit, qui ad componendam pacem inter Franciæ, & Angliæ reges Legatus mitteretur. *In Gallias igitur profectus est, & cum utroque Rege sæpius collocutus, ad pacemque adhortatus, eos in admirationem sui attraxit; nulla munera, nulla dona accepit, sed solitam suam continentiam, modestiamque servavit. Et cum se enim utrique Regi, tum etiam omnibus maxime vitæ continentia, gravitate, ac prudentia probasset*; tamen in tanta sententiarum diversitate difficile fuit concordiam statuere; *Id tamen egit, ut ob suas virtutes tam Gallis, quam Anglis relinqueret desiderium sui, & a singulis Vir sanctissimus, atque optimus putaretur*. Re infecta Bononiam rediit: Sensi ego, qui in Anglia tunc morabar, *quanti a Rege fieret, quanti virtus ejus, & sapientia æstimaretur ab omnibus*, quantaque cum omnium commendatione munus sibi injunctum obiisset. *Prædicabatur ab his, qui a Rege veniebant, continentia hujus, innocentia, integritas, religio: & hunc unum ad se missum ajebant sine ambitione, sine cupiditate*: In quo veræ Sanctitatis specimen eluceret: Etenim facillime humana contemnit, qui Christum recte sequitur: neque externis, sed suis fultus bonis, nihil extra concupiscit, virtutum fretus conscientia.

VI. E Galliis Romam revertitur. Cardinalis a Martino Pontifice designatur. Eximia ejus humilitas post adeptam dignitatem.

Pervenerat ad Martinum celebris harum virtutum fama, multorumque sermone ejus laus in dies increbrescebat. Et quamvis antea certior factus erat, hunc esse unum, quem laudabant omnes, cujus virtutum exempla extollebant, in quo nulla invidiæ ad carpendum locum inveneret; tamen hac legatione prudentissime obita, & moribus sanctissimis ductus, *Eum designavit nullius precibus, nullius intercessione, sed sua sponte S. R. E. Cardinalem*. Hoc ignotum ei esse voluit, quoad Romam (accersiverat enim illum per alterius negotii speciem) veniret; cum jam prope Urbem esset, rem illi significari curavit: *nulla lætitia, nullo gaudio, nulla elatione motus, eodem, quo antea, vultu permansit*: ut palam fieret, humani fastigii insignia parvi ab eodem existimari. Honorem illum suscepit, ne beneficentiam in se Pontificis contemnere videretur. Nihil ex eo ad virtutem, ad vitæ molestias multa addi conspiciebat: vitam ita deinceps instituit, ut & dignitati consuleret, & Religioni. *De privata vivendi austeritate nihil mutavit*, exteriora quædam auxit, quæ ad cultum spectarent, & tuenda tantæ dignitatis ornamenta; eadem integritas, eadem continentia, eadem pietatis officia, eadem benignitas permansit; & quo erat illo fastigio dignior, eo se magis indignum existimabat; nulla pompa, nulli fastus, nullæ opes impedimento fuere, quo minus semper omnem vitam puram, immaculatamque præberet. Quidquid dignitate, aut auctoritate poterat, ad præsidia hominum conferebat. Permagna quidem inerat patientia & æquanimitas, ita ut summam modestiam, summam temperantiam, summam benignitatem semper ostenderit. *Neminem unquam nocuit, nemini unquam maledixit, nemini est iratus; In divitiis paupertatem, in dignitate humilitatem*, in fastigio tanti honoris pristinam humanitatem servavit. Quid loquar de liberalitate, vel ut rectius loquar, de charitate, qua egenis, & mendicis est opitulatus? Nolo hanc ejus præcipuam laudem pluribus verbis efferre, quoniam, quæ Christi causa facta sunt, non humanam gloriam quærunt, sed præmia æterna. Sed mihi de ratione vitæ hujus integerrimi hominis dicenti imago ejus ante oculos obversatur, qua pro

Acta & Decr. Canon.

ejus religione, & sanctitate vetat, me in hujusmodi oratione esse prolixum. Nam quæ ab eo acta sunt, ait se malle potius Dei, quam hominum testimonio comprobari. Non enim ad inanem gloriam, non ad vulgi pompam, non ad aliquem fastum se efferri, sed ad veram laudem, ad honorem sui Creatoris, ad immortalis Dei commendationem vitam, & mores suos composuisse; Nihil se quæsisse, nisi ut opera sua illi accepta essent, qui novit abscondita cordis. Hanc vero sæculi inanem gloriam, semper hunc populi plausum contempsisse; quæ sunt potius ad viventium consolationem, quam ad defunctorum salutem comparata. Cujus voluntati licet parendum esse videatur, tamen aliqua ex parte meo desiderio, & ipsius in me meritis satis esse faciendum judicavi.

VII. Semel, atque iterum legatur ad Insubres cum Venetis, ac Florentinis pacificandos.

Cum igitur *sanctissimi viri virtus* summo in honore, magnæ in reverentia apud Martinum Pontificem esset, eumque cum omnes velut *exemplar* honesti intuerentur, fama vero virtutum apud omnes esset vulgata, Legatus missus est Venetias ad statuendam pacem inter Ducem Mediolanensem, ac Venetos, Florentinosque, quos inter acre bellum vigebat; & recte ad pacem quærendam electus est is, qui pacis homo erat, & eam præ cæteris rebus salutarem mortalibus esse censebat. Qua confecta, licet postmodum conditiones non servarentur, & ob id bellum instauraretur, Romam reversus est. Increbescentibus belli malis, cum majore discrimine imminere viderentur, denuo ad eandem pacem procurandam a Pontifice destinatur; cujus in tractatu cum sex menses consumpsisset, demum ejus adhortationibus & prudentia Ferrariæ confecta pace, ad Martinum (is tunc Ferentinum pestis evitandæ causa secesserat) rediit, summa omnium benevolentia.

VIII. Gallicam legationem a Martino V. sibi delatam, ultro continuat sub Eugenio IV. omnique miro Regum, ac populorum consensu gerit ob præcipuam vitæ sanctimoniam, atque integritatem.

Erat Martino admodum cordi Galliæ pax: ad hanc rem, (si quo consilio, aut humana ope componi posset) procurandam, hunc *optimum virum* esse accommodatissimum ratus, rursus ad Galliam Legatum destinavit; sed antequam Italia excederet, Pontifex obiit diem. Huic cum successisset Pontifex Eugenius IV., iter suum, & legationem susceptam conficere jussus, biennio apud Gallos permansit. Non viliorem eum iteratus adventus (ut plerumque contingere solet) reddidit, sed admirabiliorem, virtus enim quo diutius tractatur, eo magis placet, præsertim nulla offensione interrupta. Multa itinera in diversa loca confecit, multos subiit labores, cum sæpius ex morbo laterum, & calculo maxime torqueretur. Sed virtute & constantia animi infirmitates corporis superans, utrumque Regem sæpius est allocutus, exhortans ad concordiam, & ad deponendam ambitionem; multa concilia Principum, & conventus habuit, plurimas consultationes, in quibus multum consilii ostendit, multum auctoritatis ad rei confectionem; bellorum pericula ante oculos proposuit; quot, quantæque calamitates utrique Regno provenissent, recensuit; Sanctorum Patrum præcepta, sapientum virorum consilia, singula omnia scripta & sententias, quæ eam in rem conferre videbantur ad permovendas mentes hominum, enarravit. Sed gloria, ambitio, cupiditas, honor sæculi cum inter se certarent, & communi bono obstarent, infecta pace abiit. *Sed ita abiit, ut Regum uterque, & qui his aderant, profiterentur, nunquam se ei viro prudentia, fide, sanctimonia, vitæ integritate parem vidisse. Eadem enim, & priori par integritas, abstinentia, continentia legationis fuit, Regum, & cæterorum munera ab eo contempta; nihil horum appetiit, quæ aliis præclara & pretiosa videntur: satis sibi esse putans, licet operam perdidisset, si boni viri officia omnia in ea legationis munere præstitisse*. Erat amplior dignitas, sed cupiditas minor. Nihil sibi præter honorem, & laudem Pontificis reportandum existimavit. Et quidem cum multis pompam & apparatu rerum, ac magnificentia sæculi inferior videretur: virtute tamen & continentia superior omnibus erat, magisque in ea humilitas admirabilis erat, quam in cæteris ornatus, aut rerum cultus cæterorum. Virtutum namque comitatu contentus, ea negligebat, quæ speciosa vulgus ducit. Recte enim, ut Bias ille prudens, *omnia secum ferebat*, nullius exterioris cultus adminiculo egens. Non tamen obsoletam secum familiam habuit, sed quæ satis culta esset, & plus honestatis, quam splendoris circumferret; ita ut, & contemptum fugeret, & superfluitatem.

IX. Basileam Pontificis jussu petit ad schismaticos compescendos. Florentiam venit, ac tertio in Gallias legatur, ubique diu optatam pacem componit.

Ex Gallia rediens ex Pontificis præcepto Basileam proficiscitur: ubi cum multos tumultuantes adversus Pontificis, Sedisque Apostolicæ auctoritatem comperisset, neque popularis insania reprimi a se posse videretur, Florentiam venit, ad quam Eugenius post discessum ab Urbe se contulerat. Inde tertio Legatus in Galliam rediit præscripto Pontificis, qui pacem eorum Regum perutilem populo Christiano conspiciebat. *Erat omnium opinio, aut hujus Viri sapientia, & virtute, aut nullius alterius ope pacem eam esse futuram*; nam is solus cum neutri parti faveret, tantum enitebatur, quantum communis utilitas postulabat; nulla affectione privata, nulla benevolentia movebatur. Erat liber in consulendo animus, in decernendo æquus, nihil a recto declinans. Ibi Concilio utriusque gentis habito, communique desperata (propter diversas sententias) pace, Ducem Burgundiæ, qui antea regi Franciæ in-

S fen-

CLASS. III. Poggius Florentinus.

scotus erat, in gratiam Regis, communemque benevolentiam reduxit. Quæ res & statui Regni, & Regi plurimum conduxit.

X. Basileam ad schismaticos, iterum proficiscitur. Inde reversus ad Pontificem redit, a quo Germaniæ Legationem accipit, indeque [illegible] Pœnitentiarius eligitur.

His actis summa cum laude Florentiam cum revertisset, denuo Basileam mittitur, si qua ratione, aut sanari, aut reprimi posset ejus auctoritate multorum temeritas, qui contra Romanum Pontificem insurrexerent. Sed superante, & convalescente in diem stultitia, ac nequitia eorum, qui pacem Ecclesiæ pervertere nitebantur, relicto malignantium conventu, venit Bononiam, quo Pontifex ierat. Cum autem postea celebrandi Concilii gratia, ad quod Græci venturi erant, Pontifex Eugenius Ferrariam concessisset, in Germaniam ad Albertum Romanorum Regem, qui erat Nurembergæ, Legatus mittitur ad agendos conventus Principum Germaniæ: ad obviandum schismati, quod postea Basileensium vesania conjecit: Hic multa in eo conventu locutus, quæ ad deterrendos homines a schismate Ecclesiæ pertinebant, hortetusque ad Pontifici fultam fidem servandam. Ferrariam regressus, postmodum manens in Curia; pauloque post a Pontifice in locum Cardinalis Ursini, (qui major pœnitentiarius erat, diemque suum obierat), suffectus est. Quo in munere summa optimi viri, piissimique officia præbuit; id sibi munus demandatum arbitratus, ut salutem quæreret eorum, quibus Dei gratia lucem pœnitentiæ tribuisset.

XI. Ob præcipuam ipsius sanctimoniam, atque integritatem a Summis Pontificibus ceteris Cardinalibus præfertur.

Mirum fortasse nonnullis videri potest, cum tot Cardinales essent in curia, quibus hæ legationes tam variæ demandari potuissent, *cur hic solus potissimum eligeretur: Sed erant in eo permulta, quæ ipsi benevolentiam hominum conciliabant, & præclarum reddebant apud omnes. Primum* Summa Religio, Summa Integritas, & Consummata Sanctitas Morum, *cum nihil in eo reprehendi posset: semper omnem vitam* Temperantia, & Continentia *singularis. Doctrina præditus erat, ac scientia rerum plurimarum, ut viris doctissimis æquari posset*. Erat in eo denique agendorum usus, ac experientia, quæ in eo summam prudentiam efficiebant. Accedebat consilii gravitas, & animus in consultando omni passione vacuus. Auctoritas quantum in ullo homine esse potest, virtute, & bene agendo contracta, *mores probatissimi, ætas provectior, nulla unquam tempore, ulla, vel parva vitiorum labe notata*. In negotiis tractandis, ac perficiendis sapientissimus habebatur. His virtutibus addebatur humanitas quædam, & mansuetudo, quæ eum summe gratum omnibus reddebant.

XII. Ejus virtutes summum secantur. Sine mora, cum quia Senis habitu conam Pontifice. Bonorum suorum, sanctitatis opinio constant.

Digne ergo ejus opera in rebus arduis Pontifices utebantur: cum non ad quæstum aliquem, sed ad laborem officiosum, non ad propriam, sed ad communem utilitatem se mitti arbitreretur. Etenim ex his, quæ ab eo in officio legationum concedebantur, *nullum emolumentum prætenebat, gratis condonabantur omnia* ab eo, qui didicerat; *Gratis accepistis, gratis date*. Bona Ecclesiæ Bononiensis, quæ ipsi a Pontifice credita erant, secundum canonicas sanctiones distribuit, majorem partem in usus pauperum, & ædificiorum reparationem distribuens. Nam domos Episcopi instauravit, & auxit pro dignitate Ecclesiæ, & urbis. Domum quoque in Urbe, magna ex parte construxit juxta Ecclesiam S. Potentianæ, in qua & habitavit remotus a strepitu populari, dum Romæ vixit; *Parentibus, aut fratribus, aut aliis ex suo genere nihil ex bonis Ecclesiæ tradidit*, afferens se dispensatorem e Deo, non largitorem esse constitutum. Familiam habuit honestam, quæ & honestatem servaret, & contemptum vitaret: summam servans in omni statu moderationem. Cibi fuit parcissimi. *Numquam post aditam religionem, usque in infirmitatibus, quibus gravabatur sæpius, neque extrema vitæ tempore carnes comedit*; vino utebatur, quod satis esset ad vitæ sustentationem. Religionis normam immaculatam servavit, eam religionem sequens, quæ a Beato Jacobo Apostolo scribitur esse: *immaculatum se custodire ab hoc sæculo*. Surgebat media nocte, orationi vacans; *laneis utebatur vestimentis, cum semper cilicio interius uteretur, ac recubans in stramentis*; Sacræ Scripturæ continuum studium impertiebat. Cum quid otii ab oratione, & negotiis publicis superesset, humanioribus quoque studiis tantam operam dedit, quantum sacrarum literarum dignitas patiebatur. Vitam hanc cum tanquam peregrinus, & advena transegisset, nihil in ea aut spei, aut momenti ponens, mortem quoque contempsit, cum se ad meliorem sciret vitam profecturum; & cum summo dolore torqueretur ex calculo, qui postmodum ad libræ pondus in eo repertus est, tamquam sciens extremum sibi diem instare, & medicos contempsit, & dolores immensos summa patientia pertulit, agens semper gratias Deo, qui ipsum etiam in extremo spiritu exerceri ad patientiam vellet. Deficiente natura, animam Deo reddidit, nihil de rebus

CLASS. III. Poggius Florentinus.

externis curans, nisi ut & familiæ rationem haberet, & pauperum meminisset: obiit Senis sexagesimo octavo ætatis anno. Exequiæ ejus in majori templo celebratæ, quibus Eugenius Pontifex, qui *sanctissimum virum* unice dilexerat, adfuit. Commendari profecto digna est, tum ceteris in rebus, tum in hoc maxime Romani Pontificis pietas, qui, quod antea raro auditum est, huic nos præstitit. Annos jam quadraginta in Romana Curia sum versatus, ultra quinquaginta Cardinales mortem obiisse memini, nullius unquam funeri Pontifex ullus interfuit. At & Eugenii egregia virtus, ac defuncti merita postulare videbantur, ut in ejus funere vetus consuetudo intermitteretur. Itaque & erga vivum suam benevolentiam ostendit, & tali honore mortuo præbuit virtutum suarum testimonium sempiternum. Laudanda est a nobis semper divina providentia, & in omnibus, quæ nobiscum agit Deus, gratiæ sunt agendæ, patienter vero ferenda quæcumque ejus sapientissimo nutu, licet nobis incognito, videntur accidere. Veruntamen cogor aliquando non solum admirari, sed etiam conqueri parum videri prospicere tantam sapientiam rebus humanis; videmus enim tot nefarios homines, tot scelestos (quorum opera in solam perniciem gentium spectant) versari in terris prospera valetudine, diutiusque vivere, quam ferat communis salus: quos utilissimum foret orbi, aut nunquam natos, aut quamprimum interiisse; eos vero, quorum est vita nobis salutaris, qui opere, & exemplo prosunt, in quibus multorum refugium consistit, aut morbo a negotiis impediri, aut citius eripi nobis, quam ratio Reipublicæ patiatur. Quamobrem pluribus verbis deflerem hujus singularis viri mortem, deplorarem publica incommoda, lamentarer privata multorum damna, & communem bonorum parentem subtractum nobis quererer, nisi censuram Dei timerem, & nisi vererer, ne videremur ejus gloriæ, qua nunc in cælis fruitur, invidere. Tantum dico, bonos omnes patre optimo, egenos sanctissimo, Ecclesiam Romanam summo viro, Sedem Apostolicam consultore prudentissimo, esse hoc tanti viri obitu spoliatam, qui splendorem Romanæ Curiæ, laudem Religioni, dignitatem suo ordini afferebat. Sed postquam ita visum est illi, cujus consilia sunt æterna, nos quoque in ejus interitu consolemur; scientes ipsum in Beatorum numero collocatum. Doleamus paululum, si libet, incommoda nostra; illius vicem lætemur, qui nunc fert optatum fructum laborum suorum. Prosequamur quoque grato animo memoriam ejus, & virtutes infixas animo teneamus, conemur opera, & honestam optime vitam imitari, ut instar ejus, æternam gloriam nostris laboribus, & actionibus divina adjuvante gratia consequamur. (a)

Ejusdem Histor. Populi Florentini lib. V.

Rer. Ital. Script. tom. 20. pag 141. & Nicolai legatio ad Venetos, Insubres, ac Florentinos describitur.

His rebus Carminiola intento, Martinus Pontifex, cujus opera bellum ante protractum erat, cum, quæ animo conceperat, vana apparerent (fama namque frequentior fuerat, & multorum sententia, illum ante fœdus cum Venetis ictum de industria exoptasse, ut bellum vigeret, neque concordia statueretur, quo Florentini longo, ac diuturno bello fatigati, viribusque exhausti Philippi odio se, suaque sibi dederent) amissa Brixia, veritus, ne Dux reliquarum quoque Urbium discrimen subiret, mente ad pacem conversa, literis Mediolanensem, Venetos, ac Florentinos exhortatus ad arma deponenda, ut intellexit minime eam omnes refugere, *Cardinalem S. Crucis Nicolaum, virum sanctissimum* ad Venetos, quibus quocumque modo belli componendi arbitrium permissum erat, Legatum misit: qui cum cives concordiam haud horrere intellexisset, Amadei quoque, & Florentinorum auctoritatem, qui socii erant, secuturos dicerent: Mediolanum petens, ubi Philippum pacis cupidum, ut ex verbis hominis elici poterat, comperit, singulorum oratores Ferrariæ convenire jussit: quo in loco multis utrinque summa animi contentione agitatis, tertium tandem post mensem Kalendis Januariis pax solemni more firmata est. Conditiones dictæ, ut Brixia, divina, humanaque omnia, valle quadam excepta, ac quæ circa Olium ditionis Cremonæ essent, Bergomum insuper, omnisque ejus ager Venetis cederent: quæ Florentinorum ante bellum fuerant, restituerentur: Amedeus vero bello capta teneret: Quibus, ut acquiesceret Philippus, Mediolanum reversus Cardinalis illum hortatus est -- *Ut rationem temporum haberet: Satius esse partis alicujus, quam totius imperii jacturam subire: prudentis viri esse parere tempori, a quo consilia omnia sumenda essent, & cui parere sapientes vellent. Utile procul dubio fore adversæ fortunæ cedere, cujus arbitrio humanæ res regi viderentur. Non in eodem sta-*

(a) Poggi oratio extat inter ipsius opera Basileæ edita anno 1538. p. 261. eamque iterum vulgavit Georgius Gamefelt p. 51. quem Basileensis editio latuit. Verum in utramque editionem menda non pauca irrepserunt vel typographorum oscitantia, vel editorum incuria; quæ quidem tollere pro viribus studuissem, si mihi per otium licuisset veteres Mss. Codices consulere: At nimia typographi festinatio emendationis consilium prorsus abjicere me coegit. Poggius mortuus est A. D. 1459. 3. Kalendas Novembris, teste Jo. Baptista Recanato in illius vita *cap. 14. tom. 20. Scriptor. Rer. Ital. pag. 183.*

Poggii Dialogum Francisco Aretino inscriptum edidit E-

CLASS. III. Poggius Florentinus.

tu semper omnia futura: accidere posse, ut minori impensa recuperet amissa, quam quæ sunt perdita. Denique eum esse Pontificis mentem, ut quacumque conditione præsentibus consulat rebus: se quoque illis suadere concordiam, atque Pontificis auctoritatem sequatur. At vero Dux tum Florentinorum, qui se Pontifici restituere urbes Ecclesiæ quærentem impedierant, superbiam incusabat; tum Venetorum, quibuscum scindere junctus erat, aliena occupandi cupiditatem plurimum querebatur. Sed Legati viri gravissimi verbis commotus se datas pacis conditiones delecendis &c.

Ineunte hyeme legatus idem, qui prioris concordiæ auctor fuerat, Cardinalis S. Crucis ad componendam pacem missus, jussis omnibus, quos inter bellum erat, Oratores Ferrariam decernere, ipso eo proficiscitur &c.

Idem in Dialogo adversus Hypocrisim.

Pag. 18. edit. Anni 1699.

MEmini quendam (b) Religiosum Bononiæ, pecuniam penes se a muliere secreto, cum vir bonus haberetur, depositam, postea petenti denegasse, & derisisse, velut insanam. *At viri sanctissimi Nicolai Episcopi Bononiensis*, qui postmodum Cardinalis fuit, virtute, & diligentia, cum apud eum mulier eam fraudem questa esset, detecta res est, & pecunia restituta.

Pag. 21.

Vidimus (c) dudum inter eos, quos noverim, *probatissimum, ac sanctissimum virum Nicolaum, de quo supra meminimus, Cardinalem Sanctæ Crucis verum virtutis iter ingressum*, nulla simulatione arrum, ad tantam dignitatem pervenisse, nulla illecebra, aut specie dignitatis commotus, mores pristinos, aut vitæ superioris integritatem, disciplinamque mutavit; nulla est usus ostentatione, suos sua connivebat populo, interior homo ab reliquorum moribus diffidebat, non contrariam ceteris, sed meliorem sequebatur vitam.

IV.

ÆNEAS SYLVIUS POSTEA PIUS II.

In Commentario de Gestis Basileensis Concilii lib. 1. cap. 2.

Ex Fasciculo Rerum expetendarum Orthuini Gratii fol. 2. edit. 2.

Legatio B. Nicolai ad Albertum Romanorum Regem, ceterosque Germaniæ Principes.

FRequens, atque insigne Franconiæ oppidum Norimberga est, & tam superis, quam inferis Teutonibus commune, ibique paucis effluxis mensibus, oratores Alberti Romanorum Regis, & aliorum Alemanniæ Principum convenerunt: tum propter alias communis patriæ causas, tum maxime ut eam, quæ inter Concilium, & Papam vigebat, discordiam sopirent. Illuc & oratores Sacri Concilii accesserunt, & jussu Papæ *vir magna hominum opinione sanctissimus Cardinalis Crucifer*, cum pleriisque collegis pervenit. Ut illic perfici res nequivit, conventus ipse Francfordiam ad calendas Martias tunc proximas translatus est, quod eo in loco Electores Imperii facilius conventuri judicabantur &c.

Idem in Epistola 188. ad Petrum Nexetanum Equitem, & Comitem Palatinum.

Pag. 734. edit. Basileensis.

VIdimus una Genuam Ligurum metropolim: superavimus Apenninum, ac transmisso Pado Philippum illum inclytum Longobardorum ducem, apud Mediolanum adivimus. Transmisimus cælo vicinas Alpes, & formidabilem pontum, & Lucrinum lacum, & campos Helvetiorum. Venimus Basileam, & sub dominio Cardinalis sui (qui tunc Sanctæ Mariæ in Via lata cognomine fuit, nunc S. Crucis appellatur) in Concilio magno fuimus. Quam dulcis conversatio nostra fuit? quam suavis in omni fortuna societas! nihil mihi grave, te comite, videbatur. Memini adhuc, Petre, cum simul uno cubiculo dormiremus, quoties mihi ad multam noctem vigilanti, ac nunc unum, nunc alterum Poetam legenti, subridens dixeris: Quid te maceras Ænea? doctis æque indoctis fortuna consulit. At cum Dominico (quamvis is esset benignus, & optimus pater) cum paupertate eo tempore premeretur, perseverare minime potuimus. Disjuncti aliquot annis fuimus; sed iterum nos fortuna conjunxit apud *Nicolaum S. Crucis venerandum Patrem, & omnium opinione sanctissimum &c.*

Idem in Commentario (d) in libros Antonii Panormitæ de Dictis, & Factis Alphonsi Regis.

Lib. III. pag. 490. §. 47.

IN Calesio cum essem Angliam petiturus, id oppidum in Morinis, ex quo brevissimum dicunt in insulam transitum, nunciatum est *mihi ex Nicolao Cardinale S. Crucis viro sanctissimo* Philippum Burgundiæ Ducem, qui partium Anglicanarum antea fuisset, ad Regem Franciæ defecisse. Quod cum præfectus loci accepisset, omnia me, *qui Cardinalis essem Secretarius*, cui notas esse, asservari jussit, quæ res magno me damno affecisset, nisi Cardinalis Vintoniensis, cui notus essem, illico me dimitti jussisset.

CLASS. III. Æneas Sylvius.

Idem Commentariorum lib. 2.

Pag. 9. edit. Francofurt. anno 1614.

Æ. Nicolaus Basileam evagatur, inde Galliam petit, ibique pacem componit.

ÆNeas cum rediisset Florentiam, comperit Bartholomæum Vicecomitem Episcopum Novariensem apud Eugenium magnis de rebus accusatum, capitali judicio laborantem: ob quam causam ad *Nicolaum Cardinalem S. Crucis probatissimum, & laudatissimum patrem* confugit, qui & ipsum in Secretarium accepit, & Bartholomæum a manibus Eugenii liberavit; Thoma Sarzano Magistro domus, qui postea Summi Pontificis cathedram ascendit, Nicolaus Papa V. appellatus, ac Petro Noxetano, cujus supra mentio facta est, faventibus, atque optantibus. Cardinalis S. Crucis eo tempore legatus in Franciam designatus erat, inter Carolum Francorum, & Henricum Anglorum Reges pacem compositurus: cum eo Æneas tertio Mediolanum, & urbis ducem vidit, atque inde montem Jovis, quem S. Bernardi melius hodie vocitant, ad Amedeum Sabaudiæ ducem, qui tunc spreto sæculo in eremo apud Thononium supra lacum Lemanum magis voluptuosam, quam pœnitentialem cum sex viris equestris ordinis, qui secum penulam & baculum assumpserant, ut mos est eremitis, vitam degebat: credo, quod post annos octo secutum est, expectans ad Summi Pontificatus cathedram per patres, qui Basileæ convenerant, evocari: nam & tunc rumor increbuerat Amedeum Papam futurum. Eo salutato Cardinalis Basileam venit; atque inde per Rhenum Coloniam Agrippinam navigavit, ubi rursus equis conscensis per Aquisgranum, Leodiumque, atque Lovanium, Duacum, & Turnacum, in Atrebates descendit, ubi conventus totius Galliæ, & Angliæ Cardinalis morabatur. Dux Burgundorum Philippus per id temporis adversus Regem Franciæ, qui patrem ejus occiderat, Anglicorum parti favebat: Cardinalis primum pacem universalem componere studuit: id ubi successit, Philippum, qui Regi Angliæ, tanquam regnum Franciæ ad eum pertineret, fidem dederat, juramento absolutum Regi Franciæ reconciliavit: tum quoque de bono pacis Æneas ad Philippum epistolam versu conscripsit. Prius autem, quam Philippus ab Anglicis deficeret, Cardinalis Æneam in Scotiam misit, qui Prælatum quendam in regis gratiam reduceret.

Libro VI.

Pag. 156.

Gallicarum calamitates Basileensis & perfidia B. Nicolai labores in procuranda Gallicarum pace.

ATtrita tot calamitatibus Gallia, vasti deserti faciem, non regni præseferebat; civitates habitatoribus vacuæ, ac dirutæ jacebant, exustæ villæ, vastati ubique ostendebantur agri, nusquam paucis iter tutum, si quis latrones evasit, in feras incidit. Martinus V. Columnensi ortus familia, Romanæ præsidebat Ecclesiæ, qui tantarum Gallicæ gentis afflictionum misertus, *Nicolaum S. Crucis Cardinalem, vitæ sanctimonia, ingenii dexteritate clarum*, in Galliam misit, de concordia inter Reges acturum; sed restabant adhuc seditionum non parvæ reliquiæ, quæ pacem omnem excludere. Interea Martinus misso in Germaniam legato Juliano S. Angeli Cardinale, qui Hussitarum populis a fide Christiana deviantibus bellum indiceret, ac Basileensi Concilio propediem inchoando præsideret, naturæ satisfecit, atque in Basilica Lateranensi sepultus est: Cardinales Eugenium IV. natione Venetum ei suffecerunt, qui Martinos legatos in suis provinciis confirmavit. Cœpit deinde Concilium Basileæ, ad quod frequentes ex omni urbe Christiano Episcopi, & regum legati convenerunt, & Julianus ex Bohemia profligatus eo se contulit. Eugenius conventum dissolvere primo conatus est, quod ubi non successit, rogatu Principum confirmavit: Nicolaumque S. Crucis Cardinalem, jam rebus infectis, ex Francia reversum, qui cum Juliano simul præsideret, illuc transmisit. Exortis deinde inter Concilium, & ipsum gravissimis contentionibus, Nicolaus inde recessit, Florentiamque morantem Pontificem adiit, a quo secundo in Galliam missus est: si forsitan meliores Regum animos inveniret. Æneas cum eo profectus, ut ante diximus, inde in Scotiam penetravit. Conventus Gallorum, & Angliæ Principum apud Atrebates indictus est. Philippus Burgundiæ dux cum Conjuge, & omni curia eo se transtulit. Convenere ex Francis, Borbonii, & Alenconii Duces, ex Anglicis Cardinalis Vintoniensis, &

dinvardus Brown *Tom. II. p.* 570. Fasciculi rerum expetendarum Londini a. 1690. Postmodum recusus fuit Sylvæ-Ducis anno 1699. studio Hieronymi Sincerii Lotharingi Cabilo-Narbonensis, qui eum celeberrimo Viro Antonio Magliabechio inscripsit. Ex Typographi monito ad lectorem constat hujusmodi Dialogum Lugduni jam impressum fuisse anno 1679.

(b) Religiosum Ordinis Minorum cum dicit Poggius in Oratione §. IV. *pag.* 377.

(c) Pulcriorem hanc Poggii lacinam descripsit Eminentissimus Cardinalis Quirinus in Diatriba Præliminari ad Epistolas Francisci Barbari *pag.* ccxlii., ubi B. Nicolai virtutes, ac sanctimoniam celebri ornat encomio.

(d) Commentarium scripsit Æneas an. 1456. cum Neapoli esset Friderici Cæsaris Orator apud Alphonsum Arragonium Siciliæ utriusque regem.

CLASS. III. *Æneas Sylvius.* Utinoniæ Comet, ea Basilea Cypriorum Cardinalis advenit, Regis frater, quem propter nobilitatem proceres ad tractatum concordiæ admiserunt: *quamvis secretiora, & quæ plus ponderis habuere, ad Nicolaum solum deferebantur:* aperte jam desciverant ab Eugenio Basileensis Concilii Patres, appellationes ab eo recipientes, sacerdotia conferentes, & alia plurima facientes, quæ ad Romanum Pontificem pertinent, & Cardinalis Cyprius in Atrebato legatum de latere gerens, cuncta exercebat auctoritate Concilii, quæ Sedis Apostolicæ fieri consuevere. *Indigna res visa Cardinali Sanctæ Crucis, qui & si aliis legationis suæ facultatibus parcissime fuerat usus, tunc totas laxavit habenas, ne Concilii auctoritas dignitatem primæ sedis excluderet.* Suasit hoc Thomas Sarzanensis insignis Theologus, qui postea, ut relatum est, summi Apostolatus apicem adeptus, *ob memoriam magistri sui, Nicolaus appellari voluit, ejus nomine quiescens.* Populi, ut apertam Sedis Apostolicæ auctoritatem viderunt, relicto Cypriensi legato, omnes fere ad Nicolaum se convertere: frequentes ante hujus ædes turmæ astabant, ante illius ostium solitudo fuit. Ob quas res nihil inter se pacifice duo Cardinales loquebantur, nec jam simultatibus, sed apertis odiis dissidebant. Ridicula res, mediatore his opus erat, & pacis arbitro, qui magnos inter Reges tractaturi concordiam venerant. Productus est conventus diebus pluribus, & universalis concordia multis quæsita modis; cum pacis Angliæ nullæ conditiones oblatæ placerent, Nicolaus seorsum inter Philippum, & Carolum de concordia egit, illumque tandem suo regi conciliavit, & a jurejurando, quod Anglico præstiterat, auctoritate primæ sedis absolvit; satius esse arbitratus, ex duobus regnis alterum salvare, Francis inter se pacatis, quam perseverantibus odiis, utrumque perdere, certumque illi fuit Burgundo & Franco in gratiam redeunte, breve Anglicos ex Gallia disturbari posse, illosque tandem suo regno contentos intra Insulam quieturos, aut certe Galliam difficillime vexaturos: nec vana cogitatio, ea enim dies fuit, quæ regnum Franciæ Carolo restituit, adeoque gloriosum fecit, ut quæ sui prædecessores ante annos supra ducentos amiserant, ipse primus recuperarit, ac Gallias omnes ad pristinam prope felicitatem reduxerit: tantum illi Nicolaus Cardinalis, & Apostolica Sedes, placato Burgundo, beneficium contulit.

Idem in Epistola ad Martinum Mayer Cancellarium Archiepiscopi Moguntini.

Extat ad calcem Commentariorum Pii II. edit. Romanæ pag. 490. MIsit Eugenius, qui Concilio præsiderent una cum Juliano legato, celeberrimi patres nominis, inter quos *Nicolaus Cardinalis S. Crucis primum tenuit locum, vir non minori sanctimonia vitæ, quam rerum magnarum experientia, doctrinaque multa memorabilis &c.*

V.

FRANCISCUS PHILELPHUS. (a)

FRANCISCUS PHILELPHUS.

Libro I. Epistolarum, Epistola XLVIII. Joannis Aurispæ.

Fol. 8. edit. Venetæ, Anni 1502. DAmnas tu Aurispa consilium meum, quod nolim eam conditionem admittere, quam *humanissimus Cardinalis Bonon. Nicolaus S. Crucis vir sanctissimus* mihi proponit, scribisque futurum, ut me pœniteat mei instituti, si maluero Florentinis, quam magnanimo isti Principi Nicolao Marchioni gratificari &c. Ex Bononia Kal. Januarii MCDXXVIII.

Idem Libro II. Epistola X. Nicolao Cardinali Bononiensi.

Fol. 10. pag. 2. THomas Sarzanensis vir perhumanus, & eruditus, amplitudinis tuæ secretarius, Pater clementissime, tuo nomine literas ad me dedit, quibus quod mihi erat sole (ut ajunt) clarius, non amice minus, quam eloquenter ostendit, quanta sit tua erga me charitas; idem monuit, ut tibi significarem, quam me Florentia delectat; præterea si qua in re tua opera, opeque uti velim, scriptorio calamo ne parcam. Te enim paratum semper fore, ut mihi benefacias. Et habeo tibi, & ago immortales gratias, Pater humanissime, quod, ex qua die primum Bononiæ me vidisti, ac tuam excepisti in clientelam, te mihi patronum semper, te patrem, te beneficum præstiteris, & id quidem nullis meis de te meritis, sed sola tua mansuetudine, atque benignitate; *Imitatus tu sane eum, cujus Crucem pro signo geris, Christum Optimum Maximum*, qui ut cunctis mortalibus bene faceret, sibi ipsi non pepercit. Nunc ad ea, quæ verbis tuis mihi Thomas tuus scripsit; & de Florentia primum. Quem Florentia minus delectarit, is certe nulla bonitate floret. Est enim ejusmodi urbs Florentia, cui tamquam Pandoræ cuiquam Dii omnes, ut ad Poetas redeam, singuli bona singula dono dederint. Nihil enim huic urbi deest, quod ad humanam accedat felicitatem. Ceterum inter rosas etiam sunt spinæ, & in terra nihil est tam ex omni parte perfectum, quod non aliquid habeat, quod offendit. Equidem universæ Civitati sum charissimus, neque viri omnes boni, ac præstantissimi cives & colunt, & faciunt plurimi. Nec est mihi apud Florentinos optandum quicquam, quod sperare non liceat. Vix primarii ipsi cives in rebus etiam maximis plus habent auctoritatis, quam ipse ego. Omnes mihi gratificari student, obsequuntur omnes. Nihil a me neque mea, neque amicorum caussa frustra petitur. Ceterum quo magis valeo apud Florentinos vel auctoritate, vel gratia, eo magis mihi cavendum est, ne quid magni mali invidia mihi aliquando pariat. Sunt enim aliqui fucati literis, quos mea præsentia idcirco plurimum turbat, quod sperent, si ipse abessem, sese in majori aliquo pretio futuros. Itaque dignitati meæ clam semper insidiantur; qui etsi mihi nihil obesse possunt, metuendum est tamen. Nam ingenia Florentina acerrima sunt, & in omnem partem strenua. Quid multis? Nisi adhuc in proximum annum publico ducendi muneri essem obstrictus, operam darem omnino, ut invidiæ cederem, & in aliquem tutiorem portum ex hujusmodi fluctibus me reciperem. Nam quanquam universa me Florentina respublica & diligit plurimum, & facit maximi: ea tamen est hominum natura, ut non minus pauci, atque imbecilli nocere possint, quam universa manus potentiorum prodesse cuiquam. Miserentur sane omnes, & permoleste ferunt, si cui bono viro inferatur injuria, succurrit autem nemo; nec id de peregrinis solum usu venit, sed de ipsis etiam præstantioribus civibus. Sunt qui sicarios paraverint, per quos Nicolaum Guzanum virum primarium in republica interimerent. Detectis insidiis, non modo nullum de his supplicium sumptum est, qui sicarios instruxerunt: sed tentatum potius, ut Nicolaus ipse plecteretur, qui & vir gravissimus est, & in republica potentissimus. Nam sicarii feruntur instructi a duobus Soderinis fratribus Nicolao, ac Thoma juvenibus promptis, & audacibus, quorum pater fuerat (ut vulgo dicitur *machinatore*, & auctore ipso Nicolao,) publico judicio obtruncatus, quoniam esset insimulatus inisse se consilium, nescio quod, adversus rempublicam. Qui ergo ipse minus mihi metuendum potem, qui & juvenis sim, & peregrinus, & nullarum virium, cum videam virum tantis fretum clientelis, tantis opibus, tantis factionibus in ultimum prope periculum adductum, quoniam adversus inimicos caussam persequeretur? Nam alterius factionis Princeps dicitur Cosmus Medices, vir, ut scis, Florentinorum omnium pecuniosissimus. Eoque mihi res videtur per mutua animorum odia, irritamentaque processisse, ut nobilissima hæc civitas non admodum longe abesse possit in tantis procellis, ac fluctibus a tristi, & miserabili naufragio. Accedit ad hanc mali suspicionem, quod hi, qui livore me, atque odio insequuntur, ipsius Cosmi utuntur, veluti patrocinio. At Cosmus quanquam videtur amantissimus mei, ejusmodi tamen eorum esse animadverto, qui & simulet, & dissimulet omnia. Estque usque adeo taciturnus, ut ne ab intimis quidem familiaribus, ac domesticis queat intelligi. At Laurentius hujus frater ingenio est & aperto, & levi; cui Cosmus, etsi vir est gravissimus, tamen, ut audio, nequaquam audet adversari. Ego autem neutram pendeo in partem; æque omnibus morem gero, illudque Ciceronis studiosissime tueor: *Non oportere peregrinum in aliena republica esse curiosum*. Ceterum quoniam in navi obnoxia naufragio nemo potest tuto navigare; ergo hinc quam libentissime abfuerim. Duo in Italia loca sunt, quorum alterutrum non invitus optarem, Mediolanum, & Romana Curia, sive enim apud Pontificem Maximum, sive apud inclytum Ducem Philippum Mariam honestus mihi daretur locus, eum non modo non rejicerem, sed ceteris omnibus jucundissima præferrem, atque amplecterer. Tenes tu, Pater Reverendissime, & studia mea omnia, & consilium, & voluntatem; quantum mihi prodesse possis non sum ignarus, quantum etiam velis jampridem expertus sum. Quæ cum ita sint, clementiam tuam rogo etiam atque etiam, oroque, ut huic meo desiderio consulas. Quicquid ipse de me statueris, indubitate prosequar, operamque dabo, ut tua de me opinio te nunquam fallat. Nam neque fidei unquam deero, neque industriæ, neque diligentiæ. *Vulcas quamdiutissime integritas, sanctimonia tua, Pater clementissime*, tibique certo persuade, me ita esse in potestate tua, ut omnia de me tibi polliceri queas. Ex Florentia x. Kal. Octobris, Anno a Natali Christiano MCDXXXII.

B. Nicolaum sicariorum rerum certiorem reddit, seque sese quam plurimum commendat.

CLASS. III. *Franciscus Philelphus.*

Idem

(a) Philelphus obiit Florentiæ Anno Domini 1481. octuagesimotertio ætatis suæ anno. Vide Ephemerides Eruditorum Italiæ *Tom. xiv. pag. 347.*

CLASS. III. Franciscus Philelphus.

Idem Epistola XI. Thomæ Sarzanensi,

Pag. 21. UT tuis me humanissimis monuisti literis, scripsi *ad Reverendissimum communem Patrem Cardinalem tuum, immo meum, immo nostrum*, quæcumque honeste, tutoque scribi a me poterant. Sed tecum loquar apertius &c. Ex Florentia Kal. Octobris MCDXXXII.

Idem Libro VI. Epistola XXII. Nicolao V. Pont. Max.

Pag. 40. ET ne maximis occupationibus tuis, vel intempestivior accedam, vel importunior, jam de his satis; Nam reliqua *si sanctissimus ille spiritus Divi Nicolai Cardinalis Bononiensis, tibi quondam patris, dum erat in vivis*; nunc vero sanctimoniæ tuæ filii (cui nostima charissimum extitisse) altioribus, melioribusque intentus obsequiis ingereret memoriæ tuæ distulerit ea, quæ mea interfuerint, omnia tibi pater amplissimus Mediolanensis Cardinalis Henricus verbis meis coram exponet &c. Ex Mediolano Vigilia Resurrectionis Dominicæ, Anno a Natali Christiano MCDXLVII.

Idem Libro XXVI. Epist. 1. Leodrysio Cribello,

Pag. 185. CUm primum in Italiam reversus ex Græcia, oratoriam Bononiæ simul philosophiamque docui. Nam per id temporis erat Thomas Sarzanensis *apud sanctissimum illum virum Nicolaum Cardinalem Bononiensem*, qui nos mirum in modum diligebat; erat enim vir neque bonitatis, nec eruditionis liberalis cujusquam inops, &c. Ex Mediolano. Kalendis Augustis, Anno a Christi Natali die MDCCCCLXV.

Idem in Oratione ad Jacobum Antonium Marcellum Patritium Venetum,

Extat inter Orationes Philelphi Brixiæ editas anno 1488. n. 40. SEd hæc, horumque similia si cuiquam fortasse videantur antiquiora, exemplis item duobus tempestatis nostræ contenti simus. Gabriel Condulmerius (qui postea Eugenius nominatus, summa cum dignitate, & gloria Romano Pontificatui præfuit) cum vehementius ægrotaret, essetque de ejus salute a Medicis omnibus desperatum; illi jam de morte non tam sollicito, quam nihil certius expectanti, & Petrus, & Paulus Apostoli dum apparuerunt in somnis, utque bono animo esset hortati sunt: Nam & bonam valetudinem ei redditam esse, & propediem fore, ut Summus Pontifex crearetur. Quod quidem utrumque secutum est. Nam tum simul cum somno illum reliquit febris; tum non multo post, cum Martinus Columna prudentissimus ille, & amplissimus Pontifex quam fortunatissime, & cum mirifico Ecclesiæ Romanæ incremento vitam finisset, Pontificatui ille præfectus est. At Nicolaus V. optimus ille, ac eruditissimus plane vir (in cujus munificentissimi Patris obitu docti omnes, ingeniique præstantes extremum naufragium passi sunt) cum *Nicolai Albergati, sapientis cum primis, & sancti viri, Cardinalis Bononiensis* obitum molestius ferret, hunc tandem per somnum ad se venire existimavit, & ita anxium appellare; *Thoma fili, quid diutius gemis? Quid adeo te affligis? Pone lacrymas, & te collige. Nobis enim bene est, benignitate Jesu. Itaque surge, atque accingere. At brevi enim tempus grave tibi subeundum est munus Petri gubernandæ naviculæ.* Quam quidem somni visionem haud ille dissimulantius præ se tulit. Nam cum aliis nonnullis familiaribus, tum etiam mihi (cum hac iter faceret Germaniam petens ab Eugenio Legatus), cum inter loquendum in sermonem incidissemus *de mansuetudine, & gravitate Nicolai Cardinalis*, id omne somnium coram, veluti jocabundus, retulit. Subdidit enim, cum hoc evenerit, Philelphe mi, fructum recipies veteris nostræ consuetudinis. Cumque intra Alpes eodem itinere obviam habuisset Æneam Silvium integerrimum, & eloquentissimum Episcopum Tergestinum (qui a Friderico Austrio Romanorum Rege Orator veniebat ad Philippum Mariam inclitum Mediolanensium Ducem), simulque uterque vesperi divertisset in quamdam cauponulam, & Æneas parcius sumptos faceret (utpote qui ab eo Rege legaretur, qui flore eruditus, instructusque disciplina, non minus parsimoniæ nummorum, quam vitæ frugalitati continenter studet; tum ad Æneam conversus Thomas: *Reverendissime Pater*, inquit, *quid est opus tanta utamur parsimonia, cum uterque in Ecclesia Romana Pontifices Maximi futuri sumus.* Quam quidem rem non serio minus, quam joco eum prædixisse, certus ostendit eventus. Videmus enim alterum summa sua cum laude Summum Pontificem concessisse naturæ; At Æneam (cui nunc Pio II. nomen est) non secus fortiter, quam constanter Pontificatum gerere.

VI.

LEONARDUS ARRETINUS.

LEONARDUS ARRETINUS.

(a) In Epistola ad B. Nicolaum.

Epist. tom. II. p. 45. DE Stephano autem Arretino necessario meo, quam dignata est R. P. tua ob literas meas inter domesticos recipere, summas ago gratias, & certe ni talem novissem illum, *qualem mundicies integritasque (b) domus tuæ flagitabat*, nunquam de eo verbum facere ausus essem. Illi profecto fat erit *apud tantum Dominum inter bona probatissimæ disciplinæ exempla educari*; quem etsi non expediat, tamen ipsum R. P. tuæ totis affectibus recommendo. Florentiæ. Idibus Aprilis MCCCCXXIX.

VII.

JANNOTIUS MANETTUS (c)

JANNOTIUS MANETTUS.

In Vita Nicolai PP. V.

Script. Rer. Ital. Tom. III. Part. pag. 911. DUm igitur celebris quædam excellentium virtutum suarum fama, non solum per totam Italiam, sed etiam quasi per universum terrarum Orbem hinc inde ferebatur, factum est, ut commemoratus *Nicolaus tunc Bononiensis Episcopus ob probitatem morum, ac sanctimoniam vitæ, multarumque rerum cognitionem* ab Eugenio IV. Summo Pontifice ad ingentem illam Presbyterii Romanæ Ecclesiæ dignitatem, quæ novo, ac inusitato nomine *Cardinalatus* nuncupatur, non immerito promoveretur, ac *Cardinalis Tit. Sanctæ Crucis* crearetur &c. Non multo post inter Francorum, Anglorumque Reges, & inclytum Burgundiæ Ducem vehemens quoddam, acre, & periculosum, & ut ita dixerim, pestilens, & internecinum bellum, per plures annos magna cum Gallicarum, tum Britannicarum gentium strage jam pridem viguisset, atque si diutius prioribus conditionibus obduravisset, ingentem quamdam utriusque Regni ruinam portendere, ac machinari videretur; Eugenius hujus componendæ pacis cupidus, ut tale bellum vel omnino subverteret, vel saltem per inducias, aliaque vafrorum hominum machinamenta, aliqua ex parte mitius redderetur, *prædictum Cardinalem virum sua pte natura prudentissimum, & multa rerum agendarum peritia sapientissimum, ac probitate morum, & sanctimonia vitæ, ac doctrina excellentia celeberrimum*, ad sedandum quoquomodo hujusmodi bellicos tumultus, e Roma usque in Galliam, & Britanniam, ac Burgundiam a Latere, ut dicitur, Legatum misit &c.

B. Nicolai virtutes laudat. Gallicam ipsius legationem describit.

Proinde quum a Florentia abiret, Senas se contulit, atque dum aliquandiu ibi cum tota Curia commoraretur, factum est, ut prædictus *Nicolaus S. Crucis Cardinalis* illic graviter ægrotaret, ac paucis postquam ægrotare cœpit diebus, stranguria, & calculi morbo vehementer oppressus, *in præcipua quidem, ac singulari Dei, & hominum gratia interiit &c.* *pag. 915. l. D.*

VIII.

(a) Hanc Epistolæ laciniam ex nupera v. cl. Laurentii Mehus editione descripsimus, quæ Florentiæ prodiit A. C. 1741. Temporis notam in edit. omissam adjecimus ex Cod. Vaticano 3937. Chartaceo optimæ notæ. Quinam fuerit *Stephanus* iste Arretinus, quem Leonardus *necessarium suum* appellat, quemque in familiam B. Cardinalis conferri voluit, ingenue fateor, me omnino nescire. Mihi tamen cl. Editorem in indice II. *qui exhibet Res, & Clarissimorum virorum nomina, quorum in epistolis Leonardi mentio fit* Stephanum hunc inter *domesticos* Cardinalis Columnæ receptum credidisse; cum nullus ea tempestate ex nobilissima Columnensium stirpe Cardinalis extiterit, qui Titulo sanctæ Crucis in Hierusalem insignitus fuerit. Prosperum siquidem, cum esset admodum adolescens, Martinus Papa V. Cardinalem designavit in quarta Cardinalium creatione, quæ contigit die 24. Maji anni 1426., & quadriennio post amplissimi ordinis insignibus decoravit, nempe die 8. Novembris anni 1430., qua, cum Diaconus renunciatus fuisset, Diaconiam S. Georgii in Velabro, non vero Titulum S. Crucis in Hierusalem obtinuit. Quapropter cum hæc scriberet Leonardus anno 1429. Prosper Columna nondum Cardinalitia insignia adeptus fuerat; sed, ut ajunt, *reservatus erat in pectore*. Vide Contelorium in vita Martini Papæ V. pag. 59. & Ciacconium Tom. II. pag. 863.

(b) Hinc mirifice confirmantur, quæ de familia B. Nicolai scripserunt Zenos §. XXI. & Poggius in Oratione §. XXI. Leonardus vita functus est ineunte vere anni 1444. ut notat Cl. Mehus in illius vita, quam novæ epistolarum editioni præmisit, pag. XIV.

(c) Jannotius Manettus supremum diem obiit Neapoli A. D. 1459., ut testator cl. v. Lodovicus Antonius Muratorius in Præfatione in Historiam Pistoriensem ab illo conscriptam, quæ habetur *Tomo XIX. Scriptor. Rer. Ital. pag.* 987. Hanc vero scripsit paulo post Nicolai PP. V. mortem, ut idem Muratorius affirmat *Tom. III. Parte 2. pag.* 195.

CLASS. III. Franciscus Barbarus.

VIII.

FRANCISCUS BARBARUS

In Epistola ad Nicolaum Cardinalem S. Crucis (b)

Epistola 6. pag. 10. POstquam nuncium accepi, te, Reverendissime Pater, salvum in urbem (c) venisse, & Ecclesiæ, & Celsitudini tuæ congratulatus sum. Nam cum pestilentia late serperet, & mecum sæpe cogitarem, cum quanto incommodo Reipublicæ Christianæ mori posses, pro mea pietate, & fide tenere me non potui, quin cura, sollicitudine, ac metu laborarem. *In tua enim vita multorum salus, ac magna bonorum omnium spes, & consolatio posita, & collocata videbatur.* Quapropter cum Deo duce te in portum ex tempestate receperis, propter salutem suam, quæ cum communi utilitate, ac dignitate maxima conjuncta est, & lætor, & gaudeo, & cum Ecclesia Sublimitati tuæ, & cum Sublimitate tua Ecclesiæ congratulor, quæ, te clavum tenente, bonis omnibus secundum cursum, & tranquillitatem pollicetur. Vale MCDXXXV.

Idem in Epistola ad Nicolaum V. Pontificem Maximum.

Epist. 85. pag. 150. ACcedebat etiam ad gratiam, quia cum familiarissime vixisses tamdiu cum *Divino homine Nicolao Cardinali S. Crucis*, & ita vixisses, ut anima tua cum anima illius una anima esse quodammodo videretur, tibi nihil arduum erit; sed omnia de te magna nobis expectanda sunt, quæ ab illo præstanda fuissent, si ad hunc summum honoris gradum, sicut meruit, pervenisset. (d)

Idem in Epistola ad Ludovicum Cardinalem Aquilejensem.

Pag. 300. EXterna, & nimis antiqua repeto, *Nicolaus Bononiensis Card. S. Crucis*, qui omnium consensu, & optimi cujusque judicio *dignissimus fuit Summo Pontificatu* quotiens in Germaniam, quotiens ad alia regna, & sanus, & debilis advolavit, ut verbis, non armis inter Principes Christianos disceptaretur? Cujus tanta fuit & virtus, & auctoritas, ut fere nemo recusaret accipere leges, & conditiones pacis, quas ipse voluisset dare &c. Ex Vigiliano VI. Kal. Nov. 1451.

IX.

FLAVIUS BLONDUS (e) FOROLIVIENSIS

FLAVIUS BLONDUS FOROLIVIENSIS.

Italia Illustrata Regione VI.

Pag. 353. edit. Frobeniana anni 1559. HAbuit autem paulo supra ætatem nostram Bononia Joannem Andreæ Calderinum Jure consultorum ætatis suæ celeberrimum. Gaudemusque ætatem nostram tulisse Nicolaum Albergatum, qui primo Carthusiæ monachus, post Bononiæ Episcopus, demum Romanæ Ecclesiæ Cardinalis: *Vir fuit cum celebris sanctimoniæ, tum etiam sapientiæ singularis &c.*

Idem Historiarum ab inclinatione Romanorum Decads III. Lib. III.

Pag. 440. litt. A. DEcem eodem mense (idest Majo) Pontifex ipse creavit Cardinales, quorum duos ex Bononia tunc accepit, petentem, afflagitantemque unum Arelatensem illum Bononiæ gubernatorem, *alterum castissime voluntatem Nicolaum Albergatum Bononiensem & civem, & Episcopum, maximæ virum sanctimoniæ, cui Ecclesia rarissimos ætate nostra habuerit Prælatos adsimiles &c.*

B. Nicolaus Cardinalis eligitur.

Idem Dec. III. Lib. III.

CLASS. III. Flavius Blondus Foroliviensis.

Pag. 446. l. D. B. Nicolaus pacem Italicam componit. TUnc in eam quærendam pacem pronus Pontifex Martinus Cardinalem S. Crucis ei deputat muneri, cujus vocatu, suasionibusque coactis apud Ferrariam partis utriusque Oratoribus, variam constituit non partibus ipsis bello contendentibus modo, sed sociis inter se populis mentem esse &c.

Per eos sex menses, quibus eæ paci constituendæ contentiones sunt protractæ, etsi multa fieri prohibuit hyems forte anteactis asperior, multa in Cremonensi, plurima in Brixiano agris oppida cepit Carmagnola, *obtinuit tamen constans Cardinalis, pertinaxque instantia, ut quas denegantibus æque, ac petentibus declarasset partibus, conditiones pacis ex arbitrio in hanc* formulam promulgaret. Retinerent Veneti Brixiam &c.

Pag. 446. litt. F. Pace, ut continebat formula, avidis ubique populis data, quiescebat Italia, quod multis anteactis sæculis raro contigisse constabat. Relicta est tamen, præter Cardinalis intentionem, renovandi belli ansa & occasio futura, finium agri Cremonensis, Castellosum, quæ Venetis adjudicata sunt, contentio &c.

Pag. 449. litt. A. Erat forte tunc Bononiæ *summus vir, & egregius Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Nicolaus Albergatus Tit. S. Crucis*, qui pace, ut ostendimus, apud Ferrariam constituta, ibi restiterat rebus suæ Ecclesiæ consulturus. Is quum Bononiensis esset civis, rem a multis compertam, quæ prope vulgata erat, Legatum edocet, oratque, ut cautus palatio se contineat, nec quemquam admittat inexploratum &c.

Bononiensis seditio. B. Nicolaus laborat ad eam sedandam qua tandem Urbe excedit. Rogatus ad pompam Cardinalis S. Crucis nedum accessit, sed Legati partes suppleturus, Maltraversios, Bentivoliosque omnes accessu prohibuit &c.

litt. B. Convenerant eo armati Bentivoliorum, Maltraversiorumque factionis plurimi cives a Cardinali S. Crucis subsidio missi, quos cum Legatus dimittere noluisset, conjurati perfractis palatii postibus ingredi conabantur.

Rebus eo loci adductis, omnia agri oppida, castris, Petrio, Bolognesio, Plebejo, & Centio exceptis, sese sponte populo dediderunt. Refert interea Cardinalis S. Crucis effrenos, debacchantesque libidine Bononiensis, Plebei, & Centii, quæ castella ipse pro Episcopio tenerat præsidio, potiondi aviditate, manus in eum violentas injicere constituisse. *Quamobrem monachi vestitu suo dissimuli indutus, falsis portarum custodibus, Mutinam sine comite emigravit.* Litt. B. Litt. C.

X.

PETRUS (a) DE MONTE.

PETRUS DE MONTE.

In Præfatione ad Libellum S. Epiphanii de Religione Christiana a se Latine redditum.

Ex Cod. Vaticano num. 1494. fol. 40. SI quos tamen habet hæc ætas sanctos, atque religiosos viros, qui in lege Domini meditentur, quibus ea dulcior sit super mel, & favum: *Te profecto, colendissime Pater, illorum et principi, illorum caput, ac speculum. Quisquis enim tuam a puero in hanc usque ætatem summis virtutibus, magnaque sanctimonia decoratam vitam animadvertit, Te non injuria priscis illis sanctis viris annumerabit.* Ex Te siquidem exemplum sumere possunt, ex Te discere omnes, quid sibi, si Deo grati esse cupiunt, agendum sit, quoniam inter Christianæ fidei, & sacræ religionis professores principatum tenes: fitque ut propterea ad Te, tanquam ad signum quoddam, animum erigere debeant, qui se religiosos & dici, & haberi volunt. *Ego vero hanc sanctam, atque integerrimam vitam tuam, moresque religiosissimos frequenter admiror, & laudo, atque in eorum consideratione mirum in modum delector:* Quo fit, ut Te colere, & observare præcipua quadam veneratione compellar. Atque utinam ea in me esset facultas, qua singularem hanc in Te observantiam meam, non Tibi solum, sed & ce-

B. Nicolaus verfimento suam inscribit, quod virtutibus, ac sanctimonia laudat.

(b) Barbari Epistolas anno MDCCXLIII. Brixiæ vulgavit Eminentissimus Cardinalis Quirinus, qui in Diatriba præliminari pag. CCXIV. Ferrariensem Barbari Legationem describit, qua an. 1428. coram B. Nicolao Martini V. Pontificis Legato pacem Venetorum nomine sancivit cum Philippo Maria Vicecomite Mediolani Duce, de qua extat Epistola Martini V. pag. 351.; ejusque etiam meminimus in notis ad vitam B. Nicolai scriptam a Jacobo Zeno pag. 330.

(c) *Salvum in urbem venisse.* Urbis nomine Barbarum, non *Romam*, sed *Romanam Curiam* designasse opinor; etenim cum hæc epistola data sit anno 1435. B. Nicolaus neque hoc, neque tribus superioribus annis Romam unquam venit. Siquidem an. 1431. die 29. Aprilis Eugenius Pontifex eum Pisciaræ morantem in Gallias legatum misit ad pacem inter Reges procurandam; ibique triennium peregisse dicit Zenus pag. 335. Postmodum ipsum apud Gallos degentem Basileam ad Synodum pergere jussit Eugenius anno 1433. die 15. Decembris. Basileæ integro fere anno Nicolaum mansisse testatur idem Zenus p. 336. Sub finem anni sequentis, in Italiam venit Basileensis Concilii legatus; inde Florentiam ad Pontificem perrexit initio anni 1435., ut colligitur ex Anonymo Florentino, & ex illius epistola ad Synodum Basileensem, quam laudavimus in notis ad Zenum. Mense Aprilis hujus anni B. Nicolaus ad conventum Atrebatensem ab Eugenio legatur, e quo Florentiam ad Pontificem rediit die 9. Decembris, teste eodem Anonymo Florentino: nec ab illius latere unquam discessit, donec Ferrariam Concilii legatus petiit.

(d) Data est hæc Epistola ex Vigiliano VI. Kal. Novembris 1451.

(e) Flavius Blondus obiit Romæ A. D. 1463. pridie nonas Junii, ut patet ex illius Epitaphio, quod extat in Ecclesia S. Mariæ de Ara cœli, illudque nuper vulgavit diligentissimus vir Fr. Casimirus Romanus in Memoriis Historicis ejusdem Ecclesiæ pag. 265. num. 2.

(a) Petrus de Monte Episcopus Brixiensis supremum diem obiit Romæ A. D. 1457. die 12. Januarii, sepultus fuit in Basilica Liberiana. Ejus vitam, & res gestas accuratissime recensuit Eminentiss. Card. Quirinus in Epistola III. ad SS. D. N. BENEDICTUM XIV. pag. 16.

CLASS. III. Petrus de Monte.

& ceteris possem ostendere. Facerem profecto, ut omnes intelligerent, huic sanctimoniæ tuæ, vitæque religiosissimo actæ me totum deditissimum esse. Verum quia quod affectus cupit, id vires nequeunt adimplere, sat erit humanitati tuæ, ceterisque, qui de nobis judicabunt, si vel hoc parvo munusculo meam in Te reverentiam, ac devotionem intelligant, & quod & Sanctitati tuæ, & meis studiis convenire existimo. Cum enim superioribus mensibus Græcis literis operam avidissime dare cœpissem, utpote quæ ad nostras faciliorem, atque clariorem aditum præstant, optaremque, exercendi studio, aliquid in latinum convertere; oblatus est nobis Epiphanius, qui de nostræ religionis dignitate scribens, Eucharistiæ admirabile, atque saluberrimum sacramentum quam maxime prædicat, laudat, & extollit: demum miraculi cujusdam historiam narrat. Opusculum autem hoc cum vertere instituissem, *cui potissimum inscribere debui, nisi Tibi, hoc est Christianissimo, & religiosissimo Patri. Qua in re sanctam illam humanitatem tuam supplex ore*, ac deprecor, ut non tam verborum elegantiam, quæ nulla est, quam scribentis auctoritatem, & rei, de qua agitur, dignitatem pro tua sapientia animadvertas. Has autem primitias studiorum meorum, quas Tibi pro mea in Te observantia dedicavi, si tuo gravissimo judicio probare dignatus fueris; magnum profecto currenti equo calcar adjicies, neque libellum ipsum aliis quoque communem facere erubescam; nam a nemine id reprehendi posse arbitrabor, quod abs te probatum esse cognovero. Jam Epiphanium audias quæso; Gaudebis enim scio, legensque lætabere.

XI.

BORNIUS DE SALA.

BORNIUS DE SALA (a) PATRITIUS BONONIENSIS

In Libro MS. de Patientia.

Ex Cod. Palatino num. 4989. fol. 10.

TAnta etenim scelera, tam inexcogitata, tam incredibilia perpetrata sunt, ut lugeat æther, & hæc civitas est vastata eo die luctuosissimo, quo clarissima Orbis lumina, duo illa fidei nostræ amplissima fundamenta Reverendissimi Patres, & DD. Cardinales S. Cæciliæ, & S. Crucis a truculentissimis hominibus pulsi sunt.... *Quis tam facundus, ut sanctitatem devotissimique Pastoris nostri Cardinalis S. Crucis a vobis despectam, ac ludibrio habitam conqueratur?* Vidit ne unquam sol hoc scelere indignius? Heu proh dolor! Bononia, tu speculum fueras amœnitatis, & pacis, nunc sine intermissione luges, æternumque lugebis.

Fol. 41.

Verum est, quod Sosias ille Terentianus ait: Namque hoc tempore *obsequium amicos, veritas odium parit*. Itaque diu sepultas hasce lacrymas tenui, quas incredibili cum dolore profundi: cum propter multa inaudita facinora, tum vel maxime, quod teterrimæ pestes hominum, tanto cum dedecore, ac sempiterna labe civitatis *illud celebre sanctitatis habitaculum Reverendissimi S. Crucis in Hierusalem Presbyteri Cardinalis* quotidie verbis polluunt, ac prosternunt.

XII.

MATTHÆUS DE GRIFONIBUS.

MATTHÆUS (b) DE GRIFONIBUS

In Memoriali Historico Rerum Bononiensium.

Tom. 18. Script. Rer. Ital. fol. 229. l. A.

ANno Domini MCDXVII. die Dominica xv. Julii Reverendus Pater Dominus Frater *Nicolaus de Albergatis* de Bononia, de Ordine Fratrum de Certoxa, fuit consecratus, & factus Episcopus Bononiæ, *qui est bonæ sanctæ vitæ*, & de quo totus populus Bononiensis fuit valde contentus.

Col. 230. l. A.

MCDXXII. die xxv. Aprilis Dominus *Nicolaus Episcopus Bononiæ* ivit pro Ambaxiatore Domini Papæ ad Regem Franciæ, & Regem Angliæ.

Ibid. l. D.

MCDXXIII. die viii. dicti mensis (*nempe Junii*) reversus fuit Dominus *Nicolaus Episcopus Bononiæ* de Ambaxaria, ubi steterat xvi. mensibus, vel circa.

Col. 232. l. C.

MCDXXIV. die xxvii. dicti mensis Maii venerunt hic nova, quod Dominus noster Papa Martinus fecerat decem Cardinales, videlicet dictum Dominum nostrum Dominum Ludovicum Legatum; & novem alios, quorum nomina sunt hæc &c. *Dominus Nicolaus de Albergatis de Bononia noster Episcopus dignissimus Bononiensis.*

XIII.

CLASS. III. Historia Miscellanea Bononiensis. [?]

HISTORIA MISCELLANEA BONONIENSIS

Ex auctoribus synchronis conflata.

Tom. XVIII. Script. Rer. Ital. p. 608. l. B.

ANno MCDXVII. a dì 4. di Gennajo Messer Giovanni Vescovo di Bologna morì, e in quel dì fu creato in Bologna un Vescovo nomato Fra *Nicolò* di Pierniccola *degli Albergati* da Bologna, ch'era Priore de' Frati della Certosa. *E fu gran fatica, ch'egli lo volesse accettare, perocchè si convenne mandare un' Ambasceria fino a Vienna al suo Generale, che mandasse a dirgli, ch'egli dovesse accettare.* Onde glielo mandò a dire. E a dì 4. del mese di Luglio, andò al Vescovado, e ne tolse la tenuta. *Esso Vescovo non mangiava carne. Tutta l'entrata del Vescovato dava per Dio, e non dormiva in letto, e fece fare molti lavorieri in Vescovato.* Ancora fece, che i Giudei portavano nel petto un segno giallo. Maritava di molte Donzelle. Fece, che i Giudei prestavano a denari quattro per lira, dove prima prestavano a denari sei. Fece, che non tenevano aperto il Banco le Feste comandate, dove prima tenevano aperto il dì di Pasqua e ogni Festa.

Pag. 620. l. E.

Anno MCDXX. a dì 6. di Marzo i Signori di Bologna mandarono un' Ambasceria al Papa, e furono il *Vescovo di Bologna*, Messer Pietro Aristotile, e Pietro di Rigo Felesini. I quali andati al Papa pregaronlo, che dovesse osservar quello, che promesso aveva a i Bolognesi. Il Papa rispose, che al tutto voleva Bologna &c.

Pag. 625. l. C.

MCDXXVI. Il capello del Campanile del Vescovato di San Pietro si fece di pietra, coperto di piombo, con quel fiorone indorato, che costò a indorarlo quaranta Ducati. Fecelo fare il Vescovo di Bologna a spese della fabrica di S. Pietro. Prima esso cappello era di legname coperto di piombo.

Pag. 626. l. C.

In questo anno Papa Martino V. mandò a dire al Vescovo di Bologna, che andasse da lui a Roma. Il qual Vescovo aveva nome *Frate Nicolò* di Pierniccola degli *Albergati* cittadino di Bologna, che in prima era Frate della Certosa, *e fu una divota creatura*. Quando fu a Roma, il Papa voleva farlo Cardinale, e *il detto Vescovo non voleva accettare il Cappello, tanto che il Papa gli comandò sotto pena di scomunica, che dovesse accettarlo, e allora lo accettò*, a dì 3. di Giugno in Lunedì mattina, e chiamossi Monsignore di S. Croce di Gierusalemme. Poi venne a Bologna a dì 17. di Settembre. Fecesi festa tutto quel dì in Bologna, e andogli incontra il Legato di fuori tre miglia, e il Chereso, e tutte le Compagnie delle Arti, e sonarono tutte le campane di Bologna. Poi andò a Venezia a dì 20. del detto mese, per mettere accordo tra i Veneziani, e il Duca di Milano, i Fiorentini, e il Signor di Mantova, e il Marchese di Ferrara.

Pag. 899. l. A. D.

MCDXXVIII. a dì primo di Agosto la notte a ore otto si levò in Bologna un rumore da questi cittadini &c. Essendo giorno, la mattina Monsignore di S. Croce, ch'era Vescovo di Bologna, intromettendosi per fare accordo, ed entrando in Palazzo, e uscendo fuori, la parte di que' da Canedolo entrò in Palazzo, gridando: *Viva il Popolo, e le Arti;* e presero il Cardinale, e rubarono tutto il Palazzo.

Pag. 898. l. B.

Fatto questo, tutte le fortezze del Contado di Bologna si renderono, salvo Castello S. Pietro, e Castello Bolognese, Cento, e la Pieve, che queste due stavano a posta *di Monsignore di S. Croce*, perchè erano sotto il suo Vescovato.

Pag. 630. l. A.

MCDXXX. a dì 23. di Dicembre dicesi, che *il Cardinale di S. Croce*, e il Cardinale di S. Pietro in Vincola debbano venir presto da Roma qui in Bologna, con commessione di fare questa nostra pace, che Iddio lo voglia.

— l. C.

MCDXXXI. a dì 30. di Gennajo *Monsignore Cardinale di S. Croce* debbe essere cavalcato a Ferrara, per dar principio col Marchese alla pratica dello accordo tra il Papa e Bologna. Dicesi, che il Papa l'ha mandato di qua con pienissima commessione.

Pag. 630. l. C.

A dì 4. di Febbrajo venne certa novella a Bologna, che *Monsignor Cardinale di S. Croce* arrivò a Ferrara a dì ultimo di Gennajo, e ivi ebbe qualche ragionamento col Marchese circa i fatti di Bologna. Che a dì 3. del suddetto Febbrajo esso Cardinale si era partito da Ferrara, e andato a Venezia, per praticare la pace tra la Lega, e il Duca, i quali hanno rotto, e credesi, che sarà una cruda guerra.

A dì

(a) Bornius de Sala Patritius Bononiensis vir fuit sua tempestate doctissimus: eum sæpe laudant Ambrosius Camaldulensis, Franciscus Philelphus, Poggius Florentinus, Jacobus Piccolomineus Cardinalis Papiensis, aliique. Extant quoque in Tabulario Vaticano quamplures Summorum Pontificum Epistolæ illi inscriptæ, quas in amplissimam Rerum Bononiensium collectionem congessimus, quam jussu, & auspiciis SS. D. N. optimarum litterarum Parentis optimi maximi, conquisitis undique monumentis improbo septem annorum labore jam paravimus, quæque pluribus voluminibus distincta extat nunc in Bibliotheca illius domestica. Bornius opusculum suum inscripsit Cathalano Fratri, qui tunc Romæ erat, illudque absolvit A. D. 1418. eo nimirum tempore, quo magna seditione Bononiæ facta, Ludovicus Tit. S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis Alemandus Archiepiscopus Arelatensis, Bononiæ Legatus, & B. Nicolaus a nefariis civibus urbe pulsi fuerunt.

(b) Matthæus de Griffonibus obiit A. D. 1426. die 3. mensis Julii, ut testatur cl. Muratorius in præfatione *pag.* 103.

CLASS. III. Historia Miscellanea Bononiensis. — *I. E.* A dì 7. di Febbrajo Messere Antonio de' Manfredi venne a Bologna per parte del Marchese di Ferrara, ed espose, come *Monsignor Cardinale di Santa Croce* era stato a Ferrara con commessione pienissima del Papa, che volendo i Bolognesi dare al Papa il dominio libero di Bologna, egli potesse obbligare, e promettare per parte del Papa al nostro Comune, e a cadauno particolare cittadino alto e basso, quanto gli piacesse. Onde il Marchese ho mandato per sentire la nostra volontà per parte del detto Cardinale, il quale è andato a Venezia per praticare che la Lega non rompa contra il Duca di Milano; e poi dee andare in Francia a praticare la concordia tra il Re di Francia, e il Duca di Borgogna; nè tornerà più a Ferrara, se il Marchese non gli manda a dire, volere noi attendere alla detta pratica di accordo col Papa.

Pag. 621. l. E. A dì 10. di Marzo. Venne nuovo, che *Monsignor Cardinale di S. Croce* è in Lombardia, e si ha speranza di conchiudere la pace tra la Lega, che l'Imperadore ha fatto col Duca di Savoja, e con quello di Milano.

Pag. 614. l. A. MCDXXXIV. del mese di Dicembre il *Cardinale di S. Croce*, o di S. Pietro in Vincola dicesi, che trattano in Firenze la pace tra il Papa, e il Duca di Milano, ovvero la Lega.

Pag. 661. l. A. MCDXLIII. a dì 9. di Maggio a ore 24. *Monsignore di S. Croce Cardinale, e Vescovo di Bologna*, e cittadino di Bologna, morì in Siena, dove era la corte del Papa. *Ne* vennero le novelle a dì 11. Fu sepellito alla Certosa a Firenze. Fecesi a Bologna un bello esequio per tre dì in S. Pietro. Vi andarono i Signori, e tutte le Compagnie, e tutta la Chieresia, e si tennero serrate le botteghe il primo dì, e gli altri due dì fino a terza. Dappoi che egli fu morto, il Papa il fece aprire, e fecegli cavare la pietra dal collo della vesica, perchè di male di pietra era morto, *e il Papa tenne quella pietra per lui perchè avea in lui una gran divozione per la sua santità*. Il detto Papa gli volle dire l' offizio sopra il corpo in persona, e andollo a visitare nella sua infermità.

XIV.

HIERONYMUS DE BURSELLIS.

FR. HIERONIMUS (*a*) DE BURSELLIS

Ordinis Prædicatorum.

In Annalibus Bononiensibus.

Tom. 23. Script. Rer. Ital. pag. 869. l. F. pag. 870. & C. ANno Domini MCDXXI. Dominus *Nicolaus Episcopus Bononiensis* ad Regem Galliæ a Pontifice Martino missus est.

Anno Domini MCDXXVI. *Dominus Nicolaus de Albergatis Carthusiensis, & Episcopus Bononiensis per Martinum V. ipsa veniente, quin sanctus erat, Cardinalis Tit. S. Crucis effectus est*. Accepto pileo, ad componendam pacem inter Venetos, & Ducem Mediolani, Venetias a Pontifice missus est. Ad ingressum ipsius de Roma Bononiam magnum festum celebratum est.

Pag. 871. l. A. MCDXXVIII. *Cardinalis* vero *S. Crucis* huic tumoltui se opposuit, sed parum, aut nihil fecit.

Pag. 880. l. D. MCDXLIII. *Dominus Nicolaus de Albergatis* Episcopus Bononiensis, & Cardinalis S. Crucis Senis vita functus est. Sepultus est in monasterio Carthosiensium ad secundum miliare juxta Florentiam. *Hic fuit per omne tempus sanctissimæ vitæ. Pontifex maximus lapidem in vesica sancti viri generatum, & propter quem mortuus est, habere voluit in devotione*. Statuit, ut per singulos dies eleemosyna in Episcopatu daretur: quod per aliqua tempora servatum est, deinde imminutum, ut tantum die Lunæ, & Jovis daretur. *Universa curia eum sanctum judicabat, & vere sic erat.*

XV.

NICOLAUS BURTIUS.

NICOLAUS (*b*) BURTIUS

In Bononia illustrata.

BOnonia etiam adornata fuit Lucio II. Pontifice Romano Alberti filio, cive Bononiense ex Cazanimicis amplissimo, & Honorio II. Pont. Romano in oppido Flagenæ nato, canonum, legumque conditoribus. Hinc duobus Cardinalibus uno ex antiqua Insolanorum familia, & altero, scilicet *Nicolao ex genti Albergata*, qui primo Carthusiæ Monachus, post Bononiæ, Episcopos demum Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Reverendissimus. *Vir iste fuit quidem celebris sanctimoniæ, & sapientiæ singularis*. Ex hac enim familia multi etiam Ecclesiastici Viri dignitate, facundia, & consilio adornati emanarunt. CLASS. III. Nicolaus Burtius.

XVI.

BARTHOLOMÆUS PLATINA.

BARTHOLOMÆUS (*c*) SACCUS, VULGO PLATINA

In vita Nicolai PP. V.

SUnt autem qui scribant, Thomam Pisis natum, Lucæ educatum, Bononiæ litteras, & bonas artes didicisse, maxime vero philosophiam, & theologiam, adjutum beneficentia *sanctissimi viri Nicolai Albergati Cardinalis S. Crucis*, adolescentis ingenio delectati. Hanc ob rem in Pontificatu nomina da se bene meriti nomen sumpsit. Cum vero Magistri nomen in gymnasio consecutus esset, acerrimis disputationibus probatus, Cardinalem S. Crucis secutus, familiæ tanti viri œconomus factus in numero Scriptorum Pœnitentiariæ primo refertur, deinceps Subdiaconatum Pontificium adeptus, bene agendo, vitamque sine invidia, & æmulatione ducendo, majora mente concepit &c. *Pag. 197. edit. Colon. A. 1626.*

Idem in Pio II.

ÆNeas *Nicolaum S. Crucis Cardinalem secutus, patrem certe optimum, ac omnium opinione sanctissimum*: qui Atrebatum profectus Eugenii jussu, ubi conventus Gallorum Principum habebatur pacem inter Ducem Burgundiæ, qui cum Anglis sentiebat, & Regem Franciæ composuit. Redeunte in Italiam Nicolao, quem Veneti, ac Philippus Mediolani Dux auctorem componendæ pacis requirebant, Æneas non admodum Eugenio gratus, Basileam proficiscens, magno semper in honore apud omnes est habitus &c. *Pag. 304.*

Idem Hist. Mantuanæ lib. V.

MArtinus Philippi amicus ad componendam inter Philippum, ac Venetos pacem, *Cardinalem S. Crucis* mittit; qua infecta, quod iniqua Veneti, ac Florentini postulare viderentur, rursum magnis viribus bellum utrinque parari est cœptum &c. *Script. Rer. Italic. Tom. XX. pag. 808. l. C.*

At Martinus Pontifex Philippi rem in magno discrimine videns, *Cardinalem S. Crucis* secundo ad componendam inter Philippum, & Venetos pacem mittit; qui Ferrariæ subsistens, eo proficiscentibus cum mandatis Principum, ac Civitatum Legatis, ita pacem composuit, ut Brixiam Veneti, & oppida Brixianorum, Cremonensiumque, quæ antea ceperant, retinerent; præterea, ut Philippus Venetis, Bergomum, Bergomatemque agrum ex fœdere dederet, hac lege, ne socios Venetorum, Florentinorumque bello lacesseret, aut ad defectionem concitaret &c. *Pag. 809. l. D.*

XVII.

MICHAEL CANENSIS.

MICHAEL (*d*) CANENSIS

In Oratione ad Nicolaum V. Pontificem Maximum.

TUæ virtutes eximiæ non apud studiosos, doctosque homines tantum efferebantur B. P., sed apud ipsos etiam Bononiensium primores, quos inter tuum tunc Philosophiæ studium agitebatur, mirifice commendabantur: adeo quidem ut *sanctæ illæ memoriæ R. D. S. Crucis eo tum loco inhabitabat, cujus Anima, si quid veri nostra hæc Religio habet, inter Sanctos Dei agit*, te in domum suo adsciverit, te dilexerit, teque honestatis, ac pudoris velut singulare quoddam specimen admiraretur. Is cum ætas in te maturior esset, tuumque animum excellentissimum in dies magis magisque erigentem se ad majora conspexit, sui ipsius domus, familiæque universæ ductorem effecit. Ea ætas neque prudentia, neque magnanimitate, neque constantia, neque ulla virtutis parte carebat, omnibus gratus omnibus eras benevolus. Nemo te semel aspiciebat, quin idem tua devictus humanitate, & amicus, & tui observator esse cogeretur. *Ex Cod. Vat. 1007. fol. 3. a.*

XVIII.

(*a*) Hieronymus Bursellus naturæ legibus satisfecit A. D. 1497. die 25. Novembris. Vide Præfationem cl. Muratorii ad illius Annales. *pag.* 856.

(*b*) Burtius librum suum inscripsit *Illustri Principi Joanni Bentivolo Secundo, Senatus Bononiensis moderatori faustissimo*. Prodiit *Bononiæ anno* 1484. *ex officina Platonis de Benedictis, hujusce artis exactoris probatissimi*. Extat in Bibliotheca Vaticana.

(*c*) Bartholomæus Platina vita functus est Romæ A. D. 1481. Vide Niceronium in Memoriis illustrium virorum. *Tom. VIII. pag.* 170.

(*d*) Michael Canensis Viterbiensis, Episcopus Castrensis floruit temporibus Pauli Papæ II. cujus vitam, & res gestas scripsit, quas quatuor ab hinc annis Romæ vulgavit Eminentiss. Quirinus. Hanc Canensis orationem laudat doctissimus amicus meus Dominicus Georgius in vita Nicolai PP. V. *pag.* 200.

CLASS. III. Marinus Sanutus.

XVIII.

MARINUS (*a*) SANUTUS

In Vitis Ducum Venetorum,

Rer. Ital. Scrip. Tom. 22. pag. 996. l. E.

MCDXXVII. 28. Agosto si partì di Chioggia il *Reverendissimo Cardinale S. Croce Legato del Papa*, mandato di nuovo, acciocchè trattasse la pace tra il Duca di Milano, e la Lega. E per la peste, ch'era in questa Terra, la Signoria determinò, ch' egli non venisse di lungo. E il Doge andò colla Signoria, e col Collegio a Malamocco colle piatte, dove venne *il detto Cardinale*, e ivi nella Chiesa furono insieme a parlamento, e stettero per lo spazio di cinque ore parlando di questa pace. E poi il Doge tornò in questa Terra, e il *Cardinale* restò ivi. E fu chiamato il Consiglio de' Cento, e consultata la risposta, e il dì seguente il Doge tornò a Malamocco a dargli la risposta, e confortò il detto *Cardinale*, che per suo comodo, e per sicurezza dalla peste egli volesse ritornare a Ferrara, dove si manderebbono i nostri oratori per trattare la detta pace, venendo *etiam* que' del Duca di Milano.

Col. 999. l. E.

MCDXXVIII. A' 18. d' Aprile a ore cinque di notte in questo mese fu conchiusa la pace tra la Lega, e il Duca di Milano per mezzo del *Cardinale S. Croce* Legato del Papa con molti patti, e capitoli. E la Lega rimase con suo onore, e il Duca di Milano ha lasciato del palo ..... E il *Cardinale* predetto a' d. di Maggio scrisse alla Signoria, come il Duca Filippo Maria di Milano aveva ratificato, e confermato tutti i capitoli contenuti nella pace, e mandava a far consegnare Bergamo, e le fortezze del Bergomasco: Però la Signoria mandi i suoi nunzj a togliere la tenuta di quelli.

Pag. 1031. l. A.

Nel 1438. a dì 23. di Gennajo s' ebbe da Ferrara dell' Arcivescovo di Candia, essere giunto ivi il *Cardinale S. Croce* per dar principio al Concilio, da essere ivi fatto. Giunse a dì sette di questo mese. Agli otto fu cantata una Messa solenne pel detto Cardinale. A' 10. fu fatta la prima Sessione, alla quale furono tra Vescovi, e Abati mitrati in num. 40.

Pag. 1032. l. D.

A dì 13. di Febbrajo giunse *etiam* il *Cardinale S. Croce*, e in sua compagnia era il Patriarca di Grado, l' Arcivescovo di Taranto, e quel di Creta, e quello di Trivigi, con assaissimi Prelati, e assai compagnia bene in punto. Gli andò incontro fino a Santo Spirito Messer lo Doge col Marchese di Ferrara, il quale andò però avanti da sua posta, e andò il Doge colla Signoria, e altri gentiluomini colle piatte, e l' accompagnò fino a San Giorgio Maggiore, dove era alloggiato il Patriarca di Costantinopoli, e quello visitò per parte del Papa. Questa visita il detto Cardinale fece confortato dal nostro Doge, che per niun modo voleva andarvi. Ora visitato, fu accompagnato pel Doge fino al suo alloggiamento i Frati Minori. Fece ancora la visita dell' Imperadore a nome del Papa. E tornato il Doge a Palazzo, furono portati a donare al prefato Cardinale vini, confetti, cere, salvaticine, & altre cose, che gli abbisognavano. *Tamen* truovo, che il detto Cardinale andò a visitare l' Imperadore a dì 14., e ad esporgli l' ambasciata del Papa. *Etiam* v' andò poi il Marchese di Ferrara per avere dall' Imperadore certa risposta quanto gli propose. A dì 15. il Cardinale tornò a visitare il Patriarca, col quale andarono tutti i Prelati, ch' erano in questa terra, e gli disse l' ambasciata del Papa.

Pag. 1033. l. E.

A dì 19. di Gennajo. Giunse quì il Cardinale Vitelli di S. Angelo, e Patriarca d' Alessandria. Il Doge gli andò incontro colle piatte, col *Cardinale di S. Croce*, e col Marchese di Ferrara. Arrivò a S. Giorgio d' Alega a buon' ora, e stette ad aspettare la Signoria. La quale giunta, gli venne incontro. E tutti e due i Cardinali prima, poi il Doge, e il detto Marchese, montarono nelle piatte, e vennero a SS. Giovanni, e Paolo, dove gli era stato preparato l' alloggiamento, e quello ch' era di bisogno a fargli le spese. In questo giorno il *Cardinale S. Croce* col Marchese di Ferrara ebbero risposta dall' Imperadore, come egli era apparecchiato di venire a Ferrara al Concilio, e così il Patriarca, per venire a fare tanto bene.

Pag. 1050. l. B.

A dì 27. di Febbrajo a ore due avanti giorno si partì il *Cardinale S. Croce*. Va a Ferrara. Col quale andò l' Arcivescovo di Taranto. A' quali due per la Signoria furono presentati molti zuccheri, cere, e altro, *Acta & Decr. Canon.*

Pag. 1056. l. C.

Nel mese di Settambre giunse in questa Terra il *Cardinale S. Croce* che va Legato in Lamagna. Il Doge gli andò incontro colle piatte fino a S. Spirito.

Pag. 1097. l. E.

A dì 17. di Dicembre giunse qui il *Cardinale di S. Croce*, che viene dall' Imperadore. Il Doge gli andò incontro. Alloggiò a San Giorgio Maggiore.

XIX.

HISTORIA FLORENTINA

ANONYMUS Florentinus

Auctore Anonymo coaevo.

Scrip. Rer. Ital. Tom. XIX. fol. 971. l. A.

ANno Domini MCDXXVI. Del mese di Settembre ci venne el *Cardinale di Bologna*, il quale era Vescovo di Bologna, *tunc in sanctissimo anno*, Ambesciatore del Papa a' Signori, poi andò a Vinegia; fugli fetto solenne presente, e tornò in S. Maria Novella.

Fol. 974. l. C.

MCDXXX. Del mese di Gennajo. Ci venne il *Cardinale di S. Croce*, intrò in S. Maria Novella.

Fol. 978.

MCDXXXV. Eugenio IV. essendo in Firenze a dì 2. di Marzo celebrò la funzione delle Ceneri, alla quale v' intervenne anco il *Cardinale di S. Croce*, e ricevè le ceneri dalle di lui mani. A dì 3. Marzo, perchè in tal dì Eugenio fu fatto Papa, si disse una solenne Messa, e dissela il *Cardinale di S. Croce*.

Fol. 979.

A dì 7. Decembre tornò il *Cardinale di S. Croce*, che era andato Legato in Francia.

XX.

ANDREAS (*b*) BILLIUS

ANDREAS BILLIUS.

Historia Mediolanensis Lib. V.

Scrip. Rer. Ital. Tom. XIX. fol. 68.

INter hæc Martinus, sive ægre ferens tantum belli in Italia esse, sive Philippo metuens, utrosque reges, qui bello desistant, misso Ferrariam ad id *Nicolao Cardinali* Presbytero Bononiensi, in quem foederibus componatur &c.

Libro VII.

Fol. 122.

BOnoniensem *seditionem describens: hae habet*. Verum Nicolaus ipse Bononiensis, e familia *Hospitatorum*, & illius civitatis Antistes, metuens ne omnia sanguine fœdarentur, inter partes pro pace laborabat. Accepta igitur a Cannetulis fide, ceteros jussit arma ponere, quæ res omnia in exitium vertit &c. Quod ubi *Hospitatas Cardinales* agi vidit, suspicatus, quod futurum erat, venturos ad se, ut utriusque Centi claves traderet, nocte insequente mutato habitu ex Bononia Mutinam profugit.

XXI.

BENEDICTUS (*c*) ACCOLTUS ARRETINUS

BENEDICTUS ACCOLTUS.

In Dialogo de præstantia virorum sui ævi.

IPse quoque crebro audivi, & apud quosdam etiam legi, Bonaventuram Minorum Ordinis Cardinalem nedum Philosophiæ, ac Theologiæ principem, sed sanctissimæ vitæ habitum esse, nec minore integritate fuisse Bernardum Ubertum Cardinalem ex Florentia ipsa natum: plerique nunc etiam meminerunt, *qua integritate, qua religione, qua bonarum artium scientia* Jo. Dominicus Prædicatorum Ordinis, *Nicolaus Bononiensis Titulo S. Crucis*, Franciscus Zabarellus, Julianus Cæsarinus Cardinales fuerint; quibus merito addendi sunt Angelus Acciajuolus, Franciscus Bordegalensis, Alamanus Adimar, Blanda Placentinus, Antonius Cajetanus, qui omnes eodem officio functi sunt summa cum laude, & veneratione.

XXII.

PAULUS ÆMILIUS (*d*) VERONENSIS

PAULUS ÆMILIUS.

De Rebus Gestis Francorum Libro X.

Pag. 327. edit. Basileen. an. 1601.

DUobus Romanis Legatis Cardinalibus, *Viris Sanctis*, ultro citroque commeantibus, efficitur, ut ia Atrebates Anglorum ducis (Rex enim Henricus in Angliam e continenti transmiserat), Francique Regis, ac Burgundionis ducis oratores convenirent. Ibi da

T pa-

(*a*) Marinus Sanutus xvi. sæculi initio mortuus est, ut notat cl. Muratorius in Præfatione in illius historiam.

(*b*) Andreas Billius mortuus est Senis Anno D. 1435. Vide Præfationem cl. Muratorii in illius Historiam. *pag.* 5. Timuit fortasse Billius Latinas aures offendere, dum B. Viri cognomen Latina voce *Hospitatorum* scribere maluit, quam Italicam *Albergatorum* Latina civitate donare.

(*c*) Accolti Dialogum descripsit, notisque illustravit v. cl. Benedictus Bacchinius, insigne Cassinensium decus, ex Bibliotheca celeberrimi viri Antonii Magliabecchii, editque Parmæ apud hæredes Marii Vignæ anno 1692. in 8°. Testimonium hujusmodi, quod me fugit dum priorem editionem adornabam, acceptum refero Reverendissimo P. Abbati Besozzio, qui Accolti meminit in historia Ecclesiæ S. Crucis in Hierusalem, quam anno superiori in lucem emisit. Obiit Accoltus Florentiæ A. C. 1466. ut nos docet Bacchinius in illius vita pag. 37.

(*d*) Paulus Æmilius obiit Anno Domini 1529. Vide Jacobum Le-Long in Bibliotheca Historica Galliæ *pag.* 381. *num.* 7459.

CLASS. III. Paulus Aemilius.

pace agi coeptum, anno ejus saeculi trigesimo quinto &c.

XXIII.

PAULUS CORTESIUS.

PAULUS (*a*) CORTESIUS

De Cardinalatu Libro Primo.

Fol. 10. ATque etiam quis tam fuit *Nicolao Albergata*, *aut vitæ integritate procior*, aut in republica gerenda clarior, sive quis in scribendo, & disputando doctior? Ideoque non sine causa omnium consensu affirmari solet, tanti eum fuisse Europæ cunctæ existimatione factum, quanti quispiam fieri in illa præstantium Senatorum æqualitate posset. Is, & lectionis suæ libros, & eas orationes reliquisse fertur, quibus sæpe suasor, & auctor Italicæ discordiæ sedandæ fuit.

Lib. II. fol. 46. Neque enim patrum memoria, vel *Nicolao Albergato*, vel Jo. Turrecremata, vel Dominico Capranico obfuit fortuna in vivendo locupletior: quibus semper *summa data est vitæ modestæ laus*.

XXIV.

BAPTISTA FULGOSIUS.

BAPTISTA (*b*) FULGOSIUS

Factorum, dictorumque Memorabilium Lib. I. Cap. V. de Somniis.

Pag. 10. ediz. Antverp. an. 1565. HIc (nempe Thomas Sarzanensis) magno dolore affectus propter obitum *Nicolai Albergati* Cardinalis Tit. S. Crucis, quem is dominum habuerat, illius *umbram in somnis vidit; quæ cum feliciter habere se dixisset, subjunxit, postea ipsum brevi Pontificem futurum*. Quod somnium idem Thomas, cum jam ad Bononiensem Episcopatum provectus, in Germaniam a Pontifice legaretur, in itinere Mediolani Francisco Philelpho amico narravit; nec multo post sub Nicolai V. nomine Pontificatum ascendit.

XXV.

POLIDORUS VERGILIUS.

POLIDORUS (*c*) VERGILIUS

Libro XXIII. Rerum Anglicarum.

Pag. 473. ediz. Basileensi an. 1534. Galliarum calamitatem describit. Beatus Nicolaus inducias inter principes per triennium paciscitur.

DUm autem ita Angli, Francique de potentatu, de principatu, de vita denique certant, in terra Galliæ per bellorum licentiam, mortalium omnium facultates rapiuntur, thesauri sacri spoliantur, homines passim occiduntur, aut convulnerantur, cruciatu, & supplicio afficiuntur, matronæ constuprantur, virginum raptus fiunt ex complexu parentum, quotidie oppida capiuntur, quotidie diripiuntur, atque oppidanorum opes alio exportantur, ædificia, vicique incenduntur, ac nullum denique crudelitatis exemplum in miseros Francos non editur: Mitto sexcenta alia calamitatum genera, quibus pariter premebantur. Nec Anglia ejusmodi injuriarum expers erat, quæ in singulos dies suorum funera, cædes, vulnera, ac tributis assiduis opes suas diminui videbat, ita ut communia prope mala essent, ploratibusque utriusque gentis, totus Occidens sonaret, ac fama tristimoniæ plenissima in omnes Orbis partes pervaderet. Quapropter non erat, qui non miraretur, quomodo hi duo populi ad patiendum satis essent, ac maxime misereretur; & cum primis id faciebat Eugenius IV. Romanus Pontifex, qui cupidus ineundæ rationis, qua importunissimi belli finis fieret, *Nicolaum Cardinalem S. Crucis in Gallias misit* ad conciliandam pacem inter Reges. Is ubi eo pervenit, ad Carolum primum adit, eique exponit mandata Pontificis, inde eadem Bedfordiensi refert, hortatur pacem, demonstrat, declarat, argumentatur eam semper honestiorem esse, quam bellum in Christianis Principibus, qui suorum commodis servire, qui justitiam servare, qui se ratione regere, qui remittere semper aliquid de ira, de injuria deberent, quæ per bella fieri non liceret. Ista in animos Principum inducere conanti *Legato*, uterque respondit, se paratum ad omnia descendere. Cæterum cum res cœpta est agi, tantum abfuit ut honestis conditionibus essent contenti, ut etiam magis, atque magis in pertinacia permanerent. Id *Cardinalis* animadvertens, desperata pace, ut ne frustra tantum laboris subiisse diceretur, inducias in sex annos confecit, quas, ut ægre ambo Principes rogatu *Cardinalis* concesserunt, ita post ejus discessum subito fregerunt. Nam nemo ex recentioribus auctoribus tradit Francos priores illas violasse, qui passim Anglorum, Burgundionumque amicos mul-

CLASS. III. Polidorus Vergilius.

tarint. Quo factum est ut irritatis utrimque animis acrius solito ad arma itum sit. Fuit ille annus salutis humanæ 1433.

Pag. 474. Conventus Atrebatensis describitur. B. Nicolaus pacem componit inter Carolum Francorum Regem, & Philippum Ducem Burgundiæ. Anno Domini 1435.

Eugenius proinde Romanus Pontifex certior factus de ejusmodi hominum mentium motibus, quasi pro certo habens, pacem conventuram, primo quoque tempore *Nicolaum Cardinalem* rursus in Gallias misit, qui ubi eo pervenit, conventum ad Atrebatium civitatem indixit, quo convenere Henrici Regis Legati, Henricus Vintoniensis Cardinalis, Henricus Eboracensis Antistitas, Guglielmus Suffulchiæ, & Joannes Huntyngtonæ Comites ejus Legationis principes. Item Franci Legati Rhemorum Archiepiscopus, Dux Borbonensis, Arthurus Comes Richemondiæ, ac honesti equites nonnulli. Burgundio etiam suos misit Leodiensem, Cameracensem, & Atrebatensem Episcopos, cum plerisque heroibus viris equitibus. In hoc frequenti conventu post longam disputationem, *Nicolaus Cardinalis bonus spectatus in judicandis rebus, fit omnium consensu rei disceptator*: is rursus singulos sententiam rogavit, quo secundum justitiam judicaret. Petebant Angli, ut Carolus declararetur Henrici beneficiarius, contra Franci alterius factionis Caroli imperium liberum, non precarium esse volebant. *Nicolaus* his auditis, nihil de possessione tunc decernendum judicans, leges fœderis in publico proposuit, quas pro præsenti rerum statu, utrinque dandas, & accipiendas jure censebat. Has tamen uterque respuit. Atque ita negotio infecto a conventu discessum est. Ea res fecit, ut Burgundiones, & Franci cœperint mox inter se de concordia agitare, quam multis de caussis, ut supra planum fecimus, ipse Philippus Burgundio diu antea optarat. Convenit itaque pax ejusmodi conditionibus, ut Carolus Burgundioni præter nonnulla loca Burgundiæ finitima, quæ ejus majorum ditionis fuissent, Arthesio, & oppidis Ambiano, Corbia, Perona, Fano Quintini, Abbatisvilla, ac Pontivi, & Bononiæ comitatibus cederet &c.

XXVI.

HELIAS CAPREOLUS.

HELIAS (*d*) CAPREOLUS

De Rebus Brixianorum Libro IX.

Fol. 82. QUarto Idus Januarii MCDXXVII. *Nicolaus Carthusiensibus Ordinis, & S. Crucis Presbyter Cardinalis* Martini V. Pontificis Legatus Venetiis Brixiam venit, Mediolanum pro componenda inter Philippum, & Venetos pace accessurus. Quamobrem multi etiam ex Venetis in agrum nostrum profecti sunt, nonnullorum oppidorum Philippo hactenus obtemperantium possessione, juxta pacis conditiones Veneti Imperii nomine potituri. At XII. Kal. Februarii *Cardinali* Brixiam cum oliva ramulo in pacis signum revertenti, Venetias primo, deinde Romam ad Pontificem redituro, quum reverenter Clerus omnis noster una cum Præsule, omnibusque religionem quampiam profitentibus ad Mellam usque Crucibus, & vexillis obviam factus esset: *Te Deum Laudamus*, & id genus laudum psallentes omnes cecinere. Ubi autem recederet, Magistratus, & multi ex Civibus nostris, inter quos Achillem Advocatum, Tartarinum Capreolum, & Bertraminum Romanum, Jacobus Sejanus hujus rei scriptor non parcus tantum nominat, eum ex Senatus consulto, post celebratum tripudium per agri oppida una cum Oldrando Lampignano Philippense comitati sunt, ut ea proprio nomine suo habitis muniret. Verum enim vero oppidani, & milites ibi clausis januis, & pontibus elevatis, nequaquam Venetis obsequi, nec in oppidis ipsis illorum nuncios, aut amicos se suscepturos sunt testati. Quapropter *Cardinalis* una cum comitibus antedictis Brixiam e vestigio reversus est, Mediolanum iterum rediturus.

IV. Idus Januarii MCDXXVIII. Quapropter Philippus pro componenda inter se, & Venetos pace Legatos Venetias misit: cum etiam *Nicolaus S. Crucis Cardinalis* a summo Pontifice pro re Legatus accessisset, pridie nonas Maii sequentis, pax ipsa publicata fuit, quo etiam die Veneti provisoras Palatiolum, Iseum, & Clugianas, *ejus Cardinalis arbitramentalis sententia* freti munivere. Inde Bergomum &c. Itaque finitum est id bellum Philippo separatim &c.

XXVII.

(*a*) Paulus Cortesius librum suum inscripsit Julio II. Pont. Max., edidit que in castro Cortesii, anno Domini 1510.

(*b*) Scripsit hæc Fulgosius post annum 1463., eo nimirum tempore, quo patriæ principatu dejectus privatam vitam exul agebat in castro *Fregusi*. Vide Michaelem Justinianum in Scriptor. Ligur. *pag.* 134. & Ephemerides Litteratorum Italiæ tom. XXI. pag. 358. & seqq.

(*c*) Polidorus Vergilius Historiæ suæ libros inscripsit Henrico VIII. Anglorum Regi Anno D. 1533. Mense Augusto.

(*d*) Decessit Capreolus jam decrepitus anno 1510 teste Gerardo Vossio de Historicis Latinis *lib.* III. *pag.* 812. Opus hujusmodi impressum fuit Brixiæ *per Arundum de Arundis hortatu, & auspicio Clarissimi D. D. Francisci Bragadini Urbis, & agri Prætoris*, hoc anno in fol.

CLASS. III. Hieronymus Garimbertus.

XXVII.

HIERONYMUS (*a*) GARIMBERTUS

In Vitis Summorum Pontificum, & Cardinalium.

Vita di Nicolò Albergati Cardinal di S. Croce.

pag. 61. Nicolò *degli Albergati* Cittadino Bolognese, nel principio della sua gioventù, & nel mezzo de' suoi studi, principalmente di leggi, stimolato da fervore di Religione si fece frate, & frate Certosino, per far maggior pruova di pacienza co'l vincer se stesso; quantunque di poi fosse vinto da altri; perciocchè *la fama della sua virtù*, dopo esser passato per tutti i gradi, e dignità della sua Religione fece, che dal Clero dalla patria, e dalla patria istessa *ei fosse forzato a pigliar la Chiesa* di quella Città, che allora vacava; & che accettò sotto conditione di esser reintegrata di ciò, che da diversi l'era stato usurpato delle proprie entrate; le quali intendeva di spendere in lemosine, & altre opere pie, e non altramente, sicome fece, con tanta correctione, & utile di quel popolo, quanto ricercava la sonnolentione estrema, in che era scorso; onde Martino V. da quell'esempio delle cose private, giudicandolo degno de' maneggi delle publiche, lo chiamò a Roma, con mandarlo Nuntio in Francia, e in Inghilterra, per metter pace fra que' duoi Re, che erano in grandissima guerra, di dove rivocandolo poi, per la disperatione della pratica, quantunche praticata da lui con somma prudenza, a satisfattione infinita delle parti, & del Papa; *giunto a Roma, lo fece Cardinale alla sprovedata, per non dargli spatio di pensar al rifiuto del capello, si come dubitava, ch'ei rifiutasse*: Ma egli finalmente non ricusando le dignità, e gli onori, per potere con più fruttuosa autorità impiegar le sue fatiche, e i suoi sudori in servitio di Dio, e di questa santa Sede; avvenne, che poco di poi essendo mandato Legato a trattar accordo tra Vinitiani, Fiorentini, e il Duca di Milano, lo condusse felicemente; per il che fu rimandato in Francia per condur quell'altro tra i detti duoi Re; dove in capo di duoi anni di estrema fatica, ebbe nuova della morte di Martino, e della creatione d'Eugenio IV. con ordine appresso di andare a Basilea per divertir quel Concilio, Ma non potendo rimoverlo dalla sua ostinatione, se ne venne a Firenze; dove era il Papa, che lo rimandò la terza volta in Francia, *per la fermia opinione, che quel Regno aveva, che la pace in quelle parti non potesse esser fabricata, se non dalle sue mani*; quantunche di questa legatione non rapportasse altro, che l'aver riconciliato il Duca di Borgogna co'l Re di Francia. Fu di poi mandato di nuovo a Basilea per ovviare allo scisma, ma indarno; onde la fine di quel viaggio gli fu principio di un'altro in Germania ad Alberto Re de' Romani, per la conservazione di quei popoli nella fede catholica, ad ubbidienza del Papa, dal quale dopo la sua ritornata per la morte del Cardinal Orsino, fu fatto * Camerlengo: di che ne risultò in conseguenza, che assistendo al suo ufizio, non si scostasse più dalla corte fin'alla morte, che di mal della pietra, acquistata dalla molta fatica dell'animo, e del corpo, che *fanno i studi, e i negotii, ma sopra tutto la troppo maceratione della carne con le vigilie, digiuni, mali cibi, & col portare il cilicio, e dormir su i sarmenti*; & morendo lasciò alcuni levati sotto la sua disciplina, & a spese sue, che riuscirono famosi, e grandi; Tra i quali fu Tommaso da Sarzana, che di poi salendo al Pontificato volse esser chiamato Nicola V., in memoria di Nicolò Albergati suo padrone, e precettore.

* Penitenziere.

XXVIII.

CAROLUS SIGONIUS.

CAROLUS SIGONIUS

In vita Beati Nicolai Albergati Cap. VI.

Tom. II. Maji Bollandiani pag. 480. §. 57. 58. 60.

B. Nicolaus calculo laborat, & sanctissime moritur.

Eugenius autem, cum per sequentes tres annos Florentiæ permansisset, demum anno MCDXLIII., nonis Martii Senas concessit; atque ibi spatio aliquot mensium substitit. Interim *Nicolaus*, qui ab illius nunquam latere discedebat, graviter tentari calculo cœpit: quem ex superiore victus ratione, & præteritorum laborum susceptione contraxerat; *quocum per aliquot dies patientia magis, & virtute, quam remissione doloris*, at spe aliqua vitæ luctatus est, quam libenter se cum meliore, atque optabiliore commutaturum. Cum autem sic affectus decumberet, Eugenius, qui illum unice diligebat, noctu sæpe solus invisit, ac bono, fidentique animo esse jussit. *Verum consolatione, vir fortissimus, & divinæ misericordiæ memor, non egere; cum ipse se, & alios confirmare, vel opportuna sacrarum litterarum lectione vel præclara vitæ institutione jam inde ab ineunte pueritia didicisset.* Inde morbi gravitate (nam & intimus ardentissimæ febris æstus accesserat), ac doloris pertinacia victus, vii. Idus Majas, anno ætatis suæ LXVIII. est mortuus, rite omnibus sacramentis Ecclesiæ, quæ identidem ipse petiit expiatus.

Acta & Decr. Canon.

CLASS. III. Carolus Sigonius.

Eugenius IV. Pont. Max. ei justa persolvit. Calculum e vesica extractum apud se retinet.

Quod ut Eugenius sensit, amici desiderio vehementer afflictus, illico vesicam aperiri, & *calculum* extrahi jussit, *atque apud se pro concepta Sanctitatis ejus opinione retinuit*: Inde in Basilicam urbis elatum, solemnes super eum precationes effudit, atque ibi honestæ sepulturæ mandavit. Hujus mortis nuncio Bononiam perlato, ingens extemplo omnes cives mœror invasit. Itaque tabernæ clausæ, Justitium indictum, atque omnis intimi, ac variæ tristitiæ signa edita, quæ ad decorandum summi alicujus Principis obitum adhiberi potuerunt. Justa etiam per triduum in Basilica magnifice persoluta, quæ Antiani, & Magistratus præsentiam suam afferentes, opifices vero ab operibus suis ad tertiam usque horam cessantes honestaverunt. Inde cadaver Florentiam ad monasterium Carthusiense translatum, atque in eo hoc qualecumque elogium est incisum: *Sepulcrum omni laude dignissimi, & Reverendissimi Patris Nicolai Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyteri Cardinalis. Hic natus Bononiæ, primum ex Priore Carthusiensi, petente populo Bononiensi, Episcopus: tum a Martino Pontifice Cardinalis designatus: post plurimas susceptas legationes, Senis diem summ obiit, ætatis suæ anno sexagesimo octavo, vir piissimus, mitissimusque vitæ integritate, singularique virtute, omnium testimonio comprobatus.* In gradibus autem hi versus additi sunt.

Bononienses publicum funus instituunt, Ejus Cadaver Florentiam transfertur, ibique apud Carthusianos sepelitur.

Carthusia me terra tegit, quem sumpsit alumnum,
Ac dedit esse Patrem; nutrix Bononia eandem
Me sibi Pastorem tenuit de jure vocatum:
Cardinis Ecclesiæ compulsus pondera sumpsi,
Et Crucis in titulo mihi fulsit rubra tiara.
Mille, quater centum, denos quater egerat annos,
Tres etiam cyclus solaris, dum Nicolaus,
Mente petens cælum, sub saxo corpore claudor.

Hodie quoque *ad perennem sanctitatis ejus memoriam* monachi illi *calculum ejus e vesica exemptum*, & *Pontificale superpelliceum, & sandalia in sacrario* magna veneratione custodiunt; Bononienses vero Crucem argenteam, quam Legatus præferebat, & alteram, quam sacris operans in pectore gestabat; item aceream, & thuribulum ejus Ecclesiæ suæ relicta, ostendunt. (*b*)

Idem Cap. XVIII.

Memorabile autem illud, quod paucis post mortem diebus eidem Thomæ Sarzanensi familiari suo obitum suum impatienter ferenti, ac fletu, lacrymisque prosequenti, *in somnis se obtulit, ac dolorem omittere, & sine cura ipsum degere jussit: nam præclare secum Christi beneficio agi, illum vero mox Pontificatum Maximum adepturum &c.*

Qui vero viventi benevolentiam, idem post etiam mortuo humaniter, ac pie memoriam præstitit. Siquidem Pontifex creatus, se ab illo Nicolaum V. vocavit, atque icone manu eximii pictoris affecta, in ea S. Nicolaum Episcopum, in ipsius patris, ac patroni sui memoriam, exprimendum curavit, quæ nunc quoque in ara majori Carthusiæ Bononiensis, cum litteris id significantibus, visitur.

Cæterum Nicolaus, vir haud dubio fuit & sua, & patrum memoria magnus, vel potius summus, ac singularis: eo vero major, atque admirabilior, quod in solitudine ferme atque in angulis, longe a civilis turbæ, & forensis multitudinis conversatione, atque ab ipsa rerum gerendarum arte educatus, nullius tamen earum rerum expers, ac rudis fuit, quas ii tenere solent, qui omnem ætatem in communi consuetudine, nec non in erudito gymnasiorum, aularumque curriculo contriverunt, seseque variis curarum, negotiorumque publicorum meditationibus, ac tractationibus assidua exercuerunt. Ex quo facile conjicere possumus, excellentem quamdam ingenii, ac judicii in eo fuisse in-

T 2

(*a*) Hieronymus Garimbertus librum suum inscripsit Christophoro Madruccio Cardinali Tridentino, edidique Venetiis A. D. 1567. apud Gabrielem Giolitum de Ferrariis in 4.

(*b*) Sigonius obiit A. D. 1584. Vide Hieronymum Ghilinum in Theatro Virorum Illustrium *pag.* 56. Hanc B. Nicolai vitam inscripsit celeberrimo Viro Gabrieli Cardinali Paleotto Episcopo Bononiensi, cujus rogatu Episcoporum Bononiensium historiam scripserat, quam nos BENEDICTI XIV. Pont. Max. jussu mandatuque innumeris prope mendis purgavimus, atque additionibus non contemnendis auximus, adjecta insuper insigni veterum Monumentorum Appendice, quam, lustratis per septennium celeberrimarum Bibliothecarum, & Archivorum pluteis, ejusdem SS. D. N. auspiciis, improbo labore congessimus. Sigonii lucubrationem post Genebrardum edidit Godefridus Henschenius Tom. II. Maii Bollandiani *pag.* 477.

CLASS. III. Carolus Sigonius.

indolem: qui omnia, quæ susceperat, prudenter, ac commode peragebat. Etenim quia natura ad otium, & contemplationem factus tantummodo videbatur, ac prudentiæ documenta, atque eruditi cujusdam consilii dedit, quæ via multi in aulis Principum constituti, consequi potuerunt. Quicumque vero is fuit, *sanctitatis certe tam sibi opinionem perpetua, ac constanti ipsius vitæ innocentia peperit, ut a Monachis suis in hunc usque diem B. Nicolaus cognomine a majoribus accepto, vocetur &c.*

XXIX.

SCIPIO ADMIRATUS.

SCIPIO ADMIRATUS

Historia Florentina Libro XIX.

Fol. 701.

MA il Pontefice sentendo l' avversità del Duca e quello, che sotto varie scuse, aveva infino a quell'ora differito, ciò era di procurare di metter pace, & concordia fra questi potentati, non richiesto da alcuno si mosse tessé a far da se stesso: non gli tornando a beneficio alcuno i danni del Duca, in favor del quale sapeva, che i Fiorentini tenevano, che egli si fosse discoperto. Et sapendo, che il fermar la pace dipendeva da Veneziani, e avendo qualche intentione, che i Veneziani non se ne discosterebbono, mandò per suo Legato in Vinegia *il Cardinale di S. Croce monaco Certosino di nazion Bolognese, e uomo, secondo dice il Poggio, per sapienza, e per santità di vita degno di grandissima riverenza.* Il quale trovato quel Senato ben disposto alla pace, passò a Milano; & benche egli ci avesse delle difficoltà, dolendosi ora il Duca de Veneziani, e ora de Fiorentini, nondimeno il persuase con tante ragioni che il Duca mostrò di rimanere sodisfatto, & finalmente si venne a certi patti, & conventioni &c. (a)

XXX.

FR. BARTHOLOMEUS SENENSIS.

FR. BARTHOLOMEUS SENENSIS CARTHUSIANUS.

In vita Beati Petri Petronii Senensis Cap. X. §. 101.

Tom. VII. Maji Bollandiani pag. 226.

UT alios deinceps, quorum res gestæ, nescio cujus incuria in situ, & tenebris jacent adhuc, silentio ipse involvam; unum *Nicolaum Albergatum Bononiensem* in apertum hoc loco afferre libet; cujus laudum præconium longe est uberius, quam ut nunc carptim exprimatur. Is est *B. Nicolaus* ille, cujus innocentiam

B. Nicolai virtutes, & sanctimonia.

ipsa primum Bononiensis Carthusia magna sui cum laude fuit experta; ut quæ jam inde ab adolescentia viri, ita *ad omnem virtutem, & sanctimoniam* illum informavit, & eximio tum suorum factorum, dictorumque splendore & Italiam illustraverit; & ad remotas Christiani Orbis partes, dissidia inter Principes viros tollendi gratia, & legatus, admirabilem apud Reges, Principes, & dynastas sui caritatem pariter, venerationemque excitaverit. Is, inquam, Nicolaus ille est, qui singularium suarum virtutum ornamento adeo Bononienses cives in admirationem rapuit, *nihil ut dicatur* (ut gravissimi auctoris ejus temporis æqualis verba usurpem) *Nicolai nomine ea tempestate prædicari posset:* Sic prorsus, ut *cum sanctissimorum operum patrator ipse, atque prædicator passim existeret*, nemine rogante, nullo dissentiente, sed una omnium mente, atque consensu, *Nicolaum* a suo Carthusiano cœnobio, cui tum præerat, populi decreti prorsus ignarum per alterius rei speciem in urbem accitum, *suum Episcopum, ac Pastorem, reluctantem omnino, reclamantemque adhuc delegerint*, Summo Romano Pontifice rem maxime approbante. Hujus sanctissimi Præsulis mansuetudinis, animi moderationis, & æquitatis præclarissimi testes fuere Florentini Carthusienses mei, quorum usu, atque consuetudine in omni vita magnopere vir mitissimus delectatus, ad eorum cœnobium (quod septuaginta jam ante annos Nicolaus Acciajolus, Vir ob gloriosa facinora in Reipublicæ disciplina, cum quolibet suæ ætatis Ducum comparandus, magnifico, atque sumptuoso admodum opere construendum curavit,) Nicolaus hic noster, tanquam ad tutissimum tranquillitatis portum in rebus duris subinde excurrere solebat; in eoque tumulum sibi eligens, in eo etiam sub mortem se condi jussit: quod & factum est quam amplissimo funere.

§. 102. Hujus *gravissimi Senis justitiam, continentiam, frugalitatem, religionem suspexit aliquando, & admirata fuit urbs Roma; quod purpurei galeri dignitas amplissima nihil omnino de veteri disciplina, pristinoque vitæ rigore, atque humilitate, quam semel induerat intra Carthusiana claustra, imminuit in eo, vel relaxavit.*

CLASS. III. Fr. Bartholomæus Senensis.

Sed tanti viri in egentes eximiam commiserationem, & beneficentiam, quibus laudibus efferam, nescio: utraque enim ita in eo extitit, ut illum patrem pauperum, miserorumque levamen cuncti vulgo appellarent. At quod in ipsum non queo, Thomas Sarzanus vicem meam, uno tantum tanti Præsulis benignitatis facinore, expleat cumulate. Hunc etenim infimo genere natum, ac omnibus vitæ præsidiis cautum, *Nicolai* nostri liberalitas, quo in bonarum artium studia incumberet, adeo sublevabit; ut ad magnitudinem meritorum id quoque accesserit, ut suam in familiam dein hominem adsciverit senex gravissimus; atque ita suorum consiliorum participem facere consuevit, ut nemo illo carior esset, delectatus vel in primis vivido, acrique adolescentis ingenio. Cujus merita cum assidue Thomas animo retineret, tum vel maxime eorum est recordatus, cum quatuor ab amplissimi viri decessu elapsis annis, ad totius Catholicæ Ecclesiæ clavum tenendum evocatur, *Nicolai* nostri nomine, tanquam viri de se optime meriti, sese insignivit; Nicolaus nempe hujus nominis quintus, in hoc celsissimo dignitatis fastigio, appellatus. Denique zelum erga Domum Dei, sapientiam, & eruditionem *Nicolai* nostri tota Romana Ecclesia confiteatur necesse est, ex quo Ferrariæ, ubi primum indictum fuerat, prima celeberrimi Florentini Concilii, Eugenio IV. Pontifice, fundamenta jecit. Postremo vero *Nicolai animi fortitudinem, & eximiam erga Deum pietatem* Senenses laudent, atque concelebrent: apud quos diem suum clausit extremum, magno dolore, magnoque sui relicto desiderio, VII. Idus Maji, anno a partu Virginis MCDXLIII., eodem Eugenio Pontifice cum reliquo Patrum cœtu per eos dies Senis agente, atque *Nicolai* nostri exequias cohonestante, eumque *virum sanctissimum, Patremque omni veneratione* & laudatione dignum proclamante. Id quod unius Nicolai sanctitati datum fuisse, nullus, qui Romani Pontificis majestatem augustissimam noverit, inficias ierit: quoniam quidem compertissimum est, nunquam consuevisse totius Catholicæ Ecclesiæ summum Antistitem cujuscumque vel Cardinalis, vel Principum quorumcumque virorum funeri interesse. Hæc de *Albergato* longius fortasse, pro rei opportunitate in explicando lapsi; sed minime ab re, ut opinor. Nam sæpe tantorum virorum usurpare memoriam aliud est nihil, quam studia, labores, & contentiones nostras nobis ante oculos proponere: quandoquidem ni talpæ omnino simus, luce clarius aspiciemus, nos ad hos *sanctissimos Viros* umbram tantum esse, & effigiem quandam virtutis persequi; solidam autem veramque virtutem, nescio quo pacto, aversari videbimur. Quis enim nostrum vel *Nicolai*, vel Petri maxime illustria facta virtutesque præstantissimas animo, ratione que complectens, seipsum non excutiat, atque ad perfectionem suæ professionis excitet aliquando? Cum nulla major adhortatio, acriorque nulla excitatio ad omne studium sanctitatis, & virtutis adhiberi soleat, quam bonorum virorum exempla, illorumque maxime, quibus una cum Dei obsequio antiquissimum nunquam non fuit primævum sui Ordinis spiritum ad extremum usque tueri! Sed hæc alii, Ipse vero, ne quis interim officium meum jure desideret, Petri nostri vicarium, Joachimum nempe, in suo versantem munere, adeundum censeo, quoniam hac potissimum ratione fidem meam, quoad ejus fieri poterit, curabo peregregie.

Idem in notis ad eandem vitam.

Tom. II. Maji Bollandiani pag. 466.

ETsi Episcopus Feltrensis, uberius præ ceteris, eleganterque, res actaque *Nicolai* nostri amplissimi, inclitis litterarum monumentis consecravit, eaque ad Petrum Barbum, Cardinalem tum S. Marci, qui postea Pauli II. nomine gavisus summus Catholicæ Ecclesiæ Pontifex fuit, nuncupavit; attamen, cum de Episcopatu Bononiensis Ecclesiæ rejiciendo, quem cives ipsi *Nicolao* nostro demandare constituerant, ageret; adeo rem mira verborum parsimonia perstringit, ut momento illam sicco pede transire, perinde, ac ignorare sit visus. Nec mirum sane, quando intra Carthusiana septa, atque adeo intra penitissima montium juga, & abruptas, horridasque nive, glacieque cautes, hoc est in magna Carthusia, ad totum negotium, ob inflexibilem viri pertinaciam, summamque illius animi moderationem, transactum fuit. Qua vero modo, quave ratione, ex vetustissimo MS. in membrana Chronico Carthusiæ Montellanæ, quod mihi tradidit excutiendum vir ipsa probitate melior Archangelus Lucensis, ejusdem Carthusiæ tum Procurator, satis abunde colligimus, cujus hæc ipsissima sunt verba.

B. Nicolaus Episcopatum Bononiensem alteri sibi delatum recusat, idemque tandem Prioris sui jussu recipit.

„ Joannis de Gridomonte Prioris tempore, hoc videlicet an. MCDXVII., cum civitas inclita, omnique scientia decorata Bononia, viduata esset Antistita; convenit, ut mores est illius civitatis in conti-

„ nu-

(a) Scipio Admiratus mortuus est Florentiæ Anno Domini 1600, die 30. Januarii. Niceron. in Memor. Illustr. Virorum *Tom. IV. pag. 107.*

CLASS. III. Bartholomæus Senensis.

milibus, populus ad electionem; initoque consilio solemniter concordarunt pene omnes *in virum tunc venerabilem Dominum Nicolaum Bononiæ, Priorem domus nostræ: quem tandem plurimum renitentem, timentes ne clam fugam arriperet, domum undique populo circumdante, ut licet honesta, ad Dominorum palatium deduxerant*, sub fida, honestaque custodia includentes, donec præberet ei desideratum assensum. Ipse vero cupiens pio dolo populum ipsum decipere, dilationem, & liberationem peroptans; imitatus quondam sanctissimum Hugonem Lincolniensem Episcopum prælibati Ordinis, antequam de monasterio educeretur; dixit, nullatenus assentire se illis, nisi prius consensus adesset Prioris magnæ Carthusiæ. Dum igitur parabantur solemnes nuntii; præmisit ipse electus clanculo fidum nuntium ad ipsum Dominum Carthusiæ, rogans, & obsecrans lacrymabilibus litteris, ne præberet consensum, timens ne forte tanti regiminis opprimeretur gravitate. At cum nuntii festinato applicuissent gradu ad memoratum Priorem Carthusiæ, & Bononiensium exposuissent vota fideliter, ipse vir Deo plenus, dulciter, ac benigne suscipiens, similem apologiam dedisse fertur; *Expectate*, inquiens, *ut Dominus dederit, quæ sit voluntas ejus, & tunc non modo meum, sed Dei dabo responsum*. Et cum plus solito coram Altissimo deprecationem flammigeram præmisisset, tale Domino proposuit paradigma: *Domine si tua est voluntas, quæ est invariabilis, ut Frater noster Præsulatum assumat Bononiæ, da signum in bonum servo tuo præsenti: ut crastina die totus videlicet conventus noster Carthusiæ, nemine discordante, interrogatus consentiat: sin autem, pars altera contradicat omnino*. Mira res prorsus, insolitaque nostris temporibus! Mane ergo lucescente, Missaque conventualiter decantata Paracliti Spiritus, congregatis fratribus Domus Carthusiæ, proposuit Reverendus Pater Prior cunctis audientibus vota præmissi populi de facto electionis. Tunc omnes, nemine discrepante, univoce Priori dederunt responsum dulcissimum: Ut electus videlicet Antistes intrepide regimen oblatum omnino assumeret, quia Domini erat voluntas. Quæ cum audisset Pater Carthusiæ: *Vere*, inquit, *Domini est voluntas, quoniam talem Domino protuli propositionem*: sicque Ambassiatoribus, de voluntate Altissimi, & conventus, assensum præbuit, & responsa. Illi vero acceptis epistolis pii Patris, magno cum gaudio ad propria remearunt. Sicque Pater ipse admodum reverendus tandem invito sumpsit officium lacrymabiliter præsulatus: Deique magno fretus auxilio, civitatem sibi commissam a multis mirabiliter peccatorum purgavit spurcitiis, & infulis assumptis Carthusiense propositum non declinavit. *Hujus vitam, & sanctitatem*, ut fama sonat celeberrime fere per totam Italiam, si scribere vellem, omnino volumen excederem; & ideo aliis relinquo scribenda, qui oculis spectant quotidie, quanta Dominus mirabilia per servum suum operatur, atque magnifica in civitate præmissa. Hæc autem pauca posteris nostris exempli gratia scripsisse sufficiant.

Hactenus auctor ille incorruptæ fidei. Porro *Nicolaum hunc nostrum Cardinalem*, Senis fato profunctum, ad Florentinam Carthusiam delatum esse, uti testamento caverat (feretrum prosequente, ac postrema caritatis officia suo mecœnati præstante Thoma Sarzanensi, quem quatuor deinde annis totius Catholicæ Ecclesiæ Episcopum ætas illa vidit, & venerata est, Nicolai V. nomine insignitum) Antistes Feltrensis, ea tempestate S. R. E. Archidiaconus, atque ejusdem Thomæ collega, eique mira familiaritate devinctus, tradidit uberius. Præterea in marmoreo busto ante aram maximam ejusdem Carthusiæ templi hoc incisum legitur Epitaphium &c. Marianus Volaterranus, ejusdem Carthusiæ alumnus, hos addidit versus, prout illa ætas tulit &c.

Idem in notis ad eandem vitam.

BEatus Joannes Tossignanus Episcopus Ferrariensis ejusdem instituti, ac disciplinæ historiam confecit suasu *Beati Nicolai Albergati* Carthusiani, S. R. E. Cardinalis Bononiensis, quam deinde etiam pluribus hinc inde collectis, atque ex epistolis, vel maxime ejusdem Columbini decerptis, auxit locupletavitque Feus Belcarus &c. (a)

XXXI.

CLASS. III. Gabriel Penottus.

GABRIEL PENOTTUS

Historia Tripartita sacri Ordinis Clericorum Canonicorum Libro III. Cap. VIII. §. III.

POrro præfati Canonici Frigdionariam transmissi, quod monasterium fere destitutum esset; canonicis ad paucos redactis, illisque propter imminentia pericula intra civitatem apud S. Dalmatii Ecclesiam, ut plurimum degentibus, & quia monasterium sub Episcopi Lucensis potestate, jam ab aliquot annis erat constitutum, sine cujus licentia, nec ad monasterium accedere valebant, nec illud reformare, non statim ad illud accesserunt, sed ad vicinum Carthusianorum cœnobium, cui tunc R. P. D. *Nicolaus de Albergatis*, qui postea fuit Episcopus Bononiensis, & S. R. E. Cardinalis, præsidebat, immediate diverterunt. Qui non solum illos benignissime suscepit, & per aliquot dies necessaria ministravit, sed ad obtinendum ab eodem Episcopo Monasterium cum omnibus ad illud spectantibus, & cum libera facultate illud reformandi, efficaciter operam suam impendit: & tandem Monasterio obtento, ipsemet R. P. D. *Nicolaus* eos personaliter ad prædictum Monasterium voluit comitari, & in possessionem, ut ajunt, immittere, suscipientibus illos cum summo gaudio pauperculis Monasterii Canonicis, & de illorum proposito collætantibus. Et ita Deo favente, sanctissimaque Dei Genitrice loci tutelari suis precibus juvante, posita fuerunt prima fundamenta istius sanctissimæ reformationis Canonicorum Regularium in Italia, sub Pontificatu Sanctissimi Pontificis Bonifacii IX. anno illius XII., & humanæ salutis MCDI. Quibus positis &c. (b)

Pag. 296.

B. Nicolaus Canonicos Regulares Monasterio possessione.

XXXII.

PHILIPPUS (c) FERRARIUS

PHILIPPUS FERRARIUS.

In Catalogo Generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, VII. Idus Maji.

SEnis in Tuscia B. Nicolai Monachi Carthusiani Episcopi Bononiensis, & Cardinalis.

XXXIII.

FERDINANDUS UGHELLUS FLORENTINUS

FERDINANDUS UGHELLUS.

In Italia Sacra.

NIcolaus filius Petri, e nobilissima *Albergatorum* gente Bononiensis, monachus Carthusianus, priorque Carthusiæ Bononiensis, *innocentissimæ vitæ, ac clarissimi exempli*: post excessum Joannis, a populo, cleroque Bonon. Episcopus patriæ acclamatus est prid. non. Januarii Anno 1417. cujus electionem Martinus V. Columna ratam habuit, tametsi illam sibi reservasset: adeo apud ipsum valuit populi, clerique consensus, *electique integritas* acclamata idibus Aprilis ejusdem anni, inauguratusque fuit 4. non. Julii. Cumque Martinus Columna commoraretur Florentiæ, Bononia cives novo Pontifici novam gratulatura dignitatem, *Albergatum* ad eumdem legavit, qui ea legatione adeo Pontifici placuit, ut oratorem suum in Gallias dixerit, ut inter Anglorum, Gallorumque discordantes Reges percutiendi fœderis auctor esset. Anno vero 1426. *Nicolaum* de Ecclesia optime meritum, sub Titulo S. Crucis in Hierusalem illum vocavit ad purpuram, legavitque eodem anno in Insubriam, ut Ducis Mediolanensis, Venetorumque res discordiæ vitio laborantes componeret; quod Ferrariæ ad Pontificis mentem, ac utriusque partis commodum cumulatissime præstitit. Inde vix ille redierat ad curiam, cum secunda legatione in majorem Britanniam a Pontifice exornatus est, ut illic inter Gallorum, atque Anglorum Reges transigendæ pacis conditiones æquas, legesque præscriberet. Sub Eugenio IV. in Galliam eadem legatione functus, ut idem fœdus urgeret. Quamobrem apud Regem Carolum eo nomine VII. peractæ feliciter legationis plurimam collegit gratiam, itaut inde digrediens, ab eodem Sanctæ Annæ Matris Dei Genetricis cranio, munificentissime donaretur, quod deportatum Bononiam, Bononiensi Carthusiæ dono dedit. In Germaniam item ad Albertum Cæsarem quarta Legatione functus est, Eugenio IV. mittente; inde reversus Ferrariensi, mox Florentino Concilio interfuit. *Ceterum ea integritatis fama suo tempore fulsit Nicolaus, ut eidem boni omnes Romanum Pontificatum spponderent, si Eugenium IV. ante Al-*

Tom. II. pag. 19. editione prima.

B. Nicolai vitæ decessus.

(a) Bartholomæus Senensis Carthusianus Vitam B. Petri Petronii Ordinis Jesuatorum, a Beato Joanne Columbino Italice scriptam, Latine reddidit, notisque illustravit, eamque inscripsit Carolo Medicea S. R. E. Cardinali amplissimo, IV. Idus Junii Anno Domini 1619.

(b) Penottus Historiam suam vulgavit Romæ an. D. 1624.

(c) Ferrarius Catalogum suum edidit Venetiis an. D. 1625.

CLASS. III. Ferdinandus Ughellus.

Albergati excessum postremum diem contigisset obire. Purpura, aut dignitas Episcopalis, haud ei pristinum vitæ rigorem ademit, in prosperis moderatus, in adversis minime demissus, sibi simillimis amicis, collegisque itiacrum, ac legationum usus est; ut vel ipse ea illorum proficeret prudentia, vel illi *ex Albergati doctrina, probitateque doctiores, ac probiores evaderent.* Etenim habuit a secretis Thomam e Sarzana, ac Æneam Silvium Piccolomineum, qui ambo, iste sub Pii II., ille sub Nicolai V. nomine sancto universalis Ecclesiæ throno deinde nobilitati sunt. Ecclesiam sibi creditam, quam qui maxime dilexit, ac fovit. Quamobrem acclamantibus cunctis, qui illum Pastorem desideraverant, in optimis Bononiensibus Præsulibus numeratus est. In Carthusianos vero suos præclara contulit beneficia, itaut etiam Romæ ad S. Crucem in Hierusalem pro illorum domicilio insigne, laxissimumque statuerit claustrum. Quod deinde translatis Carthusianis ad Thermas Diocletianas, Cisterciensibus monachis Insubriæ provinciæ attributum est. Scripsit Recollecta multæ lectionis. De inexcusabili peccatoris nequitia, orationes ad Venetos, & Philippum Vicecomitem Mediolani Ducem pro pace, sermones multos, epistolasque eruditissimas. S. Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiarius, & Liberianæ Basilicæ Archipresbyter fuit. Græcorum Imperatorem a Florentina Synodo revertentem regio apparatu suscepit. Imaginem Dei genitricis D. Lucæ penicillo expressam, & Constantinopoli ad montem Guardiæ, Bononiæ proximum, delatam, in supplicatione deferri curavit, cum nimiis imbribus damna maxima Bononiensi agro inferrentur. *Corpus suum in Christi obsequium, dum apud nos viveret, afflixit cilicio, flagris, incommodo in stramentis cubatione, vigiliis, inedia, precum assiduitate, peregrinationum, & studiorum laboribus; cibi parcissimus fuit.* Post susceptum Carthusianorum institutum, a quo ne in luce quidem purpuræ, quantum licuit, discessit, *carnibus nunquam, ne in extremo quidem vitæ discrimine, vesci voluit: mundo vicissim crucifixus, & cruci cum Christo confixus, in scutario parma, gentilitio prætermisso stemmate, Christi crucem effingi voluit.* Tandem cum aliquando *Albergatus* Eugenium IV. Pontificem honoris ergo comitaretur, calculo renum Senis oppressus interiit anno 1443. 7. Id. Maji. Ejus corpus delatum Florentiam, ante principem Aram Carthusiani cœnobii tumulatum est, cum hoc rudi ineptoque Epitaphio,

Heu hic jacet Nicolaus Albergatus
Bononiensis.
Quomodo Bononiensis hic in loco?
Heu erat Monachus Carthusianus:
Quomodo Carthusianus hic in tumulo?
Etiam Pater S. Hieronymi extra Bononiam!
Parce oculis, parce oculis.
Heu etiam Presbyter Cardinalis S. Crucis in Hierusalem
Quid audio? parce, parce lacrymis.
Erat vir pius, & Sanctus, & studiorum amator.
Ne parce lacrymis.
Heu Senis, heu, heu mortuus est.
Heu cognovi, heu! Legatum ad Concilium
Basileense, Ferrariæ, & Florentiæ
Heu hic jacet vii. Idus Maj. MCDXLIII,
In pace sit locus ejus. (a)

XXXIV.

ODORICUS RAYNALDUS.

ODORICUS RAYNALDUS

In Annalibus Ecclesiasticis.

an. 1430. §. 22. 1431. §. 14.

HOc anno *B. Nicolaus Albergatus* ex Carthusiensi eremo ad Bononiensem Episcopatum evectus est, *in quo omnium virtutum genere effulsit &c.*

Non sine causa Martinus *internuntium suum, ut pietate insignem* Henrico Anglorum Regi, tum etiam Carolo Delphino, ac Philippo Duci Burgundiæ commendavit: is enim erat *Nicolaus Albergatus* Carthusiana disciplina exculteissimus, qui *ob Sanctitatis clarissima exempla divinis confirmata miraculis Beatorum numerum auxit &c.*

1426. §. 26. *Nicolaus Albergatus* Episcopus Bononiensis, Tit. S. Crucis in Hierusalem, *qui ob insignes virtutes Beati titulum promeruit &c.*

1435. §. 1. B. Nicolaus legatus mittitur ad Conventum Atrebatensem. Interea postquam a *Beato Nicolao Albergato Cardinale S. Crucis A. S. L.*, susceptis maximis laboribus, pax Gallos inter, & Anglos, eorumque fœderatum Burgundum agitata superioribus annis sine ullo fructu fuisset; novi conventus Niverni habiti sunt, in quibus dum pacis consilia ægre perduci queunt, & Galli, Anglique ruunt in arma, mutata est rerum facies, Anglis in Normannia cæsis, & capto Arundeliæ comite, tum oppido, cui S. Dionysii nomen est, recepto a Carolo Rege. Ita deflorescente Anglica felicitate constitutum est, ut Atrebati ad faciendum de pace colloquium solemnes cœtus mense Julio celebrarentur, quibus Eugenii nomine *Beatus Nicolaus*, de quo paulo ante memoravi, & Ludovicus Tit. Sanctæ Cæciliæ presbyter Cardinalis Arelatensis præfecti; a Concilio vero Basileensi Hugo Episcopus Cardinalis Prænestinus, Cypri Regis frater Tit. Sancti Petri ad Vincula, nec non Nicolaus Wexoniensis Episcopus, Nicolaus Præpositus Cracoviensis, & Hugo Archidiaconus Metensis, fœderis interpretes decreti. Quo accepto, Eugenius *Nicolaum Albergatum* Cardinalem Legatum creavit &c. CLASS. III. Odoricus Raynaldus.

§. 5. Pontificii itaque, & Basileensis Concilii legati Philippum Ducem Burgundiæ adiere, adhortatique sunt, ut pacem cum Rege Carolo pangeret, cum ipse, ac majores e Regia Francica genus ducerent: deinde pactiones, quæ in rem, dignitatemque Philippi vertebantur, Francorum Regis nomine obtulerunt, quas Burgundus Pontifici, & Concilio morem gerens, prius sacramento, quo Henrico Regi Angliæ spoponderat, nunquam se pacem cum Franco, ut accederet Anglus fœderi, initurum, solutus admisit. Permotum ipsum ad conficiendam pacem a *Nicolao Cardinale Albergato insigni miraculo ferunt, cum ille, ut censurarum, quibus disturbata pace percellendus esset, vim demonstraret, panem diris imprecatione in atrum colorem vertisset, lustratumque sacra prece pristino candori restituisset &c.* Philippum Ducem Burgundiæ insigni edito miraculo ad pacem flectit.

an. 1438. §. 31. Germaniæ B. Nicolai legatio. Incubiturus ad componendas imperii res Albertus, solemnes principum Germaniæ cœtus Nurembergæ celebravit, ad quos Septembri mense Pontifex insignem admodum legationem decrevit; missis nimirum *Nicolao Cardinale S. Crucis Sanctitate, ac rebus gestis clarissimo*, Joanne Archiepiscopo Tarentino, qui olim Basileensi synodo præfuerat, Petro Episcopo Dignensi, qui Græcos Concilii nomine perduxerat in Occidentem, ac tribus aliis viris doctrina spectatissimis, ut Cæsar, Principesque seditiosos Basileensis conventiculi ausus comprimendos curarent; cum Græci perciperent, ut Basileenses Ferrariam venirent, paribusque animis communi concordiæ redintegrandæ navarent operam. Conjungere etiam studia sua cum iis legatis Joannem Episcopum Sigimiensem jussit Eugenius, ac singulos Archiepiscopos, Duces, Lantgravios, Marchiones, & Comites, quorum catalogus in regesto tenitur, adhortatus est, ut divinæ gloriæ, & Ecclesiæ paci firmandæ studerent.

1443. §. 24. Obitus B. Nicolai. Ceterum ex ascripta superioribus, ac aliis Eugenii litteris die constat, illum magnam partem anni Senis traduxisse, Romamque reversum xxviii. Septembris maxima pompa exceptum. Antea vero *B. Nicolaus Albergatus* Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis, qui Eugenium ipsum Senas fuerat comitatus, inde in Cælos migravit, ut amplissima ingentium laborum, quos Romanorum Pontificum jussu pro Ecclesia pertulerat, præmia acciperet &c.

1447. §. 15. Prædicit Pontificatum Nicolao V. Prædictum quoque ipsi (scilicet Nicolao V.) fuisse cælesti viso Pontificatum a *B. Nicolao Albergato*, cujus obitum plangebat, refert Philelphus, sibique & aliis amicis, antequam cardinalitiam purpuram adipisceretur, relatum,

XXXV.

FR. LUDOVICUS TAURELLUS

LUDOVICUS TAURELLUS.

In Sæculis Augustinianis.

Tom. VI. pag. 730. IL terzo Personaggio poi, quale dicessimo nel principio di quest'anno essere passato all' altra vita in questo tempo, fu il *santo Cardinale e Vescovo di Bologna il B. Niccolò* della nobilissima Famiglia *Albergati*, il quale essendo Priore della famosa Certosa di Bologna, fu nell' anno 1417. per Divina ispirazione eletto dal Clero Vescovo di Bologna, e nel 1426. fu da Martino V. creato Prete Cardinale del titolo di S. Croce in Gerusalemme, e nel 1437. fu da Papa Eugenio IV. dato per Protettore alla nostra Religione, quale poi protesse, e difese per lo spazio di anni sei con gran carità, & amore; & essendo morto in Siena in quest' anno del 1443. alli 9. di Maggio, fu il *suo santo Cadavere* trasferito indi a poco nella Chiesa della Certosa di Firenze. Non trattiamo quivi *ex professo della santità di questo Beato Cardinale*, perchè ci rimettiamo a ciò che è stato scritto, così da suoi Religiosi Certosini, come alla vita, che ultimamente ha per sua divotione data alle stampe il Dottor Carlo Antonio Mangini nostro Bolognese. B. Nicolaus Protector eligitur Sacri Ordinis Eremitarum Sancti Augustini.

XXXVI.

(a) Ughellus Opus suum edidit Romæ anno Domini 1647.

CLASS. III. Antonius Masinus.

XXXVI.

ANTONIUS MASINUS

Bononia Perlustrata Part. I.

Pag. 109. ædit. tertia. BEato *Niccolò Albergati* Certosino Cardinale, e Vescovo di Bologna, festa all' altare in S. Anna in strada S. Isaia, e per tutta la religione Cartusiana, e alli Padri della Certosa fuori di porta Pia. *Aborrì sempre il riposo sopra morbidi letti. Dispensò l' entrate della sua Chiesa a poveri, ed alle vergini da marite. Fece nuove provvisioni contro gl' Ebrei, e col segno gialla gli distinse da Cristiani. Morì del 1443. in Siena d' anni 68. per dolore di pietra, & Eugenio IV. l' ebbe in tanta venerazione, che si prese per sacra Reliquia la medesima pietra, e fece solennemente dell' 1444. trasferir il suo corpo nella Certosa di Firenze nella Cappella maggiore. Dopo si veddero molti segni della sua santità, e dall' Arcivescovo S. Antonino per uomo santissimo fu chiamato.*

Alla Chiesa della Compagnia delli Trentatrè a porta Saragozza, fanno la festa del loro Protettore *B. Niccolò Albergati*.

CLASS. IV. Joannes Germani.

GALLORUM TESTIMONIA

DE

BEATO NICOLAO

CARDINALI S. CRUCIS.

I.

JOANNES GERMANI.

EPISCOPUS CABILLONENSIS (a) ET PRIMUS AUREI VELLERIS CANCELLARIUS.

In vita Philippi III. Ducis Burgundiæ Cap. XXIV.

Ex reliquiis MS. Jo. Petri de Ludewig. Tom. XI. p. 49.

B. Nicolai labores in procuranda Galliarum pace.

UM sua interna inspiratione felicis memoriæ Martinus, & Eugenius Romani Pontifices commoniti, non obliti, quantos auxilia, opem, & favores a divis Principibus Regni suscepissent; Ne suo neglectu dudum gloriosum Regnum ad externam gentem, quem non noverant patres eorum, adveniret possidendum; Manus mittentes ad fortia, huic sancto operi se devoverunt intentoros. Inde latere demissi nuncii plenissima legatione funguntur. Jussi ab Urbe decedunt, ut injuncta compleant. Viam arripiunt. Quidam Alpibus, alii periculis, mari, sese immittunt, labores, taedias, & humana pericula etiam confracti senio non verentur. Nihil adversum sub cælo aestimantes, si suæ Legationis fructum consequi valerent. Hi ad Francorum Regem, aliquando ad Anglos, præsepe ad Burgundum Regem suos dirigunt gressus. Nam de Anno Domini MCDXXII., quo in Francia Henricus Anglorum Rex, post conquisitam Nurmaniam de suis hostibus triumphabat, *in optimis patribus venerandus Episcopus Bononiensis*, *Cardinalis S. Crucis* posterius appellandus, Parisiis applicat, quæ a Papa in mandatis susceperat, Regi Anglorum intrepidus patefecit, quo ad suum Angliæ Regnum se deducat. Dans pacem populo Francorum, Summi Pontificis edicto, consulit, & admonet, expectans si quid favoris apud eum Regem inveniret, longam Parisiis moram trahit, se se mutuis sermonibus exasperant, at re infecta anxius abscedit. Qui tamen Pontificis piam exhortationem contempserat, ad paucos dies vitam deponit, assumptusque in *Cardinalem S. Crucis* a Papa Eugenio, *Legatus* ad Francos constituitur. Legatione functurus MCDXXXII. rediit in Franciam: Regem Karolum Bituris visitat, quæ fuerunt fundamenta pacis futuræ, solerter perquirit; Ad Burgundum Ducem inventum Broxellis festinet. Cum amplissimo Legatorum cultu suscipitur. Privata cum Principe agit colloquia, & si quem apud eom de pace apparatum invenit, memoriæ insigillat. Rursus anno sequenti conventus in Antisiodoro designatur. Decurrunt per suas partes diffidentes, & longi de treguis, & pace ingeruntur sermones. Sed nec fructus expectatus reportatur. Conventiones Novedunom indicuntur, *& per trium annorum spatium*, *Legatus in Francia moram trahit non mora*, *non tedio*, *aut fatiga fractus*. Jam unam, nunc aliam de hac sollicitat. Ad Eugenium Papam secreta rei patefacturus proficiscitur. Magnus conventus in Civitate Atrebatensi Pontificis edictu, per suas litteras partibus indicitur.

De Conventione Atrebatensi Cap. XXV.

INde Anno MCDXXXV. *idem Legatus*, ut inchoata perficiat, com plenissimo mandato in Franciam remittitur. Per Germanias Basileam, ubi tunc generale Concilium confidebat pro rebus Ecclesiæ componendis, appulit. Ab hinc Atrebatum pertingit. Auctore pacis commoniti patres Concilii virorem illustrium commendatam conficiunt. In ea de singulis nationibus Orbis, quos partibus placere putabant, annotant. Pote Cardinalem Cypri illustrem, Vexoniensem, Dacom, Albiganeum Italum Episcopos; magistrum Joannem de Cracovia Polonum, magistrum Bartholomæum Metensem Archidiaconum, quos cum plenissimo mandato ad diem conventionis Atrebati indictam demittant. Applicati ad locum desideratum eam Legato Apostolico, consultationes agunt, modum, & formam rebus gerendes adhibent &c.

II.

ANONYMUS (b) PARISIENSIS

ANONYMUS PARISIENSIS.

In Diario suorum temporum.

LE vingtiesme Fevrier oudit an arriva *le Cardinal de Sainct Croix* Legat du Pape pour faire paix entre les deux Roys, *le quel en fit tres-grandement son devoir*, de maniere que tous deux luy promirent se soubmettre du tout à ce qui ordonné en seroit au grand Concile, qui devoit estre celle année à Basle. Au partir de Paris il alla par devers le autres Seigneurs Chrestiens. An. 1435. Pag. 116.

Environ Octobre oudit an fut fait à Auxerre un Concile pour traiter de la paix des deux Roys, ou plusieurs Seigneurs de toutes les deux parties furent, & aussi de part le Duc de Bourgogne. Ils revindrent environ le my-Novembre, sans avoir rien fait que despendre largement: mais on fit entendre au peuple que tres-bien besongné avoient: & quand le peuple sceut la verité, si commenca à murmurer moult fort contre les depatez. 1436. Pag. 117.

Sur la fin de Mars fut fait un Concile à Corbeil, où estoient *le Cardinal de Sainct Croix*, l' Evesque de Paris, & plusieurs autres Evesque, Seigneurs, & grands Clercs d' une part, & d' autre.

En Juin ensuivant fut fait derechef un Conseil au mesme lieu, mais l' Evesque de Terovanne Chancelier du Roy d' Angleterre en France ne voulut passer le traité qui devant avoit esté accordé par *le dit Cardinal*, & par l' Archevesque de Rheims Chancelier du Roy Char- 1438.

(a) Joannes Germani Episcopus Cabillonensis Philippi III. Ducis Burgondiæ familiaris fuit. Vitam hanc scripsit circa ann. 1463. eamque dicavit Carolo Philippi filio Duci Burgondiæ cognomento audaci. Vide præfationem Jo. Petri de Ludewigg, qui eam in lucem protulit.

(b) Hunc Anonymum publica luce donavit Dionysius Gothofredus in appendice ad vitam Caroli VI. Regis Francorum a Joanne Juvenali Ursino conscriptam. Floruit Anonymus his temporibus, atque Diarium suum produxit usque ad ann. D. 1449.

CLASS. IV. Anonymus Parisiensis. Charles VII., & autres Seigneurs, dont chacun se departit, comme par maltalent, & s' en alla *le dit Cardinal* au Concile de Basle.

III.

JOANNES CARRIER.

JOANNES (a) CARRIER

In Vita Caroli VII. Francorum Regis.

An. 1435. Pag. 72. EN ce mesme temps, durant le siege de S. Denys, dont dessus fait mention, journée fut prise en la ville d' Arras pour y traiter de Paix entre le Roy d' une part, Henry Roy d' Angleterre, & Philippe Duc de Bourgogne d' autre; auquel jour assigné la dite Paix fut traitée fort honorablement, & avec grande ceremonie par les Deputez, tant gens d' Eglise que Seigneurs seculiers. Car le Pape desirant servir à procurer bonne paix, union & concorde entre lesdites parties, *y envoya pour Ambassadeurs de sa part un bon preud' homme Chartreux, qui estoit Cardinal dit de Sainte-Croix*, avec le quel estoient le Cardinal de Cypre &c.: *Eos recenset qui Cardinalem in hac legatione comitabantur.*

Pag. 73. Pour traiter de la quelle Paix auparavant cette solemnelle *assemblée avoit grandement peiné & travaillé le susdit Cardinal de Sainte-Croix Chartreux*, qui estoit Legat du Pape en ceste partie, & avoit esté par diverses journées devers les Roys de France & d' Angleterre, & pareillement devers le Duc de Bourgogne; *esquels voyages il avoit grandement despendu du sien, mais de ce ne luy chailloit, pourveu qu' il peust estre moyen & instrument de trouver bonne Paix, & icelle establir avec charité entre icelles parties &c.*

IV.

ENGUERANNUS DE MONSTRELET.

ENGUERANNUS (b) DE MONSTRELET

Chronicorum Tom. II.

An. 1432. Pag. 63. edit. an. 1603. EN ce temps fut envoyé par nostre sainct Pere le Pape es parties de France le *Cardinal de Sainte Croix* pour appaiser le discord, qui estoit entre le Roy de France d' une part, & le Roy Henry d' Angleterre, & le duc de Bourgogne ensemble d' autre part. *Pour le quel traité le dit Cardinal fit de grans diligences entre les parties:* mais en fin na pouvoit rien accorder à paix. Par son travail & moyen furent accordées unes treves à durer l' espace de six ans &c. Par le moyen des quelles en aucuns lieux sur les frontieres, le peuple eut grand consolation esperans que ce se deust entretenir: & à l' occasion d' icelle se commencerent aucuns des pais sur lesdictes frontieres à remplir de laboreurs, bestial & autres choses &c.

An. 1433. Pag. 60. Et furent envoyez de par iceluy Concile (de Basle) *les Cardinaulx de Sainte-Croix*, & de sainct Pierre devers Philippe Marie Duc de Milan pour r' avoir la terre de l' Eglise, qu' il tennit, mais ce fut à piene perdue.

1435. Pag. 107. Au mois de Juiliet vindrent en la ville d' Arras deux Cardinaulx envoyez de par nostre sainct Pere le Pape, & par le Concile de Basle, avec eux plusieurs notables Ambassadeurs de diverses nations, pour estre au grande parlement qui se devoit faire, & tenir audit lieu d' Arras pour la paix de France: c' est à sçavoir de par nostre sainct Pere le Pape *le Cardinal de Sainte-Croix*, l' Archediacre de Mets, & aucuns autres Docteurs en Theologie &c.

Pag. 110. S' assemblerent au lieu dessusdit les trois parties en la presence des deux Cardinaulx premiers venus, les quels *& par especial le Cardinal de Sainte-Croix remonstrerent moult autentiquement à icelles trois parties les grans maulx & inconveniens, qui estoient advenuz par toute Chrestienté à l' occasion des guerres, qu' ils avoient si longuement maintenues, en admonstant moult doulcement & sagement, que pour l' amour de Dieu principalement ils voulsissent entendre au bien de paix entant qu' ils estoient ensemble, & qu' un chacun d' eux feit requestes si courtoises, & si raisonables, qu' ils se peussent accorder les uns avecques les autres &c.*

CLASS. IV. Anonymus.

V.

ANONYMUS (c)

In Breviario Historiæ Caroli VII. Regis Francorum.

LE *Cardinal de Sainte-Croix* fut par le Pape envoyé en France pour y trouver moyen de Paix, *& fit tant à sa venue* que Tresues furent faites entre les François & les Bourguignons. An. 1432. Pag. 384.

VI.

ALANUS CHARTIER.

ALANUS CHARTIER, VEL JACOBUS (d) BOVERIUS.

In Historia Chronologica Caroli VII. Regis Francorum.

An. 1432. Pag. 384. EN ce temps vint le *Cardinal de Sainte-Croix* en la Cité d' Auxerre, pour traiter & faire paix entre le Roy & le Duc de Bourgogne, & le Roy d' Angleterre. Là vinrent les Conseillers de France, & de Bourgogne, & autres Ambassadeurs du Roy d' Angleterre: & estoient là pour la France le Chancelier de France, lors Archevesque de Rheims, Messire Christophle de Harcourt, & Maistre Jean Rabateau *. President de Parlement, Maistre Jean Thudert Maistre des Requestes de l' Hostel du Roy, & Doyen de Paris: Et pour le Duc de Bourgogne, avec son Chancelier, le Sire de Chastelus, & Messire Guy de Bar: & pour le Roy d' Angleterre, Messire Gilles de Clamecy Prevost de Paris, le Sire de Rouville, Messire Jean du Chastiller Evesque de Paris, l' Abbé de Fescamp, & autres; lesquels ne firent rien, mais ils prirent une autre journée, pour estre prés de Corbeil, à sainct Port, au Caresme ensuivent: & ils y vinrent tous les dessusdits, & pareillement ils n' y firent rien; pour ce qu' ils vouloient fut tort, fut droit, avoir le Royaume de France, & un chacun se vouloit dire Roy de France.

* *L. Adam de Cambray.*

An. 1435. Pag. 394. En ce temps fut faite Paix entre le Roy, & le Duc de Bourgogne en la Cité & Ville d' Arras, là où il y eut beaucoup de Noblesse, de Seigneurs, & Prelats de France, de Bourgogne, de Picardie, & d' Angleterre: Et y estoit pour le Roy de France le Duc de Bourbon, le Comte de Vendosme, Christophle de Harcourt, l' Archevesque de Rheims Chancelier de France, & Maistre Adam de Cambray Premier President de Parlement. Pour le Roy d' Angleterre y estoit le Comte de Warwic, le Comte de Suffolck, le Cardinal de Wicestre oncle du Roy d' Angleterre, & deux Evesque, avec plusieurs Chevaliers. Pour le Duc de Bourgogne y estoient le Duc de Gueldres, le Duc de Mons, l' Enfant de Cleves, le Comte d' Estampes, le Comte de Ligny, & le Comte de Sainct Pol. Pour le Pape estoit *le Cardinal de Sainte-Croix*, & pour le Concile le Cardinal de Cypre. Et les dessus dits presens fut fait la Paix entre le Roy, & le Duc de Bourgogne; mais les Anglois n' y voulurent entendre, jaçoit que le Roy de France consentoit lors à leur laisser la Duché de Normandie, pourveu que le Roy d' Angleterre luy en fit hommage, & qu' il luy delivrast Paris, & les autres villes & forteresses qu' il tenoit entre la Loire, & la Seine, qui n' estoient dela Duché de Normandie: & le Roy de France luy promettoit laisser pareillement tout ce que le dit Roy d' Angleterre tenoit pour l' heure dans la Duché de Guyenne: mais de cete offre si advantageuse, ne voulurent les Anglois rien du tout accepter s' en allerent, & partirent mal-contens de la dite Ville d' Arras, & au contraire, les autres Parties en partirent treſcontentes & joyeuses.

VII.

ANTONIUS TABERNA.

ANTONIUS (e) TABERNA

Monachus Sancti Wedasti.

In Diario Conventus Atrebatensis.

An. 1435. Pag. 7. R. Nicolai gesta in Conventu Atrebatensi. LE Mardy douzieme jour de Juillet le *Cardinal de Sainte-Croix de l' Ordre des Chartreux legat de nostre saint Pere pour assister à la dite convention*, arriva en ceste ville à neuf heures du matin, & parce qu' on sçavoit peu parler de sa venue, il ne fut point receu processionellement, mais neantmoins Monseigneur l' Ab-

---

(a) Historiam Joannis Carrier vulgavit idem Gothofredus, eum Caroli VII. Francorum Regis Historiographum fuisse affirmat. *pag.* 381.

(b) Enguerannus de Monstrelet floruit circa ann. Domini 1467. Vide Jacobum Le-Long in Bibliotheca Historica Galliæ. *pag.* 377. *num.* 7416.

(c) Hunc Anonymum vulgavit Gothofredus in appendice ad vitam Caroli VII. Ipsiusque Regis coævum fuisse affirmat.

(d) Jacobi Boverii, sive Alani Chronicon extat apud eundem Gothofredum, qui eum his temporibus floruisse scribit.

(e) Antonius Taberna Præpositus Monasterii Sancti Wedasti Atrebatensis huic celeberrimo Conventui interfuit, ejusque Diarium conscripsit, cujus meminit Jo: Jacobus Chiffletius in vindiciis Hispanicis Exempl. XVIII. fol. 66.; illudque postmodum edidit notisque illustravit Ja: Colart Parisiis A. D. 1651. in 8.

CLASS. IV. Coronius Taberna.

B. Nicolai gesta in Conventu Atrebatensi.

Abbé, Monsieur l'Evesque d'Arras, Monsieur le Gouverneur, les Majeurs, & Eschevins, & autres allerent au devant de loy a cheval; mais ne se sceurent sitost advancer, que le dit *Cardinal* ne fut entré dedans la porte Sainct Michel, & pour monstrer, & exhiber toute reverence au dit *Cardinal*, nous Religieus de sainct Vaast allasmes au devant de luy jusque a l'hostel de Pierre de Centeleu, ou le dit *Cardinal* estoit logé dedans son hostel; en sa compagnie estoit un Evesque de Portogal, nomme *Episcopus Bizatensis*,

Le dit jour à six heures du matin furent assemblées en la chambre de Monsaigneur l'Abbé de sainct Vaast, Monsieur l'Evesque d'Arras, Monsieur le Gouverneur, Maistre Philippe Mangart, Maistre Jean de Thoisy Archidiacre de Tournay & Maistre Pietre Brandin Maistre des Requestes de l'Hostel de Monsaigneur le Duc de Bourgogne, les quels Maistres Jean, & Pierre avoient aporté lettres de credence de par Monseigneur le Duc à Messieur de Sainct Vaast, & aux Maires & Eschevins d'Arras, & au Gouverneur, ausquelles les dessusdits Maistres Jean, & Pierre exposerent leur credences, qui fut telle; que mondit Seigneur le Duc de Bourgogne leur mandoit qu'ils allassent pardevers Messeigneurs les Cardineux excuser mondit Seigneur le Duc de sa longue demeure sor certains points; Premierement pour aucunes nouvelles qui estoient advenues en sa ville d'Anvers; secondement, parce qu'il ne vouloit point assister avec les dessusdits Cardinaux, ny estre en lieu ou ils estoient, jusques à ce que Monseigneur le Duc de Bourbon, Monseigneur le Comte de Vandosme, & Monseigneur le Comte de Richemont Connestable de France, Ambassedeurs du Roy pour la dite convention, seroient arrivés en la dite ville d'Arras; de la venue desquels estoit encor peu de mention; de sorte que Monseigneur l'Abbé, Monsieur l'Evesque d'Arras, & autres dessus nommée allerent pardevers lesdits Cardinaux exposer ce que dessus est dit, & Maistre Jean de Thoisy porta la parole, & luy, & le dit Maistre Pierre dirent, que quand Monseigneur le Duc de Bourgogne sceut que le dit *Cardinal de S. Croix fut arrivé à Lowain, mondit Seigneur le Duc, estant en sa ville de Bruxelles, envoya vers luy Maistre Jean l'Advantaige Prevost de Lille, & autres en sa compagnie, le prier qu'il luy pleut prendre son chemin par autre part, que par la dite ville de Bruxelles, parceque, non obstant que mondit Seigneur le Duc, eut moult grand desir de luy parler, neantmoins ne vouloit parler à luy, que jusques après la venue des susdits Messeigneurs de Bourbon, de Vandosme, & de Richemont, & ce, pour oster toutes notes, & suspicions.*

Pag. 12. Le sexieme jour dudit mois de Juillet, mondit Seigneur le *Cardinal de S. Croix* legat de nostre Sainct Pere le Pape, & en sa compagnie un Evesque de Portugal nommé en latin *Episcopus Bizatensis*, un Docteur en Theologie de l'Ordre de Sainct Augustin, & un nommé *Maistre Thomas Sarzanus; qui depuis fut Pape, & en sa papalité fut nommé le Pape Nicolas cinquiesme*, vinrent entre neuf, & dix heures en l'Eglise de ceans pour ouyr Messe; pour la venue du quel *Cardinal* on n'avoit point remis le Corps de Monsieur Sainct Vaast en son lieu à l'heure du matin, comme on avoit accoustumé de faire; Monseigneur l'Abbé, & le Couvent allerent audevant dudit *Cardinal* jusques à la grande porte de nostre Eglise, & quand on fut au cloistre, on commença à chanter la Respons, *honor, virtus*, & en chantant fut mené jusques au grand Autel, ou estoit le corps de Monsieur Sainct Vaast; après qu'il eut faict sa devotion, & beisé le fierte où repose ledit precieux corps, il retourna ès sieges du choeur, lesquels estoient parés *pour la reverence du dit Cardinal* de precieux draps d'or, où il ouyt la Messe, que chanta, & celebra Monseigneur l'Abbé de ceans, la dite Messe celebrée, il fit publier, qu'il donnoit à tous les assistans un an, & quarante jours de vray pardon; puis après le dit *Cardinal* alla en la Chapelle Nostre-Dame pour voir une table peinte qu'avoit faict faire nouvellement Monseigneur l'Abbé, & il prit grand plaisir à voir le peinture de la dite table, en le quelle Chapelle, le dit *Cardinal me recognut moy Prevost, & de sa benigne grace me baisa*; de la dite Chapelle, il alla en refectoir, & du refectoir ès salles de Monseigneur l'Abbé, qui estoient richement parées de draps d'or, & de haute lice, desquelles salles il descendit pour retourner à son hostel, & ne souffrit pas que Monseigneur l'Abbé, l'Evesque d'Auxerre, & l'Abbé de Sainct Corneille le convoiassent outre l'estable aux chevaux de Monseigneur l'Abbé, & au prendre congé il baisa doucement mondit Seigneur l'Abbé, & moy.

Pag. 14. Le vingtiesme jour dudit mois de Juillet, Monseigneur l'Abbé de ceans, Monsieur l'Evesque d'Auxerre & moy Prevost en leur compagnie allasmes pardevers le *Cardinal de S. Croix* en son hostel luy faire la reverence, & luy presenter les biens de nostre Eglise, & avec ce luy bailla mondit Seigneur Abbé une supplication faisant mention de la Messe de Nostre-Dame, que mondit Seigneur Abbé vouloit trasporter de l'Eglise Sainct Pierre en la Chapelle Nostre-Dame: au *Acta & Decr. Canon.*

dit jours, & à la mesme heure les susdits, & moy avec eux, visiterent le Cardinal de Chypre, le quel les receut tres-benignement, & leur dist que le *Cardinal de S. Croix*, & luy avoient receu lettres de Monseigneur le Duc de Bourbon, & autres, escrites à Rheims, per lesquelles ils mandoient qu'au bon plaisir de Dieu ils venoient à la convention.

CLASS. IV. Coronius Taberna.

B. Nicolai gesta in Conventu Atrebatensi.

Pag. 19. Le vingt-cinquiesme du mois de Juillet le *Cardinal de S. Croix* pour la reverence, & honeur du chef de Monsieur Sainct Jacques Apostre, vint en nostre Eglise de Sainct Vaast ouir le divin Office, & fut tout du long à la Messe que celebra Monseigneur l'Abbé de ceans, après la quelle Messe le dit *Cardinal* fit publier qu'il donnoit à tous les assistens cent, & quarante jours de vray perdon, & pour l'occupation qu'eut mondit Seigneur Abbé tant pour solemniser la feste du Chef de Monsieur Sainct Jacques Apostre, comme pour recevoir le dit *Cardinal de S. Croix*, n'alla point au devant desdits Ambassadeurs d'Angleterre; mais m'envoya moy Prevost en le compagnie de l'Evesque d'Auxerre, de l'Abbé de S. Corneille de Compiegne, & du Prevost de Sainct Omer.

Pag. 22. Le dit jour Monseigneur le Comte d'Estampes arriva en ceste ville d'Arras entre six, & sept heures du soir, le quel manda Monseigneur l'Abbé, Monsieur l'Evesque d'Arras, le Prevost de Sainct Omer, le Prevost de Sainct Donat, Maistre Philippes Mengart, Monsieurs le Gouverneur, & autres du conseil de Monseigneur le Duc de Bourgogne, le quel mondit Seigneur Comte d'Estampes accompagné des susdits Conseillers, alla pardevant le *Cardinal de S. Croix*, devant le quel Maistre Jean Ternant Conseiller de mondit Seigneur le Duc proposa en Latin, escusant mondit Seigneur le Duc de sa longue demeure, en luy declarant, que pour oster toutes suspicions, il n'avoit point intention de venir en sadite ville d'Arras, jusques à ce que les Ambassadeurs du Roy feroient venus, & arrivés.

Pag. 24. Le vingt-septieme jour dudit mois de Juillet, les Ambassadeurs du Roy d'Angleterre, c'est à scavoir le Comte de Suffolck, le Seigneur de Hungreffort, l'Archevesque d'Iorch, les Evesques de Sainct David, & Norwich, se trasporterent pardevers le Cardinal de Chypre à son hostel aux trois Leopards, auquel *le Cardinal de Saincte Croix alla de son hostel tout à pied, au quel le dit Cardinal de Chypre fit moult grande reverence, & pour aller au devant de luy descendit de sa haute chambre jusques à la porte du dit hostel tout en bas, & le mena en sa chambre où estoient les Ambassadeurs d'Angleterre, en luy faisant, & attribuant grand honneur, & reverence &c.*

Pag. 26. Le vingt-neufiesme jour dudit mois de Juiller, Monseigneur le Duc de Bourgogne arriva en sa ville d'Arras entre six & sept heures du soir, au devant du quel par reverence allerent tous les Prelats, Archevesque, Evesques, Abbes, & Docteurs qui estoient venus à la dite convention, tant ceux qui estoient venus en la compagnie du Cardinal de Chypre, comme du *Cardinal S. Croix*; mais les susdits Cardinaux demeurerent en leurs Hostels.

Pareillement allerent au devant de luy tous les Ambassadeurs qui estoient venus d'Angleterre le Comte de Suffolck, l'Archevesque d'Iorch, & autres Evesques, Prelats, & Docteurs. De sorte que mondit Seigneur le Duc entre en sa ville d'Arras moult noblement accompagné, de Princes, Ducs, Comtes, Barons, Chevaliers, & Escuyers en moult grand nombre, du Duc de Goeldres, & du Comte de Nassau; il entra par la porte de Miolans, *& alla tout droict descendre à l'hostel du Cardinal de Saincte-Croix luy faire la reverence, le quel estoit logé à l'hostel de Pierre de Canteleu.*

Pag. 40. Le cinquiesme jour dudit mois d'Aoust, parceque *le Cardinal de S. Croix avoit tres griefve maladie en son pied, & qui ne pouvoit aller si on ne le portoit*; envoya de ses gens pardevers Monseigneur l'Abbé de ceans, afin qu'il luy pleust de luy donner une chambre: car autrement il ne pourroit estre à la dite convention, la quelle chose luy fut ottroyée, & se fit apporter en la dite chambre entre midy, & une heure. Pareillement le dit jour le Cardinal de Chypre requist a mondit Seigneur Abbé, que quand il viendroit à la dite convention, qu'il peust avoir une chambre pour manger une piece de mouton, & dormir, & reposer sans y pernocter, au quel Cardinal pour ce faire fut delivrée la chambre du Prieur: *le dit Cardinal de Saint* Croix arrive a l'hostel de Monseigneur nostre Abbé, entre deux, & trois heures après disner, furent lesdits deux Cardinaux avec tous les Prelats, tant Archevesques, Evesques, Abbez, Docteurs qui estoient venus en leur compagnie pour estre à la dite convention, en la seconde Salle de Monseigneur l'Abbé, la quelle comme dessus est dit, estoit parée, & aornée tout autour de precieux draps, & riches, tant d'or, comme de haute lice, hatte à nt, & sur le pavement des beaux tapis de diverses couleurs en la dite Salle. *Il y eut un peu de question entre le deux Cardinaux pour la preeminence de leurs sieges, pourceque aucuns disoient que le Cardinal de S. Croix, qui estoit Legat de Nostre Sainct Pere le Pape devoit aller au dessus du-*

CLASS. IV. Antonius Taberna. B. Nicolai gesta in Conventu Atrebatensi.

dit Cardinal de Chypre qui n'estoit que Legat du Sainct Concile de Basle: la quelle question fut appaisée: car le dit Cardinal de Chypre se vint asseoir au dessous du-dit Cardinal *de S. Croix*, le quel un peu auparavant on avoit apporté de la Chambre de Monseigneur l' Abbé en la dite Salle, ou Monseigneur le Duc de Bourgogne vint pour assister à la dite convention, à la quelle ne furent François ny Anglois, mais seulement mondit Seigneur le Duc, accompagné du Duc de Gueldres, du Comte de Nassau, & de plusieurs Chevaliers, & Escuyers en grand nombre. Quand mondit Seigneur le Duc entra en la dite Salle, le Cardinal de Chypre se leva de son siege & alla à l' encontre de luy jusques à la porte de la dite Salle, *mondit Seigneur fit grande reverence audit Cardinal de S. Croix, le quel ne s' estoit point levé de son siege pour la maladie de son pied*; & puis mondit Seigneur s' assit dessus des deux Cardinaux, & le Duc de Gueldres qui vint un peu après, s' assit dessous Monseigneur le Duc de Bourgogne, le *Cardinal de S. Croix* presenta à mondit Seigneur des lettres de nostre Sainct Pere le Pape scellées en plomb, desquelles Monsieurs le Chancelier fit lecture, luy estant à genoux devant mondit Seigneur le Duc.

Pag. 48. Par ce que dessus est dit, peut apparoir, que les trois parties, c'est à sçavoir le Roy, Monseigneur le Duc de Bourgogne, & Henry Roy d' Angleterre furent conclus à entendre à bien de paix: dont plusieurs des assistans eurent grand joye, *mesmement aucuns disoient, que le Cardinal de S. Croix avoit dit, que pour la bonne conclusion on devoit avoir chanté, Gloria in excelsis Deo*.

Pag. 52. Le dit jour (huictiesme d' Aoust) Maistre Robert le Josne bailly d' Amiens, & Maistre Gilles Eruart Docteur en Theologie, vindrent excuser pardevers le *Cardinal de S. Croix*, les Ambassadeurs d' Angleterre, de ce qu' ils ne pouvoient estre n' y assister par devers les susdits Cardinaux, pour l' occupation qu' ils avoient d' aller à l' encontre desdits Comtes de Sainct Paul, & de Lingny.

Pag. 54. Le dit jour entre sept, & huict heures après que Monseigneur le Duc de Bourgogne fut sorty d' avec les susdits Cardinaux, & qu' il estoit en la chambre d' en bas, *Madame la Duchesse de Bourgogne vint visiter le Cardinal de S. Croix, au quel elle parla assez longuement, & puis elle retourna à son hostel*.

Pag. 65. Le vint-troisiesme jour dudit mois, le dit Cardinal d' Angleterre vint à l' hostel de mondit Seigneur le Duc, et Madame la Duchesse de Bourgogne, la quelle estoit sa niepce; & dudit hostel entre trois, & quatre heures du Vespre vint ceans visiter le *Cardinal de Sainct-Croix*, du quel lieu alla pareillement visiter le Cardinal de Chypre,

Pag. 69. Le vint-neufiesme jour dudit mois, le Cardinal d' Angleterre fut au lieu de la dite convention, où estoit le *Cardinal de S. Croix*, mais le Cardinal de Chypre n' y estoit point encore venu, & quand il eut parlé audit *Cardinal de S. Croix*, il s' en retourna à l' hostel de Monseigneur le Duc Bourgogne, où il fut honorablement receu, & puis retourna à son hostel, & disoit on publiquement le dit jour que le dit Cardinal d' Angleterre avoit pris congé de Monseigneur le Duc, pour retourner en son pays, & que l' accord de la paix estoit failly entre les Ambassadeur de France, & d' Angleterre.

Pag. 71. Le dit jour (deuxiesme Septembre) Monseigneur le Duc, & lesdits Ambassadeurs de France entre neuf, & dix heures du soir, furent au lieu de la dite convention jusques à douze heures de nuict, *mondit Seigneur parla longtemps au Cardinal de S. Croix, & pareillement parlerent lesdits Ambassadeurs de France, au dit Cardinal*.

Pag. 76. Son propos finy, les Cardineaux parlerent aux Evesques, & Abbez illec assistans venus en leur compagnie, & puis Monsieur le *Cardinal de S. Croix* leur dit qu' ils estoient venus sur le temps qu' ils estoient sur le point de rendre leur sentence.

Pag. 83. Le quatorziesme jour dudit mois de Septembre qui fut jour de la S. Croix, le dit *Cardinal du tiltre de S. Croix* descendit de son hostel où il estoit logé, c' est à sçavoir en la chambre de Monseigneur l' Abbé, & vint ouyr Messe à l' Eglise, à quelle Messe, & devant icelle fut, & assista jusques à ce que la dite Saincte Croix fust adorée, & remise au milieu du Choeur où on a accoustumé chacun an au dit jour de la mettre, & après qu' il eut devotement adorée fut jusques en fin de la dite Messe avec le dit *Cardinal* un Evesque de Portugal, qui estoit venu en sa compagnie avec plusieur autres notables clercs tant en Theologie, comme en Decret, après la quelle Messe ledit *Cardinal* donna la benediction, & avec ce à tous les assistans cent, & quarante jours de vray pardon.

CLASS. IV. Antonius Taberna. B. Nicolai gesta in Conventu Atrebatensi.

Pag. 100. Le Vendredy vingt-troisiesme jour dudit mois Monseigneur le *Cardinal de S. Croix* fut en l' Eglise de ceens, où il ouyt la Messe du Sainct Esprit, la quelle chanta Monseigneur l' Abbé, apres la quelle Messe nous allasmes tous par devers luy, le quel en addressant ses paroles *a moy Prevost, dit, que nous estions une belle compagnie, en nous regratiant de la bonne chere, & amiable reception qu' il avoit eu en cette Eglise, en nous offrant que si nous avoiesmes affaire de luy il seroit prest de faire, & accomplir ce de quoy nous le requerirsmes*.

Pag. 103. Le vingt-septiesme jour dudit mois de Septembre Monseigneur le *Cardinal de S. Croix* qui avoit esté logé en la chambre de Monseigneur l' Abbé, depuis le cinquiesme jour d' Aoust, jusques au dit jour; partit de la dite chambre, & s' en retourna à son premier hostel, c' est à sçavoir à la maison de Pierre de Canteleu, nommé l' Esturgeon: après qu' il fut logé en la dite chambre sept semaines, & quatre jours.

Pag. 108. Le premier jour d' Octobre qui fut jour de la translation de Monsieur Sainct Vaast, Monseigneur le *Cardinal de S. Croix* fut à la grand Messe en l' Eglise de ceans, accompagné de l' Evesque du Royaume de Portugal, & autres Docteurs, qui estojent venus en sa compagnie.

Pag. 109. Le Mecredy cinquiesme jour du dit mois, le dit *Cardinal de S. Croix* se partit de cette ville, entre neuf, & dix heures du matin, *la quel fut convoyé par Messeigneurs le Duce de Bourgogne, & de Bourbon, & plusieurs Prelats, Chevaliers, & Escuyers*, & tint le dit *Cardinal* son chemin pour aller en la ville de Cambray.

VIII.

ANONYMUS COÆVUS (a)

ANONYMUS COÆVUS.

In Historia MS. Galliæ.

Ex Cod. MS. Reginæ Suecorum 016.

EN la dicte année mil quattre cent trente & cinq durant le dessus dit siegue de saint Denys fut jour assigné pour comparoitre en la Ville d' Arras pour traiter de la paix entre le Roy de France Charles VII., & Henry Roy d' Angleterre, & Philippe Duc de Bourgogne, au quel jour assigné fut la dicte paix traictée moult haultement, & honurablement, tant de gens d' Eglise, que de siecle; Et principalement nostre Sainct Pere le Pape desirant la paix & union entre les dictes parties, *envoya pour Ambassadeurs un bon preudhomme Chartreux Cardinal de la Sainct-Croix*, avec luy le Cardinal de Chypre, six Evesques, & plusieurs autres gens de conseil &c.

IX.

OLIVERIUS DEMARCHA (b)

OLIVERIUS DE MARCHA.

In Memoriis suorum temporum Cap. III.

Pag. 91. edit. Gulielmi Bruxellis Anno Domini 1616.

OR ainsi termina cest accident, & ceste pestilence, qu' après avoir guerroyé environ vingtdeux ans, le Pape Martin envoya en France ses Legats & ses Ambassadeurs, & principalement le *Cardinal de S. Croix*: qui tellement labourarent, & prouffiterent en ceste matiére, qu' une journée fut prise & acceptée de toutes les parties, au lieu d' Arras, en Artois: à la quelle journée, par la grace de Dieu, fut trouvée la paix, la traité, & l' appointement: qui me sont les choses dessusdictes declairee & escrire. A celle convention & assemblés, faicte à Arras, pour le Pape, & le Sainct Concile de Basle furent les *Cardinaux de S. Croix*, & de Cypre, & autres: &c.

X.

ROBERTUS GAGUINUS (c)

ROBERTUS GAGUINUS.

Annalium Rerum Gallicarum Lib. X. Cap. II.

Pag. 216. edit. Francofurt. Anno Domini 1577.

JAm enim intercesserant collocutiones componendæ pacis, conveneratque, ut ad diem prædefinitum legati Attrebatum mitterentur, reconciliationis faciendæ potestatem habentes. Quamobrem anno salutis 1435. Atrebati pacis tractatores consedere. Inprimis affuit *Cardinalis Sanctæ Crucis, Romanus Legatus ordine Carthusiensis Nicolaus nomine*: Cardinalis Cyprius, quos

(a) Annonymi Chronicon habetur in Cod. Bri. Bibliothecæ Serenissimæ Suecorum Reginæ, quæ nunc Alex. VIII. Pont. Max. munificentia extat in Vaticano. Anonymus vivebat A. D. 1488., ut patet ex postremis ejusdem Chronici verbis.

(b) Oliverius De Marcha e comitatu Burgundiæ oriundus, Vir primæ nobilitatis, diu vixit in aula Philippi Boni, & Caroli Audacis Burgundiæ Ducum, in quam receptus fuit paulo post Conventum Atrebatensem, ut ipsemet testatur pag. 103. Obiit A. D. 1501. Vide Valerium Andream Bibliothecæ Belgicæ *Part. II. p. 302. edit. ultimæ*.

(c) Robertus Gaguinus primam Annalium suorum editionem adornavit Parisiis an. Domini 1497. Obiit vero an. D. 1501. Vide Jacobum Le Long. *num.* 7502.

CLAS. IV. Robertus Gonguinus.

quos Episcopi sex comitabantur, & Abbas Vesalzus. Caroli oratores fuere Borboniorum Due, Comes Richemontus Conestebilis, Remorum Archipræsul Cancellarios, Viedocinensis Comes regii hospitii primerius Magister, Christophorus Hasicortus, Adam de Cembray parlementi Senatus primerius Præses, Guillelmus Quadrigarius parlementeos consul, Ecclesiæ Parisiensis Decanus, & alii permulti, ex Francorum nobilitate non obscuri. Nec defuere Britonum Ducis, Alenconiique, & Barri oratores. Anglorum legationis hi principes convenerunt, Cardinelis Vicestrensis, Eboracensis Archiepiscopos, Comites Hoovitonus, & Suffortus, & nonnulli ex dignitete Ecclesiastica viri, cum permoltis Angliæ nobilibus. Burgundionum Ducis hi primores fuisse treduntur. Leodios, Cemereocesium, & Atrabatensium Antistites, Nicolaus Reusinus Ducis Cancellerius, Gheldrensis, Stempensis, Sancti Peoli, Veodemotensis, Niverneosisque Comites, & alii inferioris nominis proceres, quorum frequens eometus erat, præter Fleodreosiom oretores. Confidentibus, pacis gratie, cujusque pertie legatis; *tametsi Sanctæ Crucis Cardinalis plurimum eniteretur*, Irritatos præteritis bellis eoimos, ed concordiam pacemqoe ducere: nulla ratione Aeglorum pertieeciam flectere potuit, ot com Carolo Francorom Rege pacisoerentur. Sed concilio abierunt re infectæ, promittentes, se alia alique die conventurot. Absentibus Anglis *Cardinalis* non propterea coeptum prætermisit: de Burgundi com Carolo reconciliatione mox afferens mentionem. Qoæ res, sicut grata oratoribus fait, ita finem hebuit optalam.

XI.

NICOLAUS GILLES.

NICOLAUS (*a*) GILLES

In Annalibus Franciæ.

An. 1431.

ET y vint de par *le Pape, & agent on bon prud' homme Chartreuo, qui estoit* Cardinel du Tiltre de Saincte Croix, & autre autres estoit avec le dit *Cardinal* de Saincte Croie un solemnel Maistre en Theologie Thomas de * *Susanne*, qui tost après fut seu Evesque de Boulogne, après fut Cardinal, & depois après le mort du dict Pepe Eugene fut elu Pape, & nommé Nicolas.

Sarzana.

XII.

JOANNES DES COURTILS.

JOANNES (*b*) DES COURTILS

In Mari Historiarum, & Chronicorum Galliæ.

fol. CXXXVI.

EN ce mesme temps 1435. & pendant le siege de Sainct Denys; dont dessus est faicte mention, fut pris journée pour traicter le paix eo le Ville d'Asres entre Charles Roy de France d'une partie, & Henry Roy d'Angleterre; & Philippe Due de Bourgogne d'aultre part. Au jour assigné fut le dicte paix traictée moolt haultement taot de gens d'Eglise, comme de siecle. Et principallement nostre sainct pere le Pape desirant mettre bonne paix, union, & concorde entre les dictes parties y envoye pour ambassade *on bon preud homme* Chartreox, *qoi estoit* (*c*) *Cardinal de Chypre &c.*

fol. CXXXVII.

Pour trajcter de la quelle paix an devant de la dicte assemblée, *avoit grandement pené & travaillé son corps le dit Cardinal, qui estoit legat du Pape* en cette partie, & evoit esté par diverses journées par devers les dit Roys de France, & d'Aegleterre, & pareillement devers le Duc de Bourgogne, *esquels voyages il avoit grandement despendu du sien; mais de ce ne luy chaloit fort, qu'il peust estre moyen de trouver paix, & ycelle mettre avec charité entre ycelles parties.*

Acta & Decr. Canon.

XIII.

CLAS. IV. Guilielmus Paradinus.

GULIELMUS (*d*) PARADINUS

Annalium Burgundiæ.

Lib. III.

Pag. 761.

APprochant le mois de Juillet assigné pour l'essemblée du Parlement pour le peix vindrent à Arras daux Cardineox, l'un envoyé per le Pape, l'eotre per le Coecile de Basle: & evec eux vindrent plusieurs notebles Ambassadaurs de diverses nations. De le part du Pape estoit venu *le Cardinal de S. Croix*, & evec luy l'Archidiacre de Mets, & eucuns Docteurs Theologiens: Et dele part da Concile, le Cardinal de Chypre, & avec luy l'Evesque d'Ache, & un Docteur nommé maistre Nicolas Ambassadeur du Roy de Pologne: Et de le part du Duc de Milen l'Evesqoe de Albingue &c.

XIV.

JOANNES BUCHET.

JOANNES (*e*) BUCHET

In Annalibus Aquitaniæ.

An. 1435. Pag. 251. edit. anni 1664.

AU dit eppointemente se trouverent pour le Roy de France Carles Duc de Bourbon: & pour le Pepe *Eugene*, le Cardinal de Saincte Croix, *homme de Saincte vie, Chartreuo de profession, comme escrit Platine &c.*

XV.

FRANCISCUS DE BELLEFOREST.

FRANCISCUS DE (*f*) BELLEFOREST

Annalium Franciæ Lib. V.

Cap. XCVI.

An. 1435. Tom. 2. pag. 108. edit. Paris. An. 1579.

SUr-seeance d'armes eteot donnée entre le François, & Bourgoignons comme le jour fut essigné eu mois de Iuillet, & la quinziesme d'Icelay y vindrent eussi de la part de Pape Eogene le *Cardinal de S. Croix*, qui estoit *Chartreuo* de profession &c., & encor evec le *Cardinal de Saincte Croix* vint un grand, & docte personnega Docteur en Theologie, eommé Thomas de Serzenne qoi fut depuis Evesque de Boulogne la Gresse, puis Cardioel, & enfin Pape, & nommé Nicolas.

Pag. 109.

Le Conseil se tenoit en Monester de Sainct *Vaast*, *ou le Cardinal de S. Croix fit une belle, & docte harangue exhortant les Princes à la paix, & admonestant les deputez de la poursuivre sans animosité, & de se proposer l'honneur de Dieo, & son service, la salut des ames des grandes, & l'allegeance, & repos du peuple.*

Idem in Historia Novem Carolorum Franciæ Regum Libro III.

B. Nicolai gesta in Conventu Atrebatensi.

Pag. 214.

EUgene Pape qui avoit succedé à Martio, le quel mourût l'an 1431. marry ao possible du mal'heur, & calamité de ces deue peuples, s'essaye d'y mettre la paix. Et pour cest affaire envoye aue deue Roys le *Cardinal du Tiltre S. Croix* pour les inciter à concorde. Et quoy que le *Cardinal* trouvast le Roy Charles prest à toute raison, si est-ce que l'Anglois faisoit de si excessives damandes que la paix, & espesance d'icelle s'esvenouit. *Toutesfois travailla tant le Messager du Pape que les Roys feirent trefues marchandes pour six ans.*

Pag. 226.

Or durant ce Concile furent envoyez deux Cardinaox par le Pepe Eugene, en France, Bourgogne, & Angleterre, pour traicter, & conduire à fin le paix entre ces trois maisons. Et fot esleo le lieu pour le pourparler, & assemblées des deputes des Princes à Arras. Et pource qu'Eogene vouloit gaigner ces trois grands seigneurs pour eppoy de se ceuse eo Concile, esseyoit-il & hastoit la besongne de l'accord delayant le reste: pource que ces Princes estoient des principaux de la Chrestienté & comme les eppuys d'icelle. Et o'y

V x east

(*a*) Nicolaus Gilles Ludovici XI. Regis Francorum e secretis obiit eo. D. 1503. teste Jacobo Le-Long. in Bibliotheca Galliæ n. 7433.

(*b*) Chronici hujusce auctorem fuisse *Joannem des Courtils* affirmat cl. Le Long. in Bibliotheca Historica Galliæ pag. 388. num. 7554. Duæ ipsius editiones habentur: nos posteriori usi somus, quæ prodiit Parisiis A. C. 1518., quæqoe extat io locupletissima Corsinorum Principum Bibliothece. Vixit *Joannes* sub Francisco I. invictissimo Galliarum Rege, cui opus suum inscripsit.

(*c*) *Qui estoit Cardinal de Chypre*. Egregie fallitur *Joannes*, nam duos Cardinales Legatos, qui Conventui Atrebatensi interfuerunt in unum confudit, B. nempe Nicolaum Cardinalem S. Crucis, & Hugonem Lusignanum Cardinalem S. Clementis, quorum alter ab Eugenio Papa IV. alter vero a Concilio Basileensi Atrebatum missus fuerat. Quapropter ea quæ hic refert B. Nicolao tribuenda sunt, qui Titulo S. Crucis in Hierusalem insignitus fuit, & Carthusiensem Ordinem professus.

(*d*) Paradinus Annales suos vulgavit Lugduni apud Antonium Gryphium A. D. 1566.

(*e*) Joannes Buchet Annales suos primum edidit Pictavii A. D. 1524. in fol. Le-Long. pag. 777. n. 15129.

(*f*) Franciscus de Belle-forest obiit Parisiis die prima Januarii an. D. 1583. Vide Jacobum Le-Long. pag. 950.

CLASS. IV. Franciscus de Belle Forest.

eust presque Prince Chrestien qei ne se meit en devoir de mettre à fio ceste guerre. Assemblez qee furent les deputez, poerce que le principal dela matiere consistoit eotre le France, & Anglererre, fureot ptopolez par les Anglois articles si exorbitans, & pee raisonnables, qee chacuo cogneut apertement le peo desir qe' il avoit dela paix. Les gene commis par le Roy leus offrirent la Normandie, & partie de Goieane, reservant les hommages seolement au Roy comme souverein. Mais tous ces offres ne servirent de rien. Aiosi fur rompu le poerparler de ce costé, & s'en allerent les Anglois, ayant plustost prie joor à autresfois pout en traicter plus amplement. Restoit le Bourguignon qui estoit present ae traicté, taot poar estre plus affectionné à la paix que l' Anglois, que pour estre Arras près de ses terres, & seigneories. Or les *Cardineaux de S. Croix* & de Chipre veoyans qe' ils n'avoyent profité à l' eodroit de l' Anglois, proposerent au conseil premierement le faict dela foy sur la reduction de Boesmee; la reformation de l' Eglise, & l' enion dee Princes: à la quelle ayans failly d' ene part, prierent fort instamment les François & Boorgoignons dooner ouverrere, & faire conclusioo en ce qei touchoit leurs charges seloo le volonté de leus Seigneers & Maistres. Après plusieurs propos debatus, Nicolas Raoulio Cancelier de Bourgogne requis de proposer parla en ceste maniere: assistant la Duchesse femme do deffunct Iean, & Philippe lors Due de Bourgogne.

Pag. 112. C'est l' occasion poer quoy aussi nostre Roy a basty les coloones de son Royeume sur le fondemeot & plan de pieté & justice, à fia que sa fatale verte se rende admirable en la suite de deox telles perfections, & establisse son Royaume d'on cimeot si bon & ferme que jamais le bastimenr en soit, & demeure sans estre empiré. Car bien qo' il y ayt qoelqee changement si est-ce que la verte retiendra son heur, comme elle feit du temps de ee bon Cherles septiesme, le quel arresta, & confirma la paix jurée à Arras. *Cest accord sembla apporter la ruine & dimioution des affaires, & bon heur dr Anglois en France*, vee qoe ser le point d' iceluy, comme le vray pronostique des mal' heors advenuee, deceda à Rouco le Dec de Bestorth regent pour l' Anglois.

XVI.

JO. FRAN. CISC. LE PETIT.

JOANNES FRANCISCUS (*a*) LE PETIT,

Magni Chronici Hollandiæ, Zelandiæ &c. Libri IV.

B. Nicolai gesta in Conventu Atrebatensi.

ET comme entre tant de Princes Chrestiens il n'y en avoit pas un qui sceut troever les moyens d'eppayser ces princes & Roys, combien que tnes deplorassent assez les miseres de le France. En fin Dieu ayant pitié de son people, y voulant donner qeelque relache

Tom. I. pag. 313. *sasrita un moyenneur de paix: assavoir Dom Louys de Bar yssu* du costé meternel de la maison Royale de Fraoce &c. qui *s' estant depaie s' eqarsir du monde, & rendu Chartreas*, qee le Pape Martin avoit fait Cardinal de Cypre. Ce noble & religieux persoaage entendaot la perdition, & ruine du Royaume de France (dont al estoit natif) prie Dieu vouloir avoit pitié de son paure Peeple tant afflige....... Tant qu'en fin ao Concile de Basle par le Pape Eugene à l' instaoce dudit Dom Louys de Bae...... fut mis fur le bereae, poer estre decidé en une journée, & convoeation, qui se devoit faire de part & d' aorre en la Ville d' Arras. Ou se troeverent de la part du Concile & du Pape *le Cardinal de Saincte-Croix Legat du siege Apostoliqat &c.*

Toea ees Priuces, & Seigneor s' assemblerent en le dite Ville d' Arras le jour de S. Michel 29. de Septembre 1435. Et arresterent que toue le differente qui seroyeot là mis en avant demeureroyent è la determination *du-Legat* eu nom du Concile, & de Pape, & des eutras Ambassadeur là congregez, & deputez par leers Prioces. Et qe' a ees fins les delegura de la part de Roy de France, & du Daulphin son fils, comme deffendeurs coulpables, & convaincus presenteroyent par escrit leors offres touchant la repetation pretendue del' homicide commis en la personne du Duc Jeen de Bourgogne Pere de Philippes. Et d' aetre part que le Duc Philippes demendeur en la mesme matiere eshiberoit aussi par escrit ses fins, & conclusions teadantee à la dite reparetion, lesquels ainsi de part, & d' autre coechez sur le bureau *seroyent remis sur l' arbitrage du dit Legat*, & Ambassadeurs, les deputez du Roy, & do Daulphin de Frence, firent offre au Roy d' Angleterre de luy quitter la Duché de Normandie à la tenir eo Fief de la couronne de France, d' où elle estoit yssee, & de l' ancienne appeonage d' icelle; & moyennaat ce le Roy d' Angleterre restiteeroit ae Roy de France toutes les villes Fortereffes, & chesteaea qo' il avoit conquis ser loy en guerres dernieree: de ce se submettans audit *Legat*, & Ambassedeurs. Les Anglois ne vooluredt en maniere quelcooque accepter ces offres, insistens à ce qoe leur Roy demeureroit Roy de Fraoce, tant en vertu de l' accord, & traité de mariage dont nous evons parlé cy devant, que de ce qo' ils evoient conquis per le droit des ermes, ayans presqee gagné toute le France. Les deputea François s' y opposerent de tout poinct, & parainsi les Anglois s' apprestoent pour se retirer & *le Legat* entendant l' inteation de leur retraite, les fit arrester, & leur assigner jour; mais ils n' en tindrent compte, & ne voulurent point comparoir, parquoy ils furent excommeniee, eggravez selon les droits Canoniqeet, dont ils appellerent ae Concile; disans qu' ils vouloyent avoir pareillement ane declaration par escrit des offres, & propositions du Roy de Frence, pour les communiquer à leur Roy en se presence: ce qu' ils disoyent pour avoir escese de retirer, s' asseurans bien qe' en leur absence, & sans eux le Due de Bourgogne treiteroit nulle paie eyans leer Roy, & le dit Duc, comme nous evons dit cy devant, promis l' un à l' autre de ne jamais accorder ny faire paix avec le François, que ce ne fut du consentemeot mutuel d' eux deux.

CLASS. IV. Jo. Franciscus Le-Petit.

B. Nicolai gesta in Conventu Atrebatensi.

Le Dec les voyans partys de l' assemblée se voolut pareillement retirer. *Le Legat, & Ambassadeurs entendans les apprestrs de son departement, le prierent d' attendre encore quelque peu: la retraite estant differée pour ce jour, le lendemain ils retournerent pardevers luy, le prians, & obtestant sur toutes choses sainctes, & sacrées de vouloir imiter en cela l' exemple de nostre Seigneur Jesus Christ (le quel pendant à l' arbre de la Croix prioit pour ceux là mesmes, qui le crucifierent) & partant qu' il voulut pardonner la mort de son Pere, luy allegnant beaucoup de raisons, par les quelles il luy demonstroyent, qu' avec bonnet, & saine conscience il le pouvoit faire, ce qu' il ne devoit pas differer, & à quoy l' alliance faite avec les Anglois ne le pouvoit ny devoit empescher: considéré les belles, & grandes offres, que le Roy de France luy avoit faites. Davantage le Legat au nom du sainct Concile, & du Pape luy promettoit de l' absoudre, & dispenser du serment, & de l' alliance, qu' il avoit fait avec les Anglois*. Noo obstant toutes cea remonstrances, & obtestations le Duc demeorant ferme en sas propos, Madame Elisabeth sa femme les larmes aux yeue se jetta à ses pieds le priant pour l' amour de Dieu voeloir entendre aue bonnes, & salutaires exhortations, qei luy estoient faites, & de vooloir oublier le vangeance, qe' il s' estoit tant imprimé en l' esprit de le mort de son Pere. Le Duc ayaar le coeur pleio d' amertome releva sa femme par la main, tousjours se complaignaot d' un tant execrable meertre, & tousjours perseverant en son opinion, ne voulut, qu' on luy

(*a*) Joannes Franciscus Le-Petit vir scientie rei militerie non ignobilis priorem Chronici sui Tomem absolvit A. D. 1598., at pater ex epistola noncupatoria eidem præmissa; ex qua etiam constat ipsum opus hujusmodi conflasse ex antiquioribus Chronicis Germanica, ac Belgica lingue conscriptis. At Petitus, seo antiquiores illi Chronographi Germani, & Belgæ, quos ipse consuleit, meras nugas aguat, dum *Ludovicum* Barri Ducem S. R. E. *Cardinalem dicunt Tit. S. Crucis in Hierusalem*, ipsumque abdicato Sæculo *Carthusianorum* Regulam professum somniant, neqee hie contenti eum cum Hugone Lusignano confundentes, *Cardinalem Cypri* nuncupant, ac Conventui Atrebatensi interfuisse affirmant. Meræ quidem nugæ, ac somnia. Etenim *Ludovicus* oonquam *Carthusiense* institutum professus est, neque *Tit. S. Crucis in Hierusalem* insignitus: sed primo eum in Sacrum Collegium cooptatus fuit a Benedicto XIII. Pseudo-Pontifice *Diaconiam S. Agathæ* consequutus est, inde presbyter factus *Tit. obtinuit SS. XII. Apostolorum*, e quo tandem ad *Portuensem Episcopatum* evectus fuit, ut diximus in notis ad Epistolam VII. Martini Papæ V. Quod vero Conventui Atrebatensi interfuerit, id omnino falsum est; nam qui fieri potuit ut Ludovicus huic Conventui interfuerit, qui qeinquennio anteqoam Conventus indiceretur supremum diem obierat? Siquidem Ludovicus mortuus est die 23. Mensis Junii an. 1430. ut patet ex Epitaphio quod volgavit Cieceonius Tom. II. *col.* 740., & ex antiquitatibus Galliæ Belgicæ Richardi Vassebargii Archidiaconi Virdunensis, quas laudat Cl. Calmetus Tom. II. *Hist. Lotharingiæ pag.* 760. Verum David Blondellus in Notis mss. quas apposuit ad Historiam Genealogicam Ducum Barri a Cl. Du-Chesaio conscriptam *pag.* 19. hujusmodi Epitaphium laudans, quod Virduni extat in Ecclesia Cathedrali, legit: *& Julii*, non Junii, et Nomeaclator Cardinalium & Ciacconius, *tempora mensis errant*; quam lectionem etiam confirmant Sammarthani Fratres *Galliæ Christianæ Tom.* III. pag. 1191. *edit. primæ* in Episcopis Virdunensibus. Blondelli Notæ mss. autographæ in singulas fere Historias Genealogicas a Cl. Du Chesnio editas extant in amplissima Bibliotheca Josephi Renati Cardinalis Imperialis, cui nunc præsum beneficio BENEDICTI XIV. PONT. MAX. Ludovici Cardinalis Testamentum vulgavit Cl. Calmetus in Appendice monumentorum Tom. II. *Hist. Lotharingiæ pag.* DCXXXVIII. quod *datum & actum fuit in Villa de Varrenes die Mercurii vigesima Mensis Junii Anno D.* 1430.

CLASS. IV. Joann. Franciscus Le Poen.

luy en parla plus. Et comme tous ces Seigneurs voyent, que ny par remonstrances ny par prieres, on ne luy sçavoit flechir le coeur. Finalement le *Legat*, & le Cardinal de Cypre se mirent en pied au milieu de tous ces Princes, & Ambassadeurs, & dirent tout hault, & à l'oeil ouvert au Duc. *Monseigneur nous vous avons priez, & vous nous avez mesprisez, nous sommes venus vers vous pour vostre salut, vous ne nous avez point voulu ouyr, & nous avez rejettez: maintenant nous vous disons, que si vous n'obtemperez à nos requestes, & commandement, nous procederons alencontre de vous (en vertu, & authorité du Sainct Siege, au nom du quel nous agissons au fait present) comme contre un fils rebelle, & desobeissant à nostre mere Saincte Eglise, & vous maudirons avec toutes les execrations, excommunications, & anathematisations, qui nous sera possible.*

Le Duc oyant ces propos se trouva fort perplex, & en grand angoisse, ne sachant comment il en useroit pour le respect dell'aliance, qu'il avoit avec les Anglois. D'autre costé il considroit les grandes offres, que le Roy de France & le Daulphin son fils luy avoyent faicts pour reparation de le mort de son Pere, qui le mettoit en telle anxieté, & perplexité, qui ne sçavoit ce qu'il davoit faire ny dire. En fin aprés, que par ses souspirs & sanglots, il eut esmeu tous les assistens à larmes, & à se contrister avec luy, chacun tenant la teste baissée, il demanda avec un profond souspir aux Cardinaux. Si par honneur, & en saine conscience il pouvoit particulierement traiter quelqu'accord de paix avec le Roy de France, sans y attendre le consentemant du Roy d'Anglaterre. A quoy luy fut respondu *qu'il se pouvoit librement faire; & qu'au nom de l'Eglise universelle ils l'en absouldoyent de tout poinct, par lettres, & bulles autentiques seellées de leurs seaux: & le deslioyent de toutes promesses & obligations qu'il avoit avec le Roy d'Angleterre; veu que les Anglois demeuroient opiniatres, & ne se vouloyent reconcilier, non contens de tant, & de si grands, & sompteuses presentations qu'on leur avoit faites.*

Quoy ou le Duc sa submit à ce, que les dicts Seigneurs *Legat*, Prelats, Ambassadeurs, & autres Seigneurs trouveroyent raisonable leur donnant plein pouvoir, & authorité de passer plus outre, & de proceder au traicté d'une bonne, & ferme paix, dont toute l'Assemblée le remercia; louans Dieu d'avoir acheminé cest affaire josque à ce poinct.

XVII.

EXCERPTA EX TRACTATU ATREBATENSI

EXCERPTA EX TRACTATU ATREBATENSI.

Inter Carolum VII. Francorum Regem, & Philippum III. Ducem Burgundiæ.

A. D. 1435. Dumont Corps Diplomatique To. II. Pag. 310.

QU'en ladite Ville de Monstreau, ou au plus prés d'icelle, que faire se pourra bonnement, sera fait, construit, & institué par ledit Roi, & à ses frais, & dépens, une Eglise, Couvent P. II. de Chartreux, c'est à savoir, pour un Prieur, & douze Religieux, avec les Cloitres, Salles, & Refectoire, Grange, & autres Edifices, & Monastere, qui lui seront necessaires, & convenables, & lesquels Chartreux, c'est à savoir le Prieur, & douze Religieux, seront fondes par le Roy, & de bonnes rentes annuelles & perpetuelles, & bien amortiers suffisamment & convenablement, tant pour le vivre desdits Religieux, & entretenement du divin service, comme pour les soutenemens des Edifices du dit Monastere, & autrement jusqu'à la somme de huit cens livres parisis par an de revenue, à l'Ordonnance, & par l'avis *de tres-Reverend Pere en Dieu Monseigneur le Cardinal de S. Croix, ou de celui, ou ceux qu'il voudra à ce commettre.*

VII. Que sur le Pont de Monstreau au lieu, où fut fait ledit mauvais cas, sera faite, edifiée, & bien entaillée, & entretenue à toujours aux dépens du Roy, une belle Croix de belle façon, & ainsi qu'il sera divisé par le dit *Monseigneur de S. Croix, ou ses Commis.*

VIII. Qu'en l'Eglise des Chartreux les Dijon, en laquelle gist & repose à present le corps dudit feu Monseigneur le Duc Jean, sera fondée par le Roy, & ses descendans, une haute Messe de *Requiem*, qui se dira chacun jour perpetuellement au grand Autel dela dite Eglise, à telle heure qui sera divisée. Et laquelle fondation sera donnée, & assignée de bonnes rentes amorties, jusqu'à la somme de cent livres parisis de revenue par an, & aussi garnie de calices, & ornemens, comme dessus.

IX. Que lesdites fondations, & edifices, seront commencées à faire la plûtôt, que bonnement faire se pourra. En special commencera-t-on à dire & celebrer lesdites Messes, incontinent après ledit Accord passé. Et au regard des edifices qui se doivent en ladite Ville de Monstreau, ou plus près d'icelle faire, on y commencera à ouvrer dedans trois mois après que ladit Ville sera reduite en l'obeïssance du Roy, & continuera-t-on diligamment sans interruption, que iceux edifices seront tous parfaits & achevez dedens cinq ans après ensuivans: & quant aux dessusdites fondations on y besognera sans delai le plûtôt que faire se pourra. Et pour ces causes tantôt après ledit Accord passé, sera faite & assignée la haute Messe aux Chartreux de Dijon, dont dessus est faite mention, avec ce qui en dépend; c'est à savoir, de livres, calices, & autres choses à ce necessaires, & aussi y sera dite, & celebrée aux depens du Roy, la basse Messe quotidienne, qui doit être fondée en l'Eglise de Monstreau, si-tôt quelle sera reduite en l'obeïssance du Roy, & au surplus touchant les edifices, & fondations, qui se doivent faire en la Ville de Monstreau, & aupres d'icelle, de la part du Roy sera mise dedans lesdits trois jours après qu'icelle Ville sera reduite en l'obeïssance du Roy és mains d'icelui, ou ceux que y voudra commettre Monseigneur le *Cardinal de S. Croix*, certaine somme d'argens suffisant pour commencer à faire lesdites ouvrages & edifices, & acheter les calices, livres, & ornemens, & autres choses à ce necessaires, & convenables. Et d'autre part seront lors aussi avisées, assises, & délivrées les rentes dessus declarées montans pour le dit lieu de Monstreau huit cent livres parisis par an, bien revenans, seurement amorties, & assises au plus prés que bonnement faire se pourra dudit lieu de Monstreau, sans y comprendre les cent livres parisis de rente qui doivent êntre assises: pour la fondation dela dite haute Messe des Chartreux de Dijon &c.

CLASS. IV. Excerpta tractatu Atrebatensi.

Donné en nôtre Ville d'Arras le 21. jour du mois de Septembre l'an. 1435. *Ainsi signées*, par Monseigneur le Duc de Bourgogne en son Conseil.

XVIII.

PETRUS SUTOR (a) GALLUS

PETRUS SUTOR.

De vita Carthusiana Lib. II. Tract. III. Cap. VII.

Pag. 193. edit. Coloniæ.

NIcolaus *Albergatus* ex insigni familia natus, *Cardinalis S. Crucis*, & Bononiensis Ecclesiæ Præsul: humanarum, divinarumque rerum cognitione mirum in modum ornatus, sanctimonia præcipuus, fama perecelebris post primæ ætatis florem mundi oblectamenta deseruit, & vias Domini duras ingressus, Carthusianum ordinem professus est. In quo quidem cum annos aliquot laudabiliter exegisset, multis dignitatibus (licet refragans, ac enixissime reluctans) donatus est. Quas consecutus, *diligentissime studuit pristinum religionis rigorem observare*, bonumque Præsulem in omnibus referre, & reipublicæ Christianæ subsidio, adminiculoque singulari semper esse. Sed & ut sydus ubique refulgens omnibus prodesset, multas scribere curavit epistolas eruditissimas cælestem animi sui pulchritudinem, ac sapientiam pene divinam referentes: Tandem post multos felices, præclarosque actus, post labores, sudoresque varios, post legationes cum plena, & ampla potestate celeberrimas, post gravem denique calculi morbum (quo ad mortem usque fatigatus fuit) rebus excessit humanis. Cuo vita functo, tota flevit Civitas, tota planxit Italia: de quo meminit multa cum laude Poggius Florentinus, extollit & eum magnifice Bostius, dicens &c.

XIX.

LUDOVICUS (b) GOLLUT

LUDOVICUS GOLLUT.

In Memoriis Historicis Reipublicæ Sequanorum & Comitatus Burgundiæ Lib. X. Cap. LXVII.

Pag. 182.

LEs mesmes (c) Annales disent, que le Duc se monstret difficile, & qu'il refusat pleinement l'accord aux François: & que le *Cardinal de Saincte Croix* en estant fasché l'avoit menacé, de practiquer contre luy, & contre les Anglois, la puissance de l'Eglise; & adjoustent les mesmes Annales, que *le Cardinal, voulant monstrer au Duc la puissance Ecclesiastique, s'estoit faict apporter du pain blanc, le quel (en grande asseurance) il bavoit mauldict, en la presence de tous: & que à l'instant, le pain estoit devenu noir; & puis que le Cardinal changeant d'imprécations, luy bavoit faict la benédiction: moyennant la quelle, le pain bavoit repris sa premiere blancheur. De quoy le Duc bavoit esté grandement espouventé, & bavoit promis de faire accord, avec le Roy, se contentant de la vengeance, qu'il bavoit prie, de la mort de son pere,*

B. Nicolaus insigni edito miraculo Philippum Burgundiæ Ducem pacem subscribere compulit.

XX.

(a) Petrus Sutor Gallus Theologus Parisiensis, obiit anno Domini 1537. 18. Junii: vide Theodorum Petrejum in Bibliotheca Carthusiana pag. 269.

(b) Ludovicus Gollut Dolensis parlamenti Advocatus Opus suum inscripsit Philippo Secundo Hispaniarum Regi anno 1588. edidítque Dolæ anno 1592. in fol.

(c) *Les mesmes Annales* nempe Annales Belgici, & Batavi a Meyero, & Pontio Heutero conscripti.

CLASS. IV. Anonymus Gallus.

XX.

ANONYMUS (a) GALLUS.

In Nomenclatore Cardinalium.

Nicolaus *Albergatus*, Civis, & Episcopus Bononiensis, ordinis Carthusianorum Cardinalis; ex cujus contubernio, & schola Nicolaus V., & Pius II. Pontifices Maximi prodiere, *purpurea accessione ne latum quidem unguem* instituto decedere voluit: quinimmo *in jejuniis supra morem frequens, verberum, & cilicii, ut carnis contumaciam edomaret, usum nullo non tempore retinuit*, studiaque majore opera repetiit: scripsit

I. *Recollecta multa lectionis.*

II. *De inexcusabili peccatoris iniquitate.*

III. *Orationes ad Venetos, & Philippum Vicecomitem Mediolani Ducem pro pace.*

IV. *Sermones multos.*

V. *Epistolas eruditissimas, ut habet Petrus Sutor*: Obiit Senis anno 1443. ibidemque in Ecclesia Carthusianorum sepultus est.

XXI.

HENRICUS SPONDANUS.

HENRICUS (b) SPONDANUS

In continuatione Annalium Ecclesiasticorum Tom. I.

An. 1426. §. II. pag. 721. LAboravit idem hoc eodem anno Martinus Pontifex in sancienda concordia inter Philippum Ducem Mediolanensem, & Venetos, Florentinos, atque alios Principes, & populos contra eum fœderatos: misso ad hoc legato *Nicolao Albergato* Bononiensi cive, & Episcopo ex ordine Carthusiensi, *creato nuper invito Presbytero Cardinale tit. S. Crucis in Jerusalem (unde ille signum Crucis pro insigni gentilitio ferre cœpit) viro usquequaque doctissimo, piissimo, prudentissimo, & apud omnes illius temporis auctores laudatissimo*: cujus vitam omnibus numeris absolutam olim Joannes Baptista Zeno Episcopus Feltrensis, postea Carolus Sigonius diligentissima conscripsere; pleraque omnium egregiaque de eo testimonia in unum collegit, edideque Coloniæ Georgius Garnefelt Carthusianus. Is autem rem sibi a Pontifice commissam eo deduxit, ut conclusa pax fuerit, conditionibus quidem Philippo satis gravibus, sed tamen pene necessariis, eo quod multas jam clades, & præliorum, & urbium accepisset ab adversariis, essetque in via pluras accipiendi &c.

An. 1435. §. VI. pag. 512. Ac speciatim Rna petiit a Concilio Cardinales de Cypro, & S. Petri ad Vincula; ab Eugenio vero Pontifice, *S. Crucis* & Arelatensem. Fuit autem hic Conventus Atrebatensis, tuncque longoque post tempore tota Gallia celeberrimus. Cui interfuerunt pro Summo Pontifice *Nicolaus Albergatus Cardinalis S. Crucis*, qui jam alias ea in re totis viribus laboraverat; pro Concilio Hugo Cardinalis Cyprius, multis stipati Episcopis, & Theologis: pro Carolo Rege Dux Borbonii, Comes Richemundi &c.

§. VII. Ducem autem Burgundiæ rogatum ab iisdem Legatis, acquievisse concordiæ cum Rege Christianissimo componendæ, postquam per eosdem Legatos solutus fuisset ab omni obligatione juramentorum, ac conventionum ab eo cum Anglis antea factarum, quibus hujusmodi pax impediretur. Ita ibi: ex quibus licet intelligere quid alii Principum Legati in his egerint: ac potissimum nomine Pontificis, *Cardinalis S. Crucis, cujus præcipuæ fuere in his omnibus partes*, cujusque egregia navata opera describitur in ejus Vita a Sigonio, celebraturque ab omnibus scriptoribus, qui de his agunt; *ne præcipue ab Ænea*, seu Gobellinum dixeris, in Commentariis Pii II. Ubi etiam traditur, quasdam simultates inter illos duos Cardinales intercessisse de suarum legationum auctoritate, ac prærogativa; *sed in omnibus prævaluisse Cardinalem S. Crucis*, ac Ducem a jurejurando, quod Anglico præstitaret auctoritate primæ Sedis absolvisse: satius esse arbitratum, ex duobus regnis alterum salvare, Francis inter se pacatis, quam perseverantibus odiis utrumque perdere. In ejusdem autem Vita referuntur eadem illa, quæ in prædicta relatione Basileensi, de oblatis utrinque a Regibus conditionibus. Ampliusque additur de petitionibus Burgundi; quamquam essent illæ graves admodum, tamen acceptas fuisse ab oratoribus Regis. Agnoscunt idipsum Franci Scriptores. Sed nihil nimium tunc visum est præ cupiditate distrahendi Burgundum ab Anglis: *haud ignaro Rege, hoc fœdere Galliæ opes, quæ nimium accisæ erant, brevi restitutum iri; uti & factum videbimus &c.*

An. 1443. §. I. pag. 700. Quo tempore ibi mortuus est VII. Idus Maii *magnus ille Nicolaus Albergatus Cardinalis S. Crucis Carthusianus*, de quo sæpe superius: quem cum frequenter Eugenius nocte solus invisisset, voluit etiam publice ejus funeri interesse; præter morem quidem Pontificum; (quamvis, & Gregorium X. atque S. Bonaventuræ Cardinalis funus comitatum esse, suo loco viderimus) sed & intimo affectu, quo tantum virum prosequebatur. Mortuus est anno ætatis suæ LXVIII. ex morbo calculi; qui extractus post ejus obitum inventus est bilibris magnitudine ovi anserini, ex minutissimis arenulis paulatim concretis: *quem Pontifex pro concepta sanctitatis ejus opinione retinuit*; Florentinæ Chartusiæ Monachi (apud quos etiam sepultus est, Senis eo, ut jusserat, translatus) deinde habuere. Illum Poggius Florentinus oratione funebri laudavit; præter Jacobum Zenum, & Carolum Sigonium, qui ejus vitam luculenter scriptis mandarunt; quæ omnia extant uno volumine edita una cum aliorum quampluriraorum celebrium auctorum eximiis de illo elogiis, scriptorumque ejus enumeratione. Erat præfectus ipsius familiæ, quando is obiit, Thomas Apostolicus Subdiaconus, qui postea fuit Nicolaus V. Pont. Max., in ejus honorem eo nomine sibi assumpto, a quo etiam ipsi post obitum apparente, & de felici suo statu commonente, Pontificatum prænunciatum esse traditur &c.

CLASS. IV. Henricus Spondanus.

XXII.

ANTONIUS AUBERY.

ANTONIUS (c) AUBERY

In Historia Cardinalium, in Vita B. Nicolai Albergati.

IL vint l'an mil quatre cens trente-un, Legat en France, pour moyenner une paix, entre le Roy Charles Septiéme d'une part, & Henry VI. Roy d'Angleterre, & Philippes le Bon Duc de Bourgogne, de l'autre. Il y travailla avec toute la diligence & la dexterité possible, & neantmoins il ne put jamais procurer autre chose qu'une treve pour six ans, entre le Roy de France, & le Duc de Bourgogne &c. Tom. II. pag. 811.

La France qui avoit conservé inviolable son obeissance envers le Saint Siege, & qui ne s'étoit pas voulu jusq'alors mêler dans les intrigues du Concile de Basle, meritoit bien d'être particulierement considerée par Eugene IV. le qual ne pouvant souffrir, que ce Royaume Chrestien fut si long temps travaillé de guerres, tant civile, qu'étrangere, y delegua pour la seconde fois le *Cardinal Albergati*, avec charge de traiter d'accord, entre sa Majesté Tres-Chrestienne d'une part, & le Roy d'Angleterre & le Duc de Bourgogne de l'autre. *Le Legat* moyenna d'abord une suspension d'armes pour quatre mois, & ayant conferé à Nevers, puis à Arras, avec les Ambassadeurs des Princes interessez, il ne put pas conclure de paix entre le deux Couronnes; mais en eschange il reconcilia le Duc de Bourgogne avec le Roy Charles VII. *En quoy il obligea infiniment la France, les forces de la quelle s'étant reunies par ce moyen furent plusque suffisantes, non seulement pour arrêter le progrez des armes des Anglois, mais aussi pour leur ravir les prodigieuses conquestes, qu'ils avoient faites depuis quelques années.* Il faut remarquer, que le *Cardinal Legat*, afin qu'il eut dequoy gagner la bienvillance des peuples, vers qui il alloit, avoit obtenu de sa Sainteté, dispense d'age pour vingt cinq personnes Ecclesiastiques, qu'il pouvoit promouvoir à l'Ordre Sacré de Prêtrise, aussi tot qu'elles auroient atteint vingt-deux ans. Pag. 893.

Quoy que les *grands sentimens de pieté qu'il témoigna en sa derniere maladie, fussent extrémement edificatifs, il n'y eut rien neantmoins de plus exemplaire pour ses domestiques, ny pour le Pape même, qui l'alloit souvent visiter de nuit, que son insigne patience; la quelle il conserva durant les plus cuisantes douleurs*, qui se puissent imaginer causées par une pierre de la grosseur d'un oeuf d'Oye, qu'il avoit dans la vessie. La nouvelle de cette mort étant sceue à Boulogne, y apporta une grande consternation publique, & fit fermer les boutiques, & le Palais. On luy fit trois jours consecutifs, trois services en la Cathedrale, où assisterent les Compagnies souveraines, & le Corps de la ville. Ses obseques furent honorées de la presence de sa Sainteté, & son corps fut porté à la Chartreuse, proche de Florence, dont il avoit autre fois été Prieur; où se voit cet Epitaphe &c. Pag. 130.

L'on garde encore aujourd'huy, avec beaucoup de soin dans la Sacristie de cette Eglise la pierre qu'on luy a tirée de son corps, son rochet, & ses sandales; *d'autant qu'il est presque generalement reconnu pour un des Beats de son Ordre*. Et nous remarquons particulierement *que l'autheur du catalogue des Saints, & des Saints Tutelaires de la ville de Boulogne, qui est à la fin de ce bel ouvrage, que le Cardinal Paleotto a composé, pour l'instruction tant des Prelats, que du reste du Clergé, n'a point douté de luy donner cette qualité*, Pag. 131.

com-

(a) Anonymi liber prodiit Tolosæ anno Domini 1614. apud Dominicum de la Case.

(b) Henricus Spondanus Episcopus Appamiarum obiit A. D. 1643. IV. Kal. Junias. Vide Frizonium in ejus vita cap. 30. Continuationem Annalium Ecclesiasticorum vulgavit Parisiis anno 1639.

(c) Antonius Aubery secundam Historiæ suæ partem vulgavit Parisiis Anno Domini 1643.

CLASS. IV. Antonius Aubery.

comme deue à ses merites. Il ast instituteur de cette Procession solemnelle, qui se fait tous les ans à Boulogne, le quattriéme de Juillet, où se porte l'Image de la Bien-heureuse Vierge, dépeinte par Saint Luc. C'est aussi luy qui a donné aux Peres Chartreux de la méme ville, le crane de Sainte Anna, dons Henry VI. Roy d'Angleterre luy avoit fait present, lors qu'il alla pour la deroiere fois Legat en France &c.

XXIII.

JOANNES COLLART.

JOANNES (a) COLLART

Ie Notis ad Diarium Pacis Atrebatensis Antonii Taberne.

(LE *Cardinal de S. Croie*) *le Bien Heureux Nicolas Albergati* d'une noble maison de Boulogne la Grasse, il entra au Sainct' Ordre des Chartreux, & fit sa profession en la Chartrense de Boulogne, da la quelle il fut Prieur, & de celles de Rome, Florence, & Mansoue. *Par reputation de ses vertus il fut eleu Evesque de Boulogne* l'an. 1416. il tascha par tous moyens (quoy qu'en vain) d'empescher, que sun election ne fust confirmée. Les Citoyens de Boulogne estans en different pour les libertez de leurs ville avec le Pape, ce *Sainct Evesque* fut deputé vers sa Sainteté pour traicter d'accomodement, il luy commanda de publier son Interdit a Boulogne pour remener des dits Citoyens à laur devoir, il obeyst au Pape, de quoy ses Compatriots ayant conceu una grande haina contre luy il lut conseillé de se retirer de la Ville pour quelque temps, ou il retourna après, qu'on se fut accordé avec le Pape.

La reputation de la Sainteté de sa vie, & l'habileté aux grands affaires luy ayant acquis une grande estime auprès du Pape Martin V. il le crea Cardinal du Tiltre de Saincte Croix en Hierusalem le 24. May 1426. *il rigeut cette dignité avec un extreme deplaisir, & en consideration de la Saincte Croix il laissa les armes de sa maison, & pris pour ses armes une Croix de Sable cremelée* en campe d'Argent, comme on le voit encor à present en une vitre en la premiere salle de Monsigneur l'Abbé (de Saincte Vaast) Il vint l'an. 1431. Legat en France pour moyenner la paix entre le Roy Charles VII., & le Roy Henry d'Angleterre, & le Duc de Bourgogne; mais il ne peut rien obtenir, qu'une treson de six ans entre le Roy, & le Duc de Bourgogne, il fut pour la seconde fois envoyé *Legat à latere* en France par le Pape Eugene IV., & se rendit à Arras le 15. jour de Jouillet, comme le remarque nostre autheur, *où par sa prudence, & dexterité* il conclut une ferme & boone paix entre le Roy, & le Duc de Bourgogne, qui abandoona les Anglois, après que *ce Sainct Cardinal*, & celuy de Cypre l'eurent absouts do serment, qu'il avoit fait de ne se point accorder san eux, & que la dessus il luy eurent donné leurs bulles, aussique remarque nostre autheur.

Il succeda à l'office de grand Penitentier au Cardinal Jourdain des Ursins, il mourut de pierre à Sienne le 9. May 1443., & eut la consolation d'estre plusieurs fois visité du Pape Eugene, son Corps fut porté en la Chartreuse de Florence &c.

XXIV.

LUDOVICUS DONIUS.

LUDOVICUS (b) DONIUS D'ATTICHY

Episcopus Æduensis

In vita B. Nicolai §. XXIV.

B. Nicolaus in Conventu Atrebatensi insigni edito miraculo, Ducem Burgundiæ Francorum Regi conciliat.

CUm vero nec sic Borgundus ad voluntatem Legati, ac Sedis Apostolicæ, a qua missus fuerat istius pacis arbiter, flecteretur, ut spreto Anglorum Rege per se pacem cum Franco faceret, narrant Annales Hollandiæ, minatum esse *B. Cardinalem* nostrum, se contra eum, ac Anglos jure acturum, quod contempta Ecclesiæ authoritate, cujus judicio controversiam paulo ante commisissent, nec æquitati, nec rationi locum darent. Ac ne aliquo modo de potestate, quam Christus Ecclesiæ tribuit, dubitarent, *petiisse dictum Cardinalem candidum panem, cui in amplissimo Concilii consessu, cum summa in Deum fiducia male esset precatus, subito nigerrimum extitisse, magna omnium qui aderant cum admiratione; iterumque ubi piis verbis pani bene precatus est, pristinum recepisse candorem*, ac ex eo tempore Burgundum, concepto terrore sese procerum Ecclesiæ arbitrio submisisse, ac dimissis Anglis cum Franco pacem fecisse.

Ex Flor. Card. Tom. II. fol. 92.

Pag. 94. §. 13. Hodie quoque *ad perennem Nicolai Cardinalis Albergati memoriam*, pii illi Carthusiensis Eremi ad Florentiam incolæ, *calculum ex ejus vesica exemptum, ab Eugenio Papa forte ipsis relictum, & Pontificale rochettum, seu superpelliceum, atque sandalia, in sacrario suo magna Religione conservant*: Bononienses vero, Crucem argenteam, quam Legatus Apostolicus præferebat, & alteram, quam sacris operans in pectore gestabat; item acerram, & thuribulum ejus, Ecclesiæ suæ relicta ostendunt. Apud utrosque autem, & in universo Carthusiensi Ordine, *eam sibi Sanctitatis opinionem peperit, ut nomine, & epitheto a majoribus accepto, & de manu in manum tradito, in hunc usque diem B. Nicolaus vocitetur.*

CLASS. IV. Ludovicus Donius.

XXV.

GUILELMUS MARLOT.

GUILELMUS (c) MARLOT

Metropolis Remensis Historiæ Tomo II. Lib. IV.

INterea temporis ad Conventum Atrebatensem Mense Julio anno 1435. *Nicolao Cardinali Tit. S. Crucis* ab Eugenio Papa, & Cardinale Cypri a Synodo Basileensi missis, paci conciliandæ annuentibus, Regum, ac Principum Legati convenerunt. Caroli Regis fuere Carolus Dux Borbonicus, Arturus Richemondaeus Magister equitum, Reginaldus Pontifex Remorum, & alii; *hic omnis ævi tota in Gallia fuit celeberrimus*. Postquam cum Anglis iniqua petentibus nihil profici potuit, ventum ad Burgundionem, qui rogatus mitiorem se præbuit sanandis reipublicæ calamitatibus, præsertim cum videret id Deo esse curæ. Cum ergo satis superque de cæde parentis acerbas sumpsisset pœnas timeretque ne civilibus bellis arderet Flandria, quæ passim per urbes Civium tumultibus, velut flammulæ erumpebant, pactis, quas voluit conditionibus, Legatisque Caroli facinus per imperitiam adolescentiæ excusantibus, paci tandem acquievit, quæ ii. Kalend. Octobris per totam Galliam calamitatibus fessam publice denuntiata, innumeros mortales miro affecit gaudio. An. 1435. Pag. 194.

Nicolaus Cardinalis Tit. S. Crucis in Hierusalem Franciæ legatus, ac unus ex mediatoribus pacis Atrebatensis Remos venit Mense Octobri, quem Canonici cappis induti receperunt ad gradus Ecclesiæ, concessitque indulgentias Ecclesiæ S. Dionysii, die festo prædicti patroni, petentibus Abbate, & Religiosis. An. 1435. Pag. 718.

XXVI.

FABERTUS.

FABERTUS.

In Historia (d) Ducum Burgundiæ.

Miraculum a B. Nicolao editum. Pag. 189.

LEs Cardinaux autorisez sur ce point l'appaiserent en lui alleguant, que le repos de la Chrestienté devoit l'emporter sur un serment conçu temerairement, & par un esprit de vangeance; mais cette reponce ne satisfaisant pas encor ce coeur fidelle, le *Cardinal de S. Croix* le menace d'agir contre lui, comme contre le perturbateur de l'Eglise; il pris un pain blanc; & l'ayant maudit en detestation des opiniatres, ce pain devint au meme instant aussi noir, que du charbon, & ne reprit sa premier blancheur, qu'aprez que le *Cardinal* l'eut beni, & produit comme un temoin du bon droit, que Philippe avoit de se separer des Anglois.

XXVII.

NATALIS ALEXANDER.

NATALIS ALEXANDER

Ordinis Prædicatorum.

Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi XV. Capit. I. Articulo V. De Nicolao V.

EUgenio IV. legitimis suffragiis suffectus est Thomas Sarzanensis, Tit. S. Susannæ Presbyter Cardinalis, & Bonon. Episcopus, cui *B. Nicolaus Cardinalis Albergatus*, cujus in obsequiis, ac familiaritate fuerat, Pontificatum prædixerat, in cujus memoriam nomen sumpsit Nicolai V. &c. Tom. VIII. Pag. 92. edit. Parisii. Anno 1714.

XXVIII.

(a) Joannes Collart hæc scripsit Anno Domini 1651.

(b) Ludovicus Donius de Atticby Episcopus Æduensis A. D. 1616 Vitam *B. Nicolai* edidit hoc titulo insignitam. *Idea Perfecti Præsulis in Vitam B. Nicolai Albergati Cardinalis*. Augustoduni 1616. in 8. eamque iterum vulgavit A. D. 1660. Floribus in Historiæ Sacri Collegii Cardinalium Tom. II. Obiit A. D. 1664. die 2. Julii: Vide Niceronium in Memor. Viror. Illustrium *Tom.* 24. p. 372.

(c) Marloti Historia edita fuit Ramis Anno Domini 1679.

(d) Faberti Historia in lucem prodiit Coloniæ A. D. 1687. in 12. De eo vide Acta eruditorum Lipsiensium ejusdem anni *pag.* 360.

CLASS. IV. Gabriel Daniel.

XXVIII.

GABRIEL DANIEL

Societatis Jesu

Historia Regni Francorum Tom. II.

An. 1417. Pag. 1091. LEs autres Princes de l' Europe, soit par indifference pour la France, soit par desespoir de réussir, étoient spectateurs oisifs de cette funeste guerre. Les Papes seuls faisoient de temps en temps quelques efforts. Eugene IV. qui venoit de monter sur la Chaire de Saint Pierre, regard comme un de ses premiers devoirs de s'employer à trouver quelque voye d'accommodement entre les deux Couronnes. Il envoya pour ce sujet le *Cardinal de S. Croix* Legat en France, qui eut à Auxerre des conferences avec les députes des deux Rois. Il en eut encore d'autres à Corbeil; mais il ne put rien gagner, tant les prétentions des deux partis étoient opposées. Il fit seulement conclure une Tréve de six ans entre le Roy, & le Duc de Bourgogne: & c'étoit un grand coup pour le Roy; mais elle fut rompue peu de mois aprés,

CLASS. IV. Claudius Fleury.

XXIX.

CLAUDIUS FLEURY

Historia Ecclesiastica Tom. XXII.

SUivant cette resolution il se fit à Arras la plus grande, la plus noble, & la plus celebre assamblée, dont on ait entendu parler dans ce siecle. Tous les princes de la Chrétienté y avoient leurs Ambassadeurs, le Papa & le concile chacun son légat, les fourriers y marquerent les logis pour dix mille chevaux: *le legat du Pape étoit Nicolas d' Albergat Cardinal de S. Croix, qui avoit déja tant travaillé a cette paix*: celui du concile étoit Hugues Cardinal de Cypre, il y avoit aussi plusieur Evéques & theologiens &c. An. 1435. Pag. 104. §. 920.

On connoit encore par ce recit que les légats du Concile exhorterent les Anglois à recevoir les offres du Roy de France qui étoient très-justes, mais ceuxci n' ayant rien voulu relacher de leurs prétentions; cela fut cause que le Duc de Bourgogne se détacha d'eux, & fit son traité separément, aprés que le *Cardinal de S. Croix*, l'eût absous de la part du Saint Siege, de la foi qu'il avoit promise aux Anglois, non obstant la prétention du Cardinal de Cypre, qui étant légat du concile, croyoit avoir ce droit préferablement à l'autre: Voici le sommaire des articles les plus importans de ce traité. Pag. 109. §. 916.

CLASS. V. Cornelius Zantfliet

BELGARUM TESTIMONIA

DE

BEATO NICOLAO

CARDINALI S. CRUCIS.

I.

CORNELIUS (a) ZANTFLIET

In Chronico.

An. 1435. Pax Atrebatensis praecipue B. Nicolai studio sancita. Pag. 4.



MENSE Augusto facta est famosa dieta illa Atrebatensis, pro qua fienda *longo tempore vigilantissime laboravit Reverendissimus Pater Dominus Cardinalis S. Crucis de Ordine Carthusiensium*, ad quam ex parte Summi Pontificis, & Concilii Basileensis venerunt Cardinalis prædictus, & Cardinalis Cypri &c.

Pag. 418. Principibus ergo convenientibus, & multa hinc inde allegantibus inconvenientia, & præsertim Duce Burgundiæ proponente necem injustam genitoris sui, & ultionem justa propter hanc expetiisse se Regem, & regnum, & se idcirco cum Anglicis hostibus eorum foederasse; Francis e diverso necem Ducis Aurelianensis allegantibus, & cetera id genus; Anglicis in sua pertinacia frivole multa differentibus, finaliter factis aliquantis collatiunculis, & declarationibus suavissimis *per reverendum, & doctissimum virum Dominum Thomam, postea Papam, pro tunc commensalem, & collateralem individuum D. Cardinalis S. Crucis*; præsertim de non expetenda vindicta & similibus multis; mox, inspirante gratia Dei, emollita sunt corda principum dudum adamanta duriora; & post multos tractatus facta est pax firma inter Regem Francorum Carolum, & Philippum Ducem Burgundiæ, sigillisque utriusque partis communita, seclusis Anglicis, qui ad concordiam, & pacem nullis potuerunt modis flecti. *Quapropter, disponente Deo, ingloris facti sunt, multisque plagis, stragibus, & damnis afflictis, & a limitibus prorsus expulsi, quos pridem in manu forti invaserant, & possederant annis plus quam triginta.* Qualis autem pacis forma fuerit ignoro.

II.

MAGNUM (b) CHRONICI BELGICUM.

MAGNUM CHRONICON BELGICUM. An. 1435. Pax Atrebatensis. Pag. 369. edit. primæ.

ISte Philippus Dux Burgundiæ, & Brabantiæ adjumento Regum Angliæ Henrici V. & VI. ad vindicandam genitoris sui mortem, multa bella gessit, quibus Regni Francorum multas civitates, oppida, castra, villas, & fortalitia plura depopulavit, & fere in solitudinem redegit, nciosis captis, & fugatis incolis Regni.

Duravit autem ita lamentabile bellum illud annis sexdecim, in quo ex utraque parte corruerunt multi Principes, ac potentes comites, ac barones cum innumerabilibus militibus, & armigeris electis.

Tandem Anno Domini MCDXXXV. post varios tractatus, & interlocutiones in civitate Atrebatensi *Dominus Cardinalis S. Crucis Ordinis Carthusiensis pacis modum inter eos reperit*, quem Anglici noluerunt recipere, sed Burgundi tantum.

III.

VETUS CHRONICON (c) FLANDRIÆ

VETUS CHRONICON FLANDRIÆ.

A Dionysio Silvagio editum Capite CXI.

SE continuoit la guerre très-aspre entre eux & les Anglois & Bourgognons: tellement que le Papa, ayant compassion de telle misére, envoya le *Cardinal de S. Croix* es parties de France, pour tascher à appaiser leur discord. A quoy neantmoins il ne peut avenir: sinon qu'il moyenna une tréve, à durer l'espace de six ans, entre le Roy Charles & le Duc de Bourgogne: qui baillérent lettres, feellées de leurs seaux, pour l'entretenement, & seurté d'icelles tréves &c. An. 1419. B. Nicolaus sexennales inducias inter Regem Franciæ, & Ducem Burgundiæ impetrat.

IV.

(a) Cornelii Chronicon vulgavit Edmundus Martene *Tomo V.* amplissimæ Collectionis Veterum Monumentorum. Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica eum vocat *A Santvliet*, nimirum ex oppido sui cognominis prope Antuerpiam, in quo natus est. Fuit ascita insignis Monasterii S. Jacobi Leodiensis, floruitque Sæculo XV. Chronicon vero suum produxit usque ad annum 1461.

(b) Hujusce Chronici auctor, sive collector fuit Canonicus Regularis Ordinis S. Augostini prope Nossiam qui XV. Sæcula floruit. Eum edidit Joannes Pistorius *Tomo II. Scriptor. Rer. Germanicarum.*

(c) Dionysius Silvagius Henrici II. Regis Francorum Historiographus Chronicon hujusmodi vulgavit Lugduni anno 1561. illudque ex veteri Ms. Codice Bibliothecæ nobilissimi Burgundi Caroli de Poupet descripsisse testatur in monito ad lectorem.

CLASS. V. Arnoldus Bostius.

IV.

ARNOLDUS BOSTIUS (a) CARMELITA

De viris Illustribus Ordinis Carthusiani Cap. XXII.

Insigne B. Nicolai elogium.

NIcolaus *Albergatus*, *Cardinalis S. Crucis*, *& Bononiensis Ecclesiæ magnus Antistes*, *toti salutifer orbi*, *& velut alter Helias pro Domo Domini zelosus*, *Sanctorum cathedram meritis eximiis implere satagit*. *Vir enim fuit cum celebris*, *& maxima sanctimonia*, *tum etiam sapientia singularis*, *humanarum*, *divinarumque rerum cognitione præter ceteros ornatus*. Hic reipublicæ Christianæ, & Divi Petri naviculæ, dum secundis uteretur ventis, maximo semper ornamento extitit; dum vero adversis procellarum turbinibus quateretur, adminiculo, & subsidio singulari. Qui primæ ætatis tyrocinium vias Domini duras in Domo Divi Hieronymi Bononiæ studiorum matri vicina devotissime professus, & vita, & ordine Carthusiensis continue permansit; variis deinde auctus dignitatibus (quas ordinante Deo, titulos, virtutum, & gratiarum dotes, quas in eo plantaverat, *tractus sane*, *& invitus*, *immo vim passus*, *& enixissime reluctans*) suscepit. Rigorem itaque Religionis semper servans, non secus ac lumen cælitus emissum, imitatus est eum indefesse, cujus crucem pro signo gessit. Et ut pretiosissimi sanguinis ejus fructum quam diligentissime colligeret, innumeris per orbem fidelibus, veluti salubre quoddam effulgens rebus humanis sydos, voce viva, & epistolarum eruditissimarum instructionibus ad salutem profuit. Continuo studio, perenni cura, ac diligentia, semper lingua, calamoque cælestem animi sui pulcritudinem pene sensibilem præferente, sapientis Ecclesiæ architecti scite, & docte adimplens officium. Nusquam igitur potuis delitescere sapientia, nota gregalibus, nota nobilibus, nota principibus, nota regibus summis, notissima denique sæculi sui Pontificibus. *Fuit vero vita ejus totius Sanctitatis exemplum*, *eloquentia stupor*, *Doctrina miraculum*. Speculum enim sine macula extitit Prælatis omnibus, pater pauperum, inter Dominatores orbis diffidentes pacis reformator, impeditor schismatis, errorum excidium, Christianæque Reipublicæ propugnaculum. Omnia retulit ad Deum Optimum Maximum, quo semper præsente, vidente, audiente direxit, ac perfecit salutiferos suos cogitatus. Quo tamen minus laudem appetebat & gloriam, eo magis eum sequebantur. Tandem vero anno Christi tertio, & quadragesimo post 1400., tam præcipuum omnium virtutum decus, post opere permagnifica, post tantos labores, ac sudores e corpore morius Senis in Hetruria emigravit ex infirmitate calculi. Exenterato autem eo repertus est lapis grossus ad modum ovi in fundo vesicæ, quasi incarnatus. Tota hunc flevit civitas, tota planxit Italia: cujus voces ubique fere locorum Angeli lætantes, dæmones contremiscentes, mortales omnes obstupescentes audierunt. Corpus terre suscepit, anima Christo reddita est, cui duro, & diuturno martyrio viventem sui corporis hostiam immolarat. O fortunata mors, quæ naturæ debita, Deo Opt. Max. potissimum data est. Si quis felices ejus actus, alta præconia, dignitates præcellentes, legationesque cum plena, & ampla potestate celeberrimas (quorum equidem prosequutio neque loci, neque temporis hujus est) ad integrum noscere velit, Poggi Florentini, aliorumque præstantium virorum complurium de vita ejus (cujus utique nulla pars laude vacavit) legat opuscula ubique gentium longe, lateque diffusa. Hoc unum dumtaxat tamen addidero, in singulare amplissimi, atque in Deum fragrantissimi Patris præconium, quod nimirum ex ejus insigni familia, Thomas videlicet Sarzanensis, & Æneas Silvius Senensis, ad Pontificatum maximum etiam meritissime provecti sunt. Quorum primus Nicolai V., alter vero Pii II. nomen accepit. O magnum, & insignem Cardinalem, ex cujus familiaribus duo Maximi claruere Pontifices dignitatis tantæ fastigium summopere extollentes, & adaugentes. Non secus ac sol aureos radios salutares per orbem universum spargentes, suisque gestis illustribus eorum, qui clare vixerunt, Pontificum famam non modo æquantes, sed apprime superantes, uti Bartholomæus Platina libro de Pontificum vitis testis est locuples.

CLASS. V. Petrus Dorlandus.

V.

PETRUS DORLANDUS (a) CARTHUSIANUS.

In Chronica Lib. VII. Cap. I.

B. Nicolai vita breviatum.

NIcolaus *Albergatus*, illustri ortus prosapia, cum esset adolascens positus Bononiæ ad gymnasia Philosophorum, adeo in liberalibus scientiis emicuit, ut ei in ipsa Universitate nullus haberetur secundus. Erat etiam non minus bonus, quam doctus, quippe qui lubricum adolescentiæ iter magno semper studio declinarat, pius, sobrius, humilis, timoratus. Hinc pro sua virtute, propa scientiæ suæ claritudine, omnibus erat, & honori plurimum, & amori. Porro ille sciens scriptum esse, *Justus justificetur adhuc*; Domum D. Hieronymi Ordinis Carthusiensis, quæ Bononiæ sita est, mirantibus universis, est ingressus. Cujus conversionis initia magnis claruere virtutibus. *Nam sicut erat ceteris doctior*, *sublimiorque*, *ita cunctos humilitate*, *obsequie*, *mansuetudine præcellebat*. Hujus erat meditatio accensa, oratio indefessa, contemplatio porrecta in superna. Omnes suam vitam aspernabantur, dum hujus pii Patris vitam virtutibus plenam contuerentur. Hinc crevit ejus illustris opinio per Bononienses populos; quem, suo Præsule defuncto, unanimis votis in Episcopum elegerunt. Trahitur ergo lucerna ardens, & lucens e cella, quasi de sub modio, & super candelabrum ponitur, ut luceat omnibus, qui domo sunt, *Trahitur autem invitus*, *& quasi vim passus: ipse plurimum lacrymante*, *ac renitente*. Sciebat enim alios esse mundi turbines, & aliam silentis cellæ internam requiem, & quietudinem. *Assumptus nunquam cilicium*, *nunquam humilem Monachi habitum permutavit*, *eisdem semper*, *ut ante*, *cibis*, *& potibus utens*. Et cum sibi esset rigidus, & amarus, omnibus tamen humanum, placidum se, ac suavem exhibebat. His laudum titulis a Summo Pontifice est evocatus, & Cardinalis Sanctæ Crucis creatus. Hinc factus est toto (uti Arnoldus dicit Bostius) salutifer orbi: quippe qui, ut alter Helias, pro domo Dei zelosus, dignitatis suæ Cathedram sublimibus meritis condecoravit: *Erat enim vir abique celebris*, *& ob sanctimoniæ suæ eminentiam inter Cardinales singularis*. Inerat illi de supernis affluens sapientia, humanarum, divinarumque rerum cognitio admodum illustrata. Hinc Reipublicæ Christianæ, & ipsi Petri naviculæ in prosperis, & adversis ornamento fuit, & subsidio, fungebatur etiam legati officio, ac dignitate, missus a latere: quod quidem strenue exequebatur, plenissimo fungens potestatis honore. Et ut suis maximis curis dignus haberetur, studiis assiduis incumbebat, crebro per populos verba Dei sonabat, dictitabat sermones, epistolas ad diversos ornatissimas transmittebat, tanquam sapiens Architectus scite, docteque suum implens officium. Hac sua sapientia & Regibus, & Principibus, & Magnatibus ubique innotuit. *Cujus vita Sanctitatis exemplum*, *cujus mores*, *instituta Ecclesiarum*, *cujus eloquentia*, *stupor*, *cujus doctrina miraculum putabatur*. *Hic tersum virtutis speculum*, *hoc Præsulum*, *& Prælatorum gloria*, *hic pater pauperum*, *refugium miserorum*, *dissidentium magnatum pacis conciliator*, *schismatis impeditor*, *errorum excidium*. Hic Christianæ religionis propugnaculum: qui quidquid agebat, aut præcipuum cogitabat, ad Deum Patrem luminum humilis referebat. Laudes hominum, ut virus pestiferum fugiebat, sed fugientem laus illum, & honos omnis insequebantur. Hinc pro majestatis suæ reverentia Nicolaum Papam, & Æneam Sylvium (qui & Papa Pius post dictus est) alumnos, familiares, ac commensales habuit, viros nimirum sapientia, & eruditione clarissimos, quos hic Pater ad Pontificatus apicem sua potestate promovit. Sed si vis de hoc nobili Principe majora cognoscere, lege ipsum Æneam, lege Poggium Florentinum, lege Bartholomæum Platinam (qui Pontificum vitas diserto sermone conscripsit) lege Arnoldum Bostium Carmelitam, & invenies, quod hujus almi Præsulis vita nulla ex parte laude vacaverit. Tandem anno Christi tertio, & quadragesimo post 1400. hoc decus hominum, hoc clarum Ecclesiæ jubar post innumeros labores, post multas patientiæ coronas, in civitate Senarum, ex molestissima calculi afflictione moritur, caducarum opum vacuus, sed plenissimus meritorum. Moritur, non vitam perdens, sed meliorem, ac permansuram recipiens. Exenterato eo, ut balsamo condiretur, inventus est in fundo vesicæ habere lapidem grandem, instar ovi, qui omni ex parte illic carne obvolutus hærebat. Has calculi passiones immanissi-

(a) Arnoldus Bostius Carmelita Gandensis claruit sub Friderico III. Imperatore, familiaris fuit Roberto Gaguino, & Hermolao Barbaro viris doctissimis. Vivere desiit Gandavi A. D. 1499. pridie nonas Aprilis. Valer. Andreas Bibliotheca Belgica *Parte Prima pag. 94*.

(b) Petrus Dorlandus Diestensis Carthusianus in Zelemensi Sancti Joannis Cœnobio, apud Diestemium Brabantiæ oppidum, sub Diœcesi *Leodiensi*; vir fuit singulari vitæ integritate, innocentia, pietate, & eruditione conspicuus. Obiit anno 1507. VIII. Kal. Septemb. in Carthusia Zelemensi, annos natus 58. Valer. Andr. *pag. 972*.

CLASS. V. Petrus Dorlandus.

mas mira, dum viveret, patientia tolerabat. Tota hunc Italia virum planxit; pauperes certe maxime & calamitosi, quos muneribus, & adminiculis sæpe leccarat. Corpus terra suscepit, animam SS. Angeli cum laudibus exceperunt; quam ad superna evehentes, sanctorum cœtibus inseruerunt.

VI.

RENERUS SNOY

RENERUS (a) SNOY

Rerum Batavicarum Lib. V.

An. 1433. B. Nicolaus insigni edito miraculo, Philippum Ducem Burgundiæ ad pacem adigit.

Pag. 149. edit. Jacobi Brassicæ Anni 1620.

NIcolaus *Cardinalis* nulla suasione vertere pertinaciam Anglorum potuit, ut cum Carolo Francorum Rege pacisceretur, licet is Normaniam Ducatu cedere, & Anglis perpetuo possidendum velle tradere se profiteretur. Itaque illi concilio abire, re infecta, decreveque se aliqua die redituros. Hic tum Philippum abire quoque volentem, nolentemque Carolo parricidium condonare, pacemque accipere, quod jurejurando affirmasset pro se, & Rege Angliæ facturum, *Nicolaus Cardinalis pectus ejus suavi eloquentia primum mulcere; dein cum hoc frustra esset, his verbis illum increpare: satis superque supplices pro Carolo fuimus, o Princeps; at jam tu, ni auctoritati sacræ Ecclesiæ obtemperabis, qua fungor, devoto semper in Regno vivito tu atque posteri; ablatumque Panem similaginis puræ optimi tritici fecit imprecatione nigrescere, ac prece iterum recandescere, additis his binis voculis. Tu elige.* Itaque minacissima *Cardinalis legati* denunciatio fecit, ut flentibus suis, tametsi multa protestaretur, reconciliationem gratiæ sub hac formula admiserit &c.

VII.

JACOBUS MEYERUS.

JACOBUS MEYERUS (b) BALIOLANUS

Annalium Flandriæ Lib. XVI.

An. 1430. pag. 283.

VEnit *Cardinalis S. Crucis Altissiodorum*, medendis tam longis miserisque Gallorum insaniis. Eo concedunt Gallorum, Anglorum, Burgundionumque legati, sed frustra: Nihil enim actum est &c.

1431. pag. 318.

Nicolaus Cardinalis S. Crucis Legatus Apostolicus de pace Regum venit in Galliam; sed postquam pax componi non posset, inducias fecit in sex annos, quæ tamen statim sunt ruptæ &c.

An. 1435. pag. 322.

Mense Julio *Nicolaus Albergatus* Cardinalis Tit. S. Crucis missus ab Eugenio Papa Romano, Cardinalis Cypri missus a Synodo Basileensi, Atrebatum veniunt cum multis Episcopis, & Theologis paci conciliandæ &c.

Adfuit cum *Cardinale S. Crucis* Thomas Sarzanus Venerabilis Theologus, postea Pontifex Romanus Nicolaus V. dictus &c.

Pag. 292.

Cœnobium S. Vedasti Episcopi locus colloquendi, disceptandique delectus: ibi Nicolaus Cardinalis S. Crucis *antea Monachus Carthusiensis, comi, ac benigna oratione principes ad ea, quæ pacis erant, hortabatur &c.*

VIII.

PONTIUS HEUTERUS.

PONTIUS HEUTERUS (c) DELFIUS

Rerum Burgundicarum Lib. IV. Cap. V.

An. 1432. pag. 88.

MEnse Februario anno 1432. Bonus in Burgundiam proficiscitur, Francorum incursiones positis præsidiis prohibiturus, adeuntque hic eum Legati Regis Caroli, frustra iterum pacem petentes; eademque de causa in Belgio reversus *Cardinalem S. Crucis* a Summo Pontifice missum reperit, qui cum ægre sex annorum inducias impetrasset, post festum mensem violatas conspicit.

An. 1433. Insigne miraculum a B. Nicolao Atrebati editum. Pag. 90. edit. an. 1645.

Annales Hollandiæ narrant, *Cardinalem S. Crucis* cum nullis permovere verbis Boni animum posset, ut spreto Anglorum Rege, per se pacem cum Franco faceret, minatum esse, se contra eum Anglosque jure acturum, quod contempta Ecclesiæ auctoritate, cujus judicio controversiam paulo ante commisissent, nec æquitati, nec rationi locum darent, sed iniquissimis conditionibus summa cum pertinacia, atque impietate insisterent. Ac ne aliquo modo de potestate, quam Christus Ecclesiæ tribuit, dubitarent, *petiisse dictum Cardinalem candidum panem, cui in amplissimo concilii consensu, cum summa in Deum fiducia mala esset precatus, subito nigerrimum extitisse, magna omnium, qui aderant cum admiratione; iterumque piis verbis pani bene precatus; pristinum recepisse candorem:* atque ex eo tempore Burgundum, concepto terrore, sese procerum Ecclesiæ arbitrio submisisse, ac dimissis Anglis cum Franco pacem fecisse, posteaquam Gallias sexdecim continuis annis cum incomparabili detrimento oppugnasset, ac manibus animæque Joannis intrepidi plusquam satis parentasset &c.

CLASS. V. Ferreolus Locrius.

IX.

JACOBUS MARCHANTIUS

JACOBUS (d) MARCHANTIUS

In Descriptione Flandriæ Lib. III.

pag. 101.

QUæ pacificatio apud Monstreletum latius enarrata, ut judicio humano honestius conficeretur, Philippus per *Albergatum* Sanctæ Crucis Cardinalem, Comitiorum illorum Præsidem, Romanique Pontificis legatum, solutus est omni nexu jurisjurandi pacti, fœderisque, quo Anglis prius obstringebatur.

X.

FERREOLUS LOCRIUS

FERREOLUS (e) LOCRIUS PAULINAS.

In Chronico Belgico.

An. 1435. fol. 536.

PHilippus Princeps noster, postquam fœdam patris Joannis necem egregie ultus esset, nec haberet Gallorum res ubi quiesceret; quamplurium totius Europæ Principum rationibus, ac etiam precibus tandem delinitus, Atrebati in celeberrimis Comitiis, quibus *Nicolaus Albergatus* Cardinalis Tit. Sanctæ Crucis, Eugenii Papæ Legatus a latere præsidebat, cum Carolo VII. Gallorum Rege reconciliatur: id *Marchantius* sic breviter collineat.

„ Quum anno trigesimo quinto, mense Septembri, „ post millesimum quadringentesimum, Angli celeberrimum Atrebati conventum, in quo supra decem „ equorum millia fuisse, narrat Monstreletus, omni „ spe pacis destituissent, quia possessione, tituloque „ Regni Franciæ neutiquam cedere volebant: ad Philippum jam delinitum, cui aderant Arnoldus Geldriæ Dux; Nassavii, Vaudemontii, Nivarnii, Stampæ, Sampauli, Lignii, Falcobergæ Comites: in æde „ divi Vedasti accesserunt Carolus Borbonii Dux, Arturus Regni Constabilis Richemundæ, Ludovicus „ Magnus Magister regiæ Domus, Vendomii Principes, cum Remorum Archiepiscopo Cancellario, Fayetta Mareschalco Regni, & Adamo Camaracano „ Curiæ Parisiensis primo Præside, ejusque ad pedes „ genua palam procumbentes, nomine Caroli Regis „ orarunt, ut parentis sui cædem ei remittat, profitenti sese id facinus imperitia adolescentiæ, & improborum suasu, designasse: ac dolore jam gravissime, quod ita accidisset, & nisi factum esset, ne unquam fieret, omni ope annixurum. Ad has supplicationes, demissionesque Philippus illacrymatus pronunciavit, se omnem injuriam condonare, tum propter venerationem mortis, passionisque Domini nostri JESU CHRISTI, tum quia populi Gallici misericordia eum caperet, tum etiam, ut Concilii Basileensis, & Papæ, & Christianorum Principum monitis morem gereret, qui merebantur, ut hoc ab se „ impetrarent. Hactenus *Marchantius*; vide de his fusius apud Meyerum, & alios.

De ista pace, in Archivis Atrebatum hi reperiuntur versus, ab istius ætatis imperitia non prorsus abhorrentes.

Illuxit nobis clari pax luce Matthæi,
Pro qua Francisci debent cum laude lætari:
Atrebati primo sonat hæc vox, voce jucunda.
CHRISTUS laudetur, cui cuncti subjiciuntur.

XI.

(a) Renerus Snoyus Goudæ apud Batavos natus. Bononiæ medicinæ operam dedit. Decessit anno 1537. Kal. Augusti, annos natus circiter LV. Valerius Andreas Tom. II. Biblioth. Belgicæ pag. 1061.

(b) Jacobus Meyerus hæc scripsit circa A. D. 1538. edita vero fuerunt post ejus mortem, quæ contigit A. D. 1552. ab Antonio Meyero fratris filio Antuerpiæ typis Joannis Steelsii 1561., & Francofurti 1580. *Tom.* I. Scriptorum Rerum Belgicarum. Vide Valerium Andream *Tom.* I. Bibliotheca Belgicæ *pag.* 127.

(c) Pontius Heuterius nobilis Batavus libros Rerum Burgundicarum vulgavit Antuerpiæ typis Plantinianis Anno 1583. Obiit Turdunopoli Anno 1602. circ. Idus Augusti, Valer. Andr. *pag.* 1048.

(d) Marchantius obiit Bruxellis Anno Domini 1609. septuagenario major. Valer. Andreas *pag.* 525.

(e) Ferreoli Chronicon prodiit Atrebati Anno Domini 1616. ipse vero obiit anno 1614.

CLASS. V. Joannes Buzellinus.

XI.

JOANNES BUZELLINUS (a) CAMERACENSIS

Annalium Gallo-Flandriæ Lib. VIII.

An. 1414. B. Nicolaus Indulgentias quasdam Insulensibus in Belgio largitur. Pag. 398.

PErvenit interim ad *Nicolai tit. S. Crucis* in Jerusalem Cardinalis Rothomagi agentis cognitionem, quanta Insulenses religione faciant Deiparæ Virginis, quam a Cancellis nominant, statuam in Divi Petri templo prosequantur; quantove ardore indictam ad ejus honorem quotannis proxima post festum Sanctissimæ Trinitatis Dominica supplicationem obeant. Ut igitur eam civium, aliorumque advenientium satis hominum pietatem, sanctumque studium in dies magis acueret; omnibus, qui dicta loca supplicitur viam sacræ Processionis pompæ destinatam carperent, dies centum injunctæ pro peccatis pœnitentiæ liberaliter remisit; qui vero diebus octo sequentibus idem peragerent, quadraginta.

An. 1428. Anni sequentis initio vehementer auctum est annonæ pretium. Sed Augusto Mense allata undique in Gallo-flandriam vina, frumentaque adeo viluerunt, ut ea utrorumque ubertas prioris necessitatis memoriam induxerit. Frustra his temporibus in Francia laboravit *S. Crucis Cardinalis*, cujus ante meminimus, ad Regum Franciæ, Angliæque, & Burgundiæ Ducis conciliationem incumbens Martini Pontificis Maximi mandato, tantumque ad sex annos inducias potuit impetrare &c.

Inducias inter Regem Francorum, & Ducem Burgundiæ componit. Pag. 396.

An. 1435. Philippum Ducem Burgundiæ Carolo Francorum Regi in conventu Atrebatensi conciliat. Pag. 400.

Postquam vero *Cardinales S. Crucis*, Cyprique a Pontifice Maximo missi, Francorum Regis Caroli, Anglorumque Henrici legati, deque omnibus fere Christiani orbis regionibus nobilissimi homines Atrebatum eo numero pervenere, ut intra urbem supra decem equorum millia numerarentur, de pace coeptum est agi serio. Inter Francum, Anglumque ea minime potuit componi, quod Anglus titulo Regis Franciæ nauti nollet, pluraque peteret, quam Francus statuisset concedere. Ad molliendum vehementius Burgundum Caroli Regis legati supplices ei fuerunt, eque genibus paternæ cædis veniam Domini sui nomine flagitarunt. Non tenuit tunc lacrymas pius Princeps, omnemque ex animo iram eradens, pacem facturum se promisit iis legibus, quas unam & triginta proposuit. Post varia colloquia eo Franci deducuntur, ut in omnia Burgundi capita jusjurandum Cardinalibus præstent, itaque pacem adeo desideratam impetrent. At tum firmandæ amicitiæ gratia, inter Carolum Burgundi filium, & Catharinam Franciæ Regis filiam contractum est matrimonium: & ab omnibus cum Anglo initis fœderibus Cardinales Pontificis Maximi voluntate Philippum Ducem solvere.

XII.

THEODORUS PETREJUS.

THEODORUS (b) PETREJUS

In Elucidationibus in Librum VII. Chronici Carthusiensis Petri, Dorlandi.

Pag. 200.

ENumerat Dorlandus septimo hoc libro nonnullos Carthusianæ Familiæ Patres, qui vel eximia vitæ sanctimonia, vel egregiis litterarum monumentis celebre sibi apud posteros nomen consciverc: E quorum numero primum non immerito locum occupat *B. Nicolaus Albergatus S. R. E. Cardinalis præstantissimus, ac Bononiensis Ecclesiæ Episcopus famosissimus &c.*

Idem in Bibliotheca Carthusiana.

Pag. 248.

NIcolaus *Albergatius*, sive *Albergatus*, ex Bononiensi Carthusia Monachus, loci istius celeberrimi designatus Antistes, ac deinde etiam S. R. E. Cardinalis; quandoquidem eximias ejus virtutes, ac celeberrimas aliquot, quas ad Principes obiit legationes, copiose ex Sigonio, Platina, Ciaconio, Bostio, nec non, & B. Antonino, aliisque aliquot auctoribus nostris in Dorlandi Chronicon elucidationibus ad longum recensuimus, uti lectorum quilibet videre illic poterit, idcirco unico hic Petri dumtaxat Sutoris testimonio contenti, avidum lectorem eo relegabimus.

XIII.

CLASS. V. Antonius Sanderus.

ANTONIUS (c) SANDERUS

In Elogiis Cardinalium Sanctitate, Doctrina, & Armis Illustrium.

Beatus Nicolaus Albergatus Cardinalis Bononiensis Archiepiscopus.

Pag. 96.

FUit *Nicolaus Albergatus* ex insigni familia ortus, Cardinalis tit. S. Crucis, & Bononiensis Ecclesiæ Præsul, rerum humanarum, divinarumque cognitione mirum in modum ornatus, *Sanctimonia præcipuus*, fama percelebris. Post primæ ætatis florem oblectamenta mundi deseruit, & vias Domini duras ingressus, Carthusianum Ordinem est professus. In quo quidem cum annos aliquot laudabiliter egisset, multis dignitatibus licet refragans, atque anxiissime reluctans donatus est. Quas consecutus, diligentissime studuit, pristinum religionis rigorem observare, bonumque Præsulem in omnibus referre, & Reipublicæ Christianæ subsidio, adminiculoque singulari semper esse. Sed & ut sydus ubique refulgens omnibus prodesset, multas scribi curavit epistolas eruditissimas, cælestem animi sui pulchritudinem, ac sapientiam pene divinam referentes. Studiis assiduus incumbebat, crebro per populos Dei verba sonabat, dictitabat sermones. Tandem post multos felices, præclarosque actus, post labores, sudoresque varios, post legationes cum plena, & ampla potestate creberrimas, post gravem demum calculi morbum (quo ad mortem usque fatigatus fuit) rebus excessit humanis. Quo vita defuncto tota flevit civitas, tota planxit Italia. De eo multa cum laude memorat Poggius Florentinus magnifice, & eum extullit Arnoldus Bostius &c. ex ejus contubernio, & schola Nicolaus V., & Pius II. Pontifices Maximi prodiere: purpuræ sic accessione ne latum quidem unguem ab instituto religionis decessit; quinimo in jejuniis supra morem frequens, verberum, & cilicii usum, refrænandæ carnis contumaciæ nullo non tempore obtinuit. Scripsit autem recollecta multæ lectionis, de inexcusabili peccatoris nequitia, orationes ad Venetos, & Philippum Mediolani Ducem Vicecomitem pro pace, ac alia plura. Obiitque Senis anno 1443. a partu Virginis.

XIV.

JOANNES JACOBUS CHIFLETIUS.

JOANNES JACOBUS (d) CHIFLETIUS

In Luminibus Salicis ad Vindicias Hispanicas.

Pag. 274. Exempl. XVIII.

ITaque Henrico V. in utriusque Regni jure successit filius ejus Henricus VI. cujus inaugurationem Parisiis solemni more factam retulimus. Sed ventum postea ad Atrebatense fœdus, de quo cum ageretur, petebant Angli, ut Carolus declararetur Henrici beneficiarius; contra Franci alterius factionis Carolo imperium liberum, non precarium esse volebant. Propositas a *Nicolao Cardinali* pacis leges ambo respuerunt; eaque res fecit, ut Burgundiones, & Franci, cœperint deinde ad pactiones venire. Francus Philippo Bono Burgundiæ Duci nihil denegavit, ut præpotentem Principem ab Anglo dissociaret.

XV.

JOANNES RIVIUS.

JOANNES RIVIUS (e) LOVANIENSIS

Rerum Francicarum Decad. IV.

An. 1428. Pag. 228.

INterim Galli, & Angli capiebant, & recipiebant ultro citroque oppida, illatis pariter acceptisque damnis, & cladibus, & quæ sequi rabidum, indomitumque Martem solent; cum Eugenius Pontifex *Nicolaum Cardinalem Sanctæ Crucis* in Galliam misit, pacem si potuerit, compositurum. Id, licet omni explicata suada, cum frustra conatus *Cardinalis* esset; obtinuit, ut induciæ in sexennium fierent.

An. 1435. Pag. 280.

Jusjurandum, cum *Cardinalis S. Crucis* ab Eugenio Papa missus, in se sumeret vinculo Bonum (nempe Philippum) solvit idque *prodigio* (si qua fides annalibus) *panis nigrefacti, iterumque candefacti, cum male beneque precatus ei esset coram omnibus probavit.*

(a) Joannes Buzelinus S. J. Annales suos edidit Duaci A. D. 1624. Obiit vero anno 1625. Vide Valerium Andream pag. 598.

(b) Theodorus Petrejus Carthusianus Dorlandi Chronicon vulgavit Anno Domini 1608. Coloniæ Agrippinæ typis Cholini. Bibliothecam vero anno sequenti apud eundem Typographum. Vita excessit Anno Domini 1640. die 20. Aprilis. Valer. Andr. Tom. II. pag. 1126.

(c) Sanderus origine Gandavensis, Antuerpiæ natus, Elogia sua vulgavit Lovanii Anno Domini 1626. Obiit anno 1664. die 16. Januarii. Valer. Andr. pag. 90.

(d) Chiffletii Lumina Salica edita fuerunt Antuerpiæ Anno Domini 1649. Typis Plantinianis.

(e) Joannes Rivius Lovaniensis, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Doctor Theologus Universitatis Lovaniensis Decades suas edidit Anno Domini 1651. Mortuus est senex Lovanii anno 1663. Valer. Andr. pag. 717.

CLASS. V. Godefridus Heschenius.

XVI.

GODEFRIDUS HESCHENIUS

De Beato Nicolao Albergato S. R. E. Cardinale & Episcopo Bononiensi.

Cultus publicus B. Nicolao a Carthusianis, & boum cultus praestitum. Tom. II. Maii Bollandiani pagin. 469.

FErdinandus Ughelius Tom. II. Italiæ Sacræ in Archiepiscopis Bononiensibus, illustri elogio exornat *Nicolaum Albergatum*, illudque istis verbis concludit: *Carthusiani, Beati titulo olim eum condecorarunt, & in album quorundam Sanctorum Ordinis retulerunt*. Cum nos anno MDCLX. abituri Romam per aliquot dies Bononiæ subsisteremus, inivimus notitiam cum R. D. Simone Santagatha Presbytero, studiorum nostrorum amantissimo: qui dein anno MDCLXII. die iv. Februarii ad nos, tum Florentiæ per aliquot menses moratos, transmisit syngraphum, quam ejus rogatu Religiosissimi patres Carthusiæ Bononiensis confecrant sub hoc titulo. ,, Cultus publicus *Beato Nicolao Albergato* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, & Episcopo Bononiensi a Carthusiensium cœtu assumpto, datus". Ac dein illa subduntur ,, *Beatus Nicolaus Albergatus*, non in Carthusia Bononiæ, ac Florentiæ dumtaxat, verum etiam in toto ordine, & in multis Ecclesiis patriæ suæ, coruscantibus, splendentibusque radiis pingitur, præcipue in templo Beatissimæ Virginis Mariæ de Libertate, S. Stephani, S. Agnetis Monialium Sacri Ordinis Prædicatorum, S. Claræ Ordinis Patrum Capucinorum. Alibi etiam *Beati Nicolai* imagines honore maximo, veneratione, & cultu Beatis cæteris consueto decorantur, imprimuntur, effigiantur, exponuntur, ubique affiguntur, & veneunt publice, tamquam imagines *Episcopi Beati*, *& Gloriosi*, per quem cælestes gratiæ, favores, beneficia percipiuntur: prout in cælis apud Majestatem divinam veræ divinitatis amici validissima præstant.

,, Enim vero veneranda Societas Triginta trium, in honorem vitæ Domini Nostri Jesu Christi annorum instituta, & a Perseverantia fausta denominata, anno MDCXXXIX. divino afflata spiritu, ejusque ductu, *Beatum Nicolaum* in *Protectorem* delegit, non sine quarumcumque gratiarum fœnore. Confratres autem singuli vivificam Crucem: *Beati Nicolai* proprium insigne manu gestantes, vexillo præeunte, in quo inest *Beati imago* Dominica prima cujusque mensis ad Beatissimam Deiparam S. Lucæ extra urbem peregrinantur. Utque optatum Perseverantiæ donum sublime, quod promereri nequeunt, assequantur; ad efficaciora rectæ orationis auxilia decurrunt, suasque intentiones probe dirigentes, post varia bonorum operum exercitia, oblationes, contritionis, & gratitudinis actus & sanctorum invocationes, elevatis ad cælum animis, vocibusque, majore religionis officio vulgatas preces, *Actiones nostras &c.* dicunt, & post *Amen*, *B. Nicolae protector ora pro nobis*, inclamant. Quotannis Dominica septuagesimæ, qua prædicto peregrinantur more, nonnullas Ecclesias visitant, tum semetipsos, ut in divinorum observantia mandatorum detineant, tum pro unico divinæ perseverantiæ dono aliis impetrando, hoc præsertim tempore ad illecebras procliviore. Supplicatione peracta Reverendum Patrem Dominicanum audiunt, *B. Nicolai* virtutes, & laudes enunciantem. Ad PP. Carthusiensium Sanctam Annam procedunt, ejusdem expositum Cranium venerantur, *B. Nicolao* Sanctæ Reliquiæ allatori, & donatori eximio, quas valent maximas gratias agunt. Ibidem solemnis canitur Missa, & Indulgentiarum elargitio conceditur a Cardinalibus Legatis. Postremo suum Protectorem gloria redimitum, obsecrant, ut servantiore caritate illos protegat, devotisque filiis gratiæ, gloriæ, perseverantiæ munera impetrare studeat. Nona Maji, *Natali B. Nicolai*, in Ecclesia Sanctæ Annæ multarum celebratione Missarum, omnis honos, cultusve *Beato Nicolao* defertur, quantusve in ejusdem Beati altari perpetuo exhiberi licet, Missæ celebrantur de Sancto Gregorio Nazianzeno, nulla fit mentio *Beati Nicolai*. Hoc ipsum *Beato Protectori suo* ante dicta Societas in Oratorio proprio, mirifica populi frequentia, & veneratione prosequitur: neque hac die solummodo, sed per totum annum ad altare ejusdem *Beati* missas, officia Divina, precesque Ecclesiasticas devote persolvit. Nulla in Missa fit commemoratio *Beati Nicolai*. Auctores ingenio, doctrinaque clarissimi Vitam, & facta ejusdem *Beati* scriptis tradidere, perennoque *Beati* nomine annalibus suis inseruerunt". Hactenus testimonium Patrum Carthusiæ Bononiensis.

Patrum Carthusiæ Florentiæ nomine, apud quos corpus *Beati Nicolai Albergati* asservatur, scripsit nobis anno MDCLXXV. D. Bonaventura Moschi ,, Susceptionem mortalitatis, quæ contagii causa servabat, iis diebus, quibus *Venerandum Beati Nicolai Corpus* inhumatum permansit, eidem attribui; uti, & varias sanitates, & ejusdem *Beati Reliquias* variis concessas, sed eas non esse legitima attestatione signatas. *Imagines ejusdem cum radiis in veneratione esse*, ejusque aliquam in cubiculo Urbani Papæ VIII. extitisse radiatam, & vetustam, a Cardinale Ludovisio eidem petenti donatam: eumque responsum dedisse cuidam Prælato, relinquendi coruscantem coronam præfatæ imagini, non obstante suo decreto de tollendis radiis". Hæc illa, qui similem nobis imaginem cum radiis sculptam transmisit.

CLASS. VI. Joannes Nauclerus.

VARIORUM TESTIMONIA

DE

BEATO NICOLAO

CARDINALI S. CRUCIS.

I.

JOANNES NAUCLERUS (a) GERMANUS

In Chronographia: De Conciliis Basileensi, ac Ferrariensi.

Tom. II. Generat. 48. pag. 1002. edit. Colon. 1579.



UGENIUS Florentia discedens, Bononiæ circiter Annum Domini 1436. Basileense Concilium Ferrariam transtulerat, quod diceret, ibi conventuram cum Romana Synodo Græcam Ecclesiam. Hac translatione non obstante, Patres Basileæ congregati (ut refert Antoninus) obturaverunt aures suas, non audientes vocem Domini, auctoritate suæ temerariæ præsumptionis cœperunt Eugenium ad Concilium citare: sollicitante ad hoc Philippo Maria Duce Mediolani, ægre Pontificatum illius ferente. Visus enim fuit favere Venetis. Sigismundus tunc Imperator omnino hoc prohibuerat, cum schisma nuper præteritum cum maximo labore fuerit ablatum; *Cardinales* etiam *S. Crucis*, ordinis Carthusiensis (qui a Martino Legatus fuerat in Franciam missus, ad pacem inter Regem, & Burgundiæ Ducem componendam) supervenit ad obviandum malis, & idem omnino dissuadebat.

HART. MANNUS SCHEDEL.

II.

HARTMANNUS SCHEDEL GERMANUS (b)

In Chronico Norimbergensi, Sexta Mundi ætate.

FRancia ante hæc tempora diu in flore, nunc in mœrore fuit; cum illud regnum florentissimum supra modum per Henricum Regem Angliæ vastatur. Postquam autem alios bello deturbavit, non sine grandi jactura suorum infelicissima vitam finivit. Joannes quoque Dux Burgundiæ hoc regnum æque laceravit, qui

hre-

(a) Joannes Nauclerus Natione Svevus Præpositus Ecclesiæ Tubingensis, & Universitatis Cancellarius, seu Rector circa annum 1477. Chronicon suum produxit usque ad annum 1500. Vide Paulum Freherum *Tom.* III. Theatri Virorum eruditione clarorum *pag.* 1428.

(b) Schedelii Opus impressum fuit *Norimbergæ* Anno Christi 1493. in fol. De eo vide Vossium de Historicis Latinis *lib.* III. *p.* 573.

CLASS. VI. Hartmannus Schedel. brevi post occiditur, & malorum multorum uccasio extitit. *Cardinalis Sanctae Crucis* tandem *pacem composuit*, quam Burgundi acceptarunt, Anglici non consenserunt &c.

III.

GEORGIUS GARNEFELT.

GEORGIUS GARNEFELT (c) COLONIENSIS

In Epistola ad Scipionem Cardinalem Burghesium Vitae B. Nicolai praemissa.

POssent quidem exempla plura praeclarorum virorum ex amplissimorum Cardinalium Collegio in medium proferri, sed quoniam ego Carthusiani ordinis debitorem me agnosco, cui ante omnia etiam servire cupio; idcirco *praestantissimi pii Cardinalis Nicolai Albergati* quondam Carthusiani memoriam a tenebris eruere, & in lucem producere constitui, praesertim cum tam heroicae hujus viri sint virtutes, fortiaque facta, ut similia passim in aliis non reperiantur. Imprimis etenim vivus *Sanctitate vitae, & erga Sanctam Sedem Apostolicam observantia nulli fuit secundus*, uti labores pro illa exantlati (praecipue in octo legationibus, quas summa cum laude obtinuit) & quatuor Summi Pontifices luculentissime testantur. Deinde ita se virtus ejus in contubernium diffudit, ut multi egregii viri ex eo, praecipue vero duo Summi Pontifices prodierint; postremo post mortem *ea Sanctitatis de ipso sparsa est fama in Romana Curia*, ut ipsemet Eugenius IV. Pontifex Romanus ea permotus, exequiis illius novo exemplo interesse voluerit.

Ita ut ex vita *sancti hujus viri*, tamquam ex divino quodam fonte virtutum aquis abundante, ac scaturiente, pro sua quisque necessitate haurire possit. Hic spiritu ferventer, unde magis fervescant, & inflammentur, tepidi, unde incalescant; duri, unde salubriter compungantur; haeretici, si modo solidas, & heroicas tanti viri virtutes contemplari velint, unde confundantur; Catholici, unde confirmentur, habere queunt.

In hac Legati Summorum Pontificum Cardinales, Episcopi, & Monachi (singulos enim hosce gradus transcurrit, eorumque munia sancte, & exemplariter obivit) omnes denique mortales reperire possunt, quod sibi imitandum proponant.

IV.

ABRAHAMUS BZOVIUS.

ABRAHAMUS BZOVIUS (d) POLONUS

Ordinis Praedicatorum,

In Annalibus Ecclesiasticis Tom. XV.

A. D. 1426. Pag. 170. § II. B. Nicolaus Episcopatum, & tandem Purpuram invitus suscipit.

EX his, quos Martinus Pontifex, virtutis gratia, honore cardinalitio decorandos putavit *Nicolaus Albergatus*, non nisi coactus, eam dignitatem suscepit. Cum enim Martinus dissimulato consilio illum Romam ad se venire jussisset, atque ei jam ad Urbem adventanti obviam ipsa dignitatis insignia misisset: *Nicolaus* eo admiratur, qua antea Episcopatum animi magnitudine respuit. Verum paulo post in conspectum Pontificis progressus, cum ejusmodi honorem adhuc a se modis omnibus averteret; nonnisi sacri anathematis intentione commotus assensit. Titulum autem Sanctae Crucis, quem in sua creatione obtinuerat, adeo gratum habuit, ut postea pro insigni gentilitio ipse solam Crucis effigiem praetulerit. Cujus rei cum plurima adhuc in Episcopio Bononiensi appareant vestigia, tum Franciscus Philelphus est auctor, ad eum in epistolis scribens: *Imitatus es eum, cujus Crucem pro signo geris, Christum Optimum Maximum.* Gessit eum honorem *Nicolaus* ad eum modum, ut S. Antonino teste: *quemadmodum Episcoporum insigne exemplar extiterat, sic clarissimum fuerit speculum Cardinalium*: nec majorem dignitatis splendorem a sacrae purpurae nitore acceperit, quam ipsa claritate virtutis suae ei tradiderit.

§. III. B. Nicolaus mittitur a Pontifice Legatus pro pace conciliandа inter Florentinos, eorumque Socios, & Ducem Mediolani.

Neque vero satis habuit Martinus hoc *Nicolaum* ornamento cohonestasse; quin etiam insigne, & magnificum in primis legationis munus injunxit &c. Quare permotus Martinus, cum jam in potestate sua duas illas civitates haberet, atque subinde vereretur, ne Philippus amissa Brixia, reliquarum quoque urbium periculum subiret, Ducem, Venetos, Florentinosque litteris datis ad pacem hortatus; paulo post *Nicolaum Albergatum Cardinalem virum sanctissimum prudentia, & aequitate insignem* legatum eadem de pace ad illos misit: non tantum ut Philippo socio in magnas rerum difficultates adducto consuleret, verum ut etiam imminentia Italiae mala averteret. Cum his mandatis *Nicolaus* spectatae multis in rebus sapientiae, & auctoritatis Roma profectus, xv. Kal. Octobris Bononiam venit, indidemque a Magistratibus, & universa occurrente, ac gratulante civitate receptus, atque omnibus honoribus, qui Episcopo, & Cardinali Legato a latere Pontificis misso debentur, affectus, mox Oratoribus eorum, ad quos bellum pertinebat, cum mandatis convenire Ferrariam jussis, ipse quoque eo XIII. Kal. ejusdem mensis adivit, ubi summam Nicolai Marchionis erga se humanitatem, usque hospitalitatem expertus, utriusque partis procuratoribus evocatis, ejus causae cognitioni operam dare singulari aequitate instituit &c.

CLASS. VI. Abrahamus Bzovius.

An. 1428. § 1. Philippi Ducis subita mutatio pacem irritam reddit.

Philippi Ducis Mediolanensis apud Brixiam coactis copiis, Venetorum etiam, & Sociorum, consisterat exercitus, superiore anno, quemadmodum dixi, contra Ducem conscriptus. Is posteaquam neque repelli a Philippo potuerit, miserat Martinus Papa *summum virum, & praestantissimum S. Crucis Cardinalem Nicolaum Albergatum*, qui dissidentes ad pacem adduceret &c.

An. 1443. B. Nicolaus Senis moritur magna sanctitatis opinione.

Senis cum esset Eugenius, *Nicolaum Albergatum Cardinalem Sanctissimum* amisit. Numquam is a Pontificis latere discedebat, donec graviter tentari calculo coepit, quem ex superiore victus ratione, & praeteritorum laborum susceptione contraxerat: quo cum per aliquot dies patientia magis, & virtute, quam remissione doloris, aut spe aliqua vitae luctatus est, quam libenter se cum meliore, atque optabiliore commutaturum dicebat . . . . . . Factum numquam ante hac patrum memoria. Neque enim Pontificius, & curiae mos habet, ut in Cardinalis funeribus Pontifex Romanus uspiam interfuit; neque patratum antea ulla ex causa fuisse quispiam antiquorum noverat. Commovere autem Pontificem Eugenium, ut tantum *Nicolao* decoris, ornamenti impensum vellet, *non sanctitas modo, & immaculata integritas, gloriaque, atque opinio de illo universi terrarum orbis, & amorum hominum*; sed quod amplissimis *Nicolai* de Ecclesia, & Sede Apostolica meritis devinctum, & obstrictissimum se illi arbitrabatur: quippe qui etiam suarum partium indefessus semper ac fortissimus propugnator extiterat; innumera, quae inferri detrimenta potuissent, averterat; suis consiliis non vulgaria Eugenio emolumenta contulerat, auctoritateque sua, & praesentia incredibiles illi semper favores principum, ac ceterorum hominum studia comparerat &c.

V.

ALPHONSUS CIACONIUS.

ALPHONSUS CIACONIUS HISPANUS (e)

In Libro de Vitis Romanorum Pontificum.

Tom. II. p. 850. edit. II.

FR. *Nicolaus Albergatus* Civis, & Episcopus Bononiensis, ordinis Carthusianorum, Presbyter Cardin. tit. S. Crucis in Hierusalem; qui humanioribus literis instructus, quam postea juri civili strenue operam navasset, religionis fervore stimulatus, *quam esset vir bonis moribus, & vita integritate conspicuus*, religionem Carthosianorum professus, ita in ea, dum vixit, excelluit, *& morum sanctitate in ceterorum exemplum refulsit*, ut per omnes gradus suae religionis, & dignitates ascendens, Bononiensi Ecclesiae, Clero, & populo postulante, digne praeficeretur. Qua dignitate honestatus non jam (ut plerique efficere solent) suae religionis aut habitum perosus, fratrum suorum consortia, aut familiaritates exhorruit, nec quidquam de prioris vitae austeritate remisit, nec humilitati, aut mansuetudini relaxavit, sed eadem homini in conversatione facilitas, eadem vitae perfectio, & si fieri potuit, petamplior, atque illustrior fuit. Nihil enim, quod ad religionis (quam esset professus) dignitatem, quod ad mansuetudinem, quodve ad rerum humanarum contemptum attinere videretur, omisit; quin potius eo magis se, ut virtutum omnium exemplar, ac formam exhibuit; quoniam non sui ipsius modo, sed universi gregis sibi commissi rationem se noverat Domino redditurum. Quare & populum moribus optimis instituit, tranquillitati, & paci studens, amplissimisque eleemosynis sua gratia, & virtute fovit, ob quod omnibus carus, & gratissimus fuit. Unde Martinus V. audita *tanti viri fama, & sanctitate* ipsum Romam arcessivit; quem Nuncium ad Regem Francorum, & Angliae bello certantes, ut pacem inter eos componeret, & oratione sua (qua maxime pollebat) pacaret, misit: quod & feliciter perfecit. Romam reversus, Cardinalis a Martino creatus, a quo legatus iterum fuit ad Venetos, Florentinos, & Ducem Mediolani, ut eos inter se foedere uniret.

Mor-

(c) Georgius Garnefelt Carthusianus Vitam Beati Nicolai edidit Coloniae Anno Domini 1618. in 4.

(d) Abrahamus Bzovius natione Polonus patria Prosoviciensis, Ordinis Praedicatorum. Obiit Romae A. D. 1637. pridie Kalendas Februarii. Vide Jacobum Le-Quetif *Tom.* II. Scriptor. Ordinis Praedicatorum *pag.* 432.

(e) Ciaconius obiit A. C. 1606. Vide Nicolaum Antonium Biblioth. Hispan. *Tom. I. pag.* 14. *& Tom. II. pag.* 653. Jacobum Le-Quetif in Scriptoribus Ordinis Praedicatorum *Tom. II. pag.* 344.

CLASS. VI. Alphonsus Ciaconius.

Mortuo autem Martino V., & a successore ejus Eugenio IV. ad diversos Principes, & provincias pro fidei negotiis missus, omnia fideliter, & strenue gessit. *Fuit vir pius, & sanctus, & studiosorum amator*, ex cujus contubernio, & schola duo Romani Pontifices prodiere, nempe Nicolaus V., & Pius II. Ad Concilium Basileense legatus fuit cum plena potestate, ut locus pro futuro concilio eligeretur, id maxime petentibus Græcis. Præfuit Legatus primæ Sessioni in Concilio Eugeniano Ferrariæ inchoato, & Florentiæ finito, quo & Græci convenerunt. A Rege Angliæ sibi dono datum Cranium B. Annæ Matris Beatæ Virginis, Carthusiensibus donavit: S. R. E. * Camerarius fuit, ex calculo obiit Senis in Toscia, corpus in Carthusianorum Cœnobio tumulatus anno MCCCCXLIII.

* Poenitentiarius.

VI.

THOMAS DE HERRERA.

THOMAS DE (a) HERRERA HISPANUS.

Responsione pacifica V. n. 642.

SExtus est (nempe Protector Ordinis Augustiniani) *Beatus Pater D. F. Nicolaus Albergatus, Ordinis Carthusianorum*, Civis, & Episcopus Bononiensis, quem Martinus V. IX. Kal. Julii anno 1426. creavit Presb. Cardinalem tit. S. Crucis in Hierusalem; obiit autem Senis VII. idus Maji anno 1443. sepultusque est ad Carthusianos. Constat autem eum fuisse *Ordinis Protectorem*; quia in Registro Generalis Gerardi de Arimino fol. 304. pag. a. habentur hæc verba. *Ad postulationem instantissimam Reverendissimi D. D. Cardinalis S. Crucis Ordinis Protectoris*,

VII.

CLASS. VI. Georgius Lilius Britannus.

GEORGIUS (b) LILIUS BRITANNUS.

In Chronico Regum Anglorum.

NIcolaus *Cardinalis S. Crucis* ab Eugenio IV. Pontifice Romano conciliandæ pacis causa inter Gallos, & Anglos, Legatus, inducias in sex annos paciscitur; quæ tamen post sextum mensem violatæ sunt. An. 1435.

Carolus Rex fortunam belli metuens, Burgundium ab Anglis alienatum, ad se pertrahere conatur. Paci faciendæ Atrebatum urbs destinata, ubi *Nicolaus Pontificis Legatus, inter Gallum, & Anglum litis arbiter*, leges fœderis proposuit, quas tamen Rex uterque respuit, Carolus Burgundium præmiis, ac promissis in suas partes adducit, offensiones, ac inimicitiæ diuturnæ inter eos sopitæ, & sublatæ. 1435.

VIII.

FRANCISCUS HAROLDUS.

FRANCISCUS HAROLDUS (c) HIBERNUS

Ordinis Minorum.

In notis ad Epistolam CXXI. B. Alberti Sarthianensis.

ERat Thomas Medici Sarzanensis filius: dum Bononiæ primis literis incumberet, *Beati Nicolai Albergati illius urbis Episcopi, viri vitæ sanctimonia, doctrina, & rebus pro Romana Ecclesia fortiter prudenterque gestis celeberrimi*, patrocinio potitus, ejusque liberalitate sic adjutus est, ut Philosophiæ, & sacræ Theologiæ lauream, omni pietatis, & doctrinæ laude adeptus sit &c. Scribunt etiam authores Vitæ *Beati Nicolai Albergati*, eum in *Cælis Beatum* Thomæ per somnium apparuisse, eandemque dignitatem illi prædixisse &c.

(a) Thomas de Herrera Responsiones suas edidit Bononiæ anno 1635. Obiit Matriti fere septuagenarius ineunte anno 1654., prout nos docet Nicolaus Antonius *Tom. II. Biblioth. Script. Hisp. p. 245.*

(b) Georgius Lilius Chronicon suum produxit usque ad annum 1602. Extat in Chronico Ecclesiastico, & politico Jani Gruteri *Tom. II. Parte I. pag. 370.*

(c) Beati Alberti Opera post Haroldi mortem Romæ vulgata fuerunt, studio F. Patricii Duffii Belgæ A. D. 1688. in fol.

SILVESTER (a) SYROPULUS

In Historia Concilii Florentini.

Sect. IV. Cap. XVI.

Εἶτα ἦλθεν ὁ Δοὺξ καὶ εἶδε τὸν Πατριάρχην, ἔπεμψε δὲ αὐτῷ κανίσκιον ζάχαρ ἰνδικοῦ, καὶ λαμπάδας μεγάλας μ, καὶ οἶνον, καὶ μεθ' ἡμέρας ἦλθεν ὁ Καρδινάλιος τοῦ Σταυροῦ παρὰ τοῦ Πάπα σταλείς, καὶ μετ' αὐτοῦ ὁ Μαρκίσιος τῆς Φεραρίας, καὶ εἶδον τὸν Βασιλέα, καὶ τὸν Πατριάρχην. ὅτε δὲ ἦλθεν εἰς τὸν Πατριάρχην εἵπετο καὶ ὁ Δοὺξ κατέχων τὰ κράσπεδα τοῦ Καρδιναλικοῦ ἱματίου.

Ἔμεινεν ἐν οὖν τῇ Βενετίᾳ ὀλίγας ἡμέρας, καὶ πάλιν ὑπέστρεψεν ὁ Καρδινάλιος εἰς τὸν Πάπαν: Λόγοι δὲ ἐκινοῦντο τότε πολλοὶ περὶ τοῦ, εἰ δεῖ τοὺς ἡμετέρους πρὸς τὸν Πάπαν, ἢ πρὸς τὴν ἐν Βασιλείᾳ Σύνοδον ἀφικέσθαι.

POsthæc Dux invisit Patriarcham, obtulitque ei dono copiam Sacchari Indici, & luminaria grandia quadraginta, ac vinum: & post aliquot dies venit *Cardinalis Sanctæ Crucis* a Papa missus, & cum ipso Marchio Ferrariæ, & inviserunt Imperatorem, & Patriarcham. Cum vero venisset ad Patriarcham subsequebatur & *Dux qui tenebat imam fimbriam Cardinalitii paludamenti.*

Mansit ergo Venetiis paucis diebus; iterumque rediit *Cardinalis* ad Papam: ac tum plurimi fieri cœperunt sermones: An oporteret nostrates ad Papam, aut ad Basileensem Synodum proficisci.

(a) Quis qualisve fuerit *Syropulus* inutile prorsus est docere, postquam Vir maximus Leo Allatius, & *Syropulum*, & illius editorem Robertum Creyghtonum egregiis illis Exercitationibus confutavit, quas Romæ edidit A. D. 1665. Nos Schismatici hominis testimonio usi sumus eo plane consilio, ut B. *Nicolai* nomen cunctis pene gentibus notam fuisse ostenderemus. Nam quæ de ipso scripserint Itali, Galli, Belgæ, Germani, Hispani, Poloni, atque Britanni, nostra hæc collectio satis superque constat; Reliquum erat, ut Orientales quoque tantam *Beati Viri* famam suffragio suo comprobarent. Quapropter & *Syropulo*, licet Schismatico, in hac nostra collectione locus datus est, quod patria lingua honores eximios memoret, quos *B. Viro* augustissimus Venetorum Senatus ultro detulit, cum amplissima apud ipsos Legatione fungeretur Concilii causa. Plura fortasse de *B. Nicolao* ex Græcis Scriptoribus hausta haberemus, si ea quæ de concilio Ferrariensi ac Florentino magno conatu studioque paraverat Allatius, publicam lucem aspexissent: at furaces plagiarii manus expertus Vir maximus nobilissimam hanc provinciam, quam egregie de more adornasset, aliis perficiendam reliquit. Rem ipse narrat in lis, quas modo laudavimus, Exercitationibus *pag. 71.* atque V. Cl. Jacobus Philippus Tomasinus ingenti Allatiani operis expectatione commotus exclamat *pag. 10. Bibliothecæ Patavinæ: Sed quisnam tantæ rei remoram facit? a temporo! nondum novi.* Interim quod ad Græcos attinet, notandum est in Actis Concilii Ferrariensis, quæ Theodoro Xantopulo tribuuntur, quæque extant *Tom. XIII. Conc. Labbei pag. 14. edit. primæ* perperam legi ὁ τοῦ ἁγίου Σταυροῦ κύριος Νικόλαος καρδινάλις Φιρμανός, idest, *Sanctæ Crucis Dominus Nicolaus Cardinalis Firmanus*. Nam Cardinalis *Firmanus*, quem hic laudat Græcus Scriptor, est *Dominicus Capranica*, qui Titulum obtinuit S. Crucis in Hierusalem, postquam *B. Nicolaus* ad superos evolavit: Etenim hoc anno *Dominicus* jam Eugenio reconciliatus, ut diximus in notis ad Epistolam VI. ejusdem pontificis, Diaconus erat S. Mariæ in Via Lata, quemadmodum nos docent Eugenii Diplomata, quibus ipse subscripsit, quæque extant *Tom. XIII. Concil. pag. 467. Beati* quoque *Viri* meminit Andreas de S. Cruce Patritius Romanus, & Sacri Consistorii Advocatus in Collectionibus suis, quas expilatis Allatii Scriniis Romæ edidit Horatius Justinianus anno 1634. *pag. 70.*

SYNOPSIS
CHRONOLOGICA
RERUM GESTARUM
BEATI NICOLAI ALBERGATI

Cardinalis Sanctæ Crucis, & Episcopi Bononiensis.

1375 BEatus Nicolaus Bononiæ nascitur patre Petro Nicola Albergato, & matre Philippa. *Zenus in ejus vita §. I. pag. 326. Histor. Miscellanea pag. 395. Sigon. cap. I.*

1386 Juri Civili operam dare incipit. *Zenus ibid. Sigonius cap. I.*

1395 Carthusiense institutum profitetur Bononiæ. *Zenus ibid. Sigonius cap. 2. Bossius pag. 440. Dorlandus pag. 441. Sutor. pag. 432.*

1398 Bononiensis Carthusiæ Prioratum obtinet. *Sigonius capit. 2.*

1402 Florentinæ Carthusiæ præficitur. Canonicos Regulares Lucenses jovat. *Penottus pag. 410.*

1407 Carthusiæ Romanæ Prioratum adipiscitur, ac totius Ordinis Generalis Procurator eligitur. *Garnefeltus ex Charta Provinciali.*

1409 Carthusiæ Mantuanæ recens extructæ Prior designatur. *Garnefeltus ex Charta Provinciali.*

1416 Prædictæ Carthusiæ Prioratum linquit. *Idem ex Charta Provinciali.*

1417 Eligitur Episcopus Bononiensis mense Januario. *Zenus p. 327. Sigon. cap. III.* Episcopatum sibi oblatum respuit. *S. Antoninus pag. 373. Zenus ibid. Poggius pag. 375. Histor. Miscell. pag. 395. Hieronymus Bursellus pag. 397. Sigon. ibid.* Bononienses Oratores ad Generalem Carthusiensium Priorem in Galliis degentem mittunt. *Zenus pag. 327. Histor. Miscell. ibid. Vetus Charta apud Bartholomæum Senensem pag. 407. Sigon. cap. 4.* Episcopatum ejusdem Prioris jussu accipit, & ab Archiepiscopo Ravennati consecratur mense Junio. *Sigonius cap. 4. Histor. Miscell. pag. 395.*

1419 Bononienses eum legatum destinant ad Martinum V. Pont. Maxim. Mantuæ degentem. *Zenus pag. 317. Ghirardaccius Tom. II. pag. 621. Sigonius cap. 7.*

Iterum ad Pontificem Civium suorum legatus proficiscitur: quasdam pacis conditiones ab illo impetrat. *Zenus pag. 328.*

1420 Florentiam ad Pontificem pergit, Bononiensium tertio legatus. *Zenus ibid. Histor. Miscell. pag. 395.* Pontifex clausas illi interdicti litteras tradit: Bononiam reversus Interdicti sententiam promulgat Pontificis jussu. Cives seditione facta, insidias illi struunt; ipse mutatis vestibus Florentiam ad Carthusienses perfugit. *Zenus pag. 328. 329. S. Antoninus pag. 373. Sigon. cap. 8*

1421 Domitis a Pontifice Bononiensibus Ecclesiæ suæ restituitur. *Zenus pag. 329. Sigon. ibid.*

1422 Martinus Pontifex ipsum in Gallias legat ad pacem componendam inter Carolum VI. Francorum, & Henricum V. Anglorum Reges. *Zenus pag. 329. Martini Epistola pag. 341. & seqq. Matthæus de Griffonibus pag. 394. Bursellus pag. 397. Poggius pag. 378. Joannes Germani pag. 413. Hieronymus Garimbertus pag. 404. Sigonius cap. IX. Ughellus pag. 410. Raynaldus pag. 413.*

1423 Bononiam revertitur die viii. mensis Junii. *Matthæus de Griffonibus pag. 394.*

1426 Cardinalis a Martino V. creatur ix. Kal. Junii. *Zenus pag. 330. Sigon. cap. X.* Amplissimam hanc dignitatem invitus suscepit. *S. Antoninus pag. 373. Poggius pag. 378. Vespasianus Florentinus pag. 372. Auctor Histor. Miscell. pag. 395. Bursell. pag. 397. Garimbertus pag. 404.*

Legatus mittitur in Galliam Cisalpinam ad pacem componendam inter Philippum Ducem Mediolani, Venetos, ac Florentinos. *Zenus pag. 330. S. Antoninus pag. 374. aliique.*

Pax inter eosdem hoc anno sancitur præcipuo B. Nicolai studio. *Zenus pag. 332. vide notam ad eumdem.* 1427

B. Nicolaus pacis causa Brixiam petit iv. Idus Januarii. *Capreolus pag. 403.* die 18. Augusti Mathamaucum ad Venetos proficiscitur, ibique a Duce magnifice excipitur. *Sanutus pag. 339.*

Iterum ad Philippum Ducem Mediolani Martini Pontificis legatus pergit. Pacem inter ipsum, ac Venetos, Florentinos, eorumque fœderatos componit die 19. Aprilis. *Zenus pag. 334. Martinus V. Epist. XII. S. Antoninus pag. 375. aliique.* 1428

Bononiensem seditionem fugiens Mutinam se confert. Discordiarum reliquias inter Venetos & Ducem Mediolani componit, ac tandem Romam ad Pontificem proficiscitur. *Zenus pag. 333. Blondus pag. 392. Bornius de Sala pag. 394. Histor. Miscell. pag. 396. Andreas Billius pag. 400.*

Bellum inter Venetos, & Insubres instauratur. B. Nicolaus ad illud compescendum Legatus iterum a Martino destinatur: Gallica insuper legatio ei defertur. *Zenus pag. 334. Histor. Miscell. ibid.* 1431

Martinus Pontifex moritur die 20. Februarii: B. Nicolaus Piscariæ manet novi Pontificis electionem expectans. *Zenus pag. 335.*

Eugenius IV. Pontifex Maximus renunciatur. Gallicam Legationem B. Nicolao confirmat die 29. Aprilis. *Eugenius Epist. I. pag. 351. Zenus pag. 335. Carolus VII. Francorum Rex pag. 367. aliique.*

Carolum Regem Francorum Bituris convenit, eumque ad pacem hortatur: inde Bruxellas pergit ad Philippum Ducem Burgundiæ. *Joannes Germani pag. 415.* Inducias ad sexennium inter ipsos componit. *pag. 403. 417. 418. 426. & alibi passim.* 1432

Concilii Basileensis legatus destinatur xvii. Kal. Januarii; ibique magnis honoribus afficitur *p.* 335. 380. 384. 1433

Legatus a Concilio destinatur ad pacem Italicam perficiendam *pag.* 336. 1434

Hujus anni initio Florentiam ad Pontificem se confert. *Zenus pag. 336. Anonymus Florentinus pag. 402.* 1435

Die 25. Aprilis in Gallias legatur ad conventum Atrebatensem, in quo insigni edito Miraculo, Philippum Ducem Burgundiæ Carolo Francorum Regi conciliat. *Zenus pag. 337. Scriptores in notis relati, quibus addendus Ludovicus Gollut pag. 430.*

Concilii Ferrariensis legatus constituitur anno 1437. iv. nonas Januarii *Eugenii PP. IV. Epist. XI. pag. 362. Zenus pag. 337.* 1437

Ferrariam proficiscitur die 7. Januarii anno 1438. *Sanutus pag. 399.* inde Venetias se confert die 10. ejusdem mensis, ibique Græcorum Imperatorem excipit, ac Ferrariam perducit. *pag.* 337. 399. 1438

Pridie Idus Septembris legatus mittitur ad Germanorum Principum conventus Nurembergæ indictos *pag.* 337. 372. 380. *&c.* 1439

Florentiam ad Pontificem reversus Summus Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiarius eligitur, ac concilio interest *pag.* 338. 380. 1440

B. Nicolaus Senis moritur ex calculi doloribus magna sanctitatis opinione. Eugenius Pontifex ei justa persolvit. Illius viscera Senis condita in Ecclesia S. Augustini. Corpus vero Florentiam ad Carthusienses translatum *p.* 338. 339. 373. 374. 381. *&c. Vixit annos LXVIII.* Sedit in Episcopatu Bononiensi ann. XXVII. 1443

IN-

INDEX AUCTORUM

QUORUM TESTIMONIA IN SEX CLASSES DISTRIBUTA

HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV.

Litteræ Apostolicæ in forma Brevis in Causa Canonizationis

BEATI NICOLAI ALBERGATI

S.R.E. CARDINALIS, ET EPISCOPI BONONIENSIS.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.



UONIAM ita comparatum est, ut ea, quæ alias accuratissime expensa, & concordibus cum virorum pietate, ac sapientia insignium suffragiis a Nobis ipsis sancita ac decreta fuerunt, novis deinceps suprema Apostolicæ nostræ auctoritatis documentis approbata, & confirmata, universi Christifideles majori cum fide, constantia, ac veneratione accipere, & debita executioni mandare consueverint: Eapropter Decretum, quod nuper super casu excepto a Decretis fel. record. Urbani Papæ VIII. Prædecessoris nostri in Causa B. Nicolai Albergati edidimus, novo Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communire satagimus. Hujusmodi autem Decretum est tenoris, qui sequitur.

DECRETUM

Summi Pontificis BENEDICTI XIV., in quo approbatur, & confirmatur resolutio Congregationis Sacrorum Rituum Ordinariæ habitæ coram ipso Kalendis Augusti currentis Anni 1744. Super casu excepto a Decretis Urbani VIII. in causa B. Nicolai Albergati, *Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Episcopi Bononiæ una cum aliis concessionibus ab eodem factis in honorem dicti Beati.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Singulare Divinæ providentiæ consilium esse videtur, quod Nobis reservaverit initium, progressum, quousque fieri potuit, Causæ *B. Nicolai Cardinalis Albergati*, qui Anno 1443. decessit: Quo cum Nos & patriam communem, & eundem Cardinalis Titulum Sanctæ Crucis in Hierusalem sortiti sumus; eademque Bononiæ Ecclesia (cujus ipse Episcopus inauguratus est Anno 1417., & ad mortem usque gubernavit) Nobis pariter gubernanda tradita est, & ad hanc usque diem gubernamus.

Cum in minoribus Promotorem Fidei ageremus, Canonizationis ejus causam inducere tentatum est. Quod autem tunc perfici minime potuit, id tandem in Congregatione Rituum habita die 20. Julii 1744. dilecto filio nostro Cardinali Pompejo Aldovrandi tunc Prodatario, nunc Æmiliæ Legato referente fuit deliberatum; atque ejusdem causæ introducendæ, prout moris est, commissio manu nostra per quam libenter signata prodiit.

Decreta itaque Urbani VIII. Prædecessoris nostri inhærendo, subjici debebat examini observantia eorundem Decretorum; & cum Nobis compertum esset, in Archiepiscopali Curia Bononiensi Anno 1651. auctoritate ordinaria conditum fuisse Processum, in quo varia documenta, ac testimonia de observantia prædictorum Decretorum afferebantur; atque inde etiam deducebatur, scientia, assensuque Episcoporum Bononiensium publicum cultum fuisse exhibitum *B. Nicolao Albergati* toto tempore, quod Urbani VIII. Decreta exigunt; præterea Jacobum Boncompagni Cardinalem Archiepiscopum Bononiensem Anno 1725. sententiam de more pronunciasse, qua cultum illum ad formam ipsorum Decretorum exhibitum fuisse comprobabat; *Nos, ut Sanctitatis fama ejusdem Beati Viri* illustrior fieret, & publici ejus cultus fundamenta magis stabilirentur, vitæ illius acta a Jacobo Zeno Episcopo Feltrensi, & Bellunensi ejus familiari conscripta, typis iterum publicari præcepimus, & cum Codice Bibliothecæ nostræ Vaticanæ conferri. Codex autem ejusmodi bene ornatus, & Cardinalis Petri Barbi, qui deinde Pontifex factus Pauli II. nomen assumpsit, stemmata præferens, cui adhuc Cardinali opus illud inscriptum fuerat, multo pretio, & æstimatione dignus esse videtur, & ad errores aliquot, qui in vetustiores ejus vitæ editiones irrepserant, corrigendos apprime aptus.

Id vero accurate perfecit Constantinus Ruggeri Clericus, noster que familiaris, qui præmemoratæ vitæ notas addidit. Communicatis deinde illi Martini V., & Eugenii IV. Apostolicis Brevibus, quæ in Archivo nostro peculiari servabantur, in quibus amplissima de *Sanctitate Vitæ B. Nicolai Albergati* testimonia continentur; tum etiam ei traditis iis, quæ a Nobis alio tempore hac de re collecta fuerant, factaque eidem cum ad nostram domesticam Bibliothecam, tum ad alias hujus Urbis celebriores adeundi potestate, Nos ipsi singulis hebdomadis opus perlegere, & examinare curavimus; præscripto ordine, quem in eo dirigendo ordinandoque haberi voluimus, atque hinc post multos labores ad Jacobi Zeni historiam adjecta sunt prædictorum, aliorumque Romanorum Pontificum testimonia; nec non & Caroli VII. Galliæ, & Henrici VI. Britanniæ Regum, ac plurimorum illustrium Italiæ auctorum, inter quos recenseri maxime debent S. Antoninus, & Æneas Sylvius; tum etiam ex Gallia, Flandria, aliisque Regionibus, Scriptorum: quæ omnia in unum volumen ab eodem Constantino Ruggeri collecta, jussoque nostro typis in lucem edita hoc ipso anno prodierunt.

His omnibus comparatis, cum in Congregatione Rituum ordinaria proponendum esset dubium de observantia Decretorum Urbani VIII. Cardinali Aldovrando absenti nemo alius Cardinalis fuit a Nobis subrogatus, qui causam illam referret: Sed Kalendis Augusti habita coram Nobis eadem Rituum Congregatione, Nos ipsi Cardinalis relatoris vices supplentes, exposuimus primo, *Beatum Nicolaum Albergati* Bononiæ illustri genere natum in *Carthusianorum* claustra juvenem concessisse; ibique *Sanctitatis*, ac prudentiæ fama in variis Carthusianis Domibus Prioris munere functum, Romæ deinde fuisse Ordinis sui Procuratorem Generalem, postea *Bononiensis Ecclesiæ, invitum* quamvis, & coactum, *regimen suscepisse*, in quo ecclesiastica vivendi disciplina, largisque eleemosynis luculentiora dedit *Sanctitatis suæ* argumenta: quibus accessit invictum robur, quo turbulentis illis Ecclesiæ temporibus, jurisdictionis, & auctoritatis Pontificiæ adversariis fortissime restitit: a Pontifice Martino V. Cardinalium ordini adscriptum, præceptoque adactum, ut eam dignitatem acciperet, sic in eo grado se gessisse, ut quemadmodum Religiosus religiosæ vitæ, Episcopus religiosi Episcopi, ita Cardinalis factus Cardinalis religiosi exemplar, ac norma extitit; cum in omni vi-

vitæ genere disciplinam regularem, austeritates, & Carthusiani instituti jejunia constantissime retinuisset: a Sede Apostolica rebus gerendis præpositum, post multos labores pacem inter Mediolanensem Ducem, Venetos, & Florentinos conciliasse; & post plura in Galliam itinera, nunc Martini V., nunc Eugenii IV. Pontificum jussu, in magno Atrebatensi conventu inter Carolum Galliæ Regem, & Philippum Burgundiæ Ducem, præclaram illam pacem, Catholicæ religioni adeo proficuam firmasse; cum interea singularis Dei providentia ad ejus preces insigne miraculum edidisset, ut Scriptores nonnulli memoriæ prodiderunt. Exposuimus quoque sapientem illius gravitatem cum communi *Sanctitatis opinione* conjunctam in aliis Legati Apostolici muneribus, quæ ille tum in Basileæ, tum in Ferrariæ conciliis, tum etiam in conventu Principum Germanorum Norimbergensi præclaræ sustinuit; præter gravissimum illud Summi Pœnitentiarii, quod apud Pontificem Eugenium IV. gessit: postremo meritis plenum Senis ea hac mortali vita decessisse, communi omnium opinione, ac fama, heroicis virtutibus ornatum; ejusque corpus Florentiam, prout ipse mandaverat, ad Carthusianos fuisse delatum, ubi ad hanc usque diem requiescit: Cum illud Senis Florentiam comitatus fuisset Thomas Sarzanensis, qui deinde Cardinalis, ac paulo post Pontifex factus, Nicolaus V. vocari voluit in memoriam *Nicolai Cardinalis Albergati*, Viri de se optime meriti: qui post obitum (ut historici, inter quos ipsemet Thomas, narrant) ei apparuit, ac tristem, mœrentemque hac ipsa magistri sui, & domini morte recreavit; & inter cætera sempiterna felicitate se potiri affirmans, Summum illi Pontificatum prædixit, quem pariter Æneas Sylvius Pii Secundi nomine assecutus est: qui ambo fuerant cum eodem *Nicolao Albergati* obsequio, & familiaritate conjuncti. Atque uno verbo diligenter exposuimus quidquid magis egregium solidumque de *B. Nicolao* memoriæ proditum erat in Pontificiis diplomatibus, gravissimisque auctoribus, qui in prædicto volumine fideliter accuraterque citantur. Transeuntes inde ad id, quod erat præcipuum, ad qualitatem scilicet, & vetustatem publici cultus, retulimus, summa fide, quidquid causæ Postulatores in suis scriptis attulerant, tum etiam illa, quæ Fidei Promotor in suis animadversionibus, ex officio opposuerat. Nec fuit a Nobis omissum id, quod ad ejusmodi oppositiones respondere valide poterat: illustratis, & in bono lumine collocatis principiis aliquot, quæ in nostris de Canonizatione Sanctorum operibus continentur, quibus oppositiones illæ nitebantur. Mentem autem nostram minime aperuimus; sed sententiis aliorum exquisitis, ingenti animi nostri gaudio audivimus, Cardinales omnes congregatos, communi suffragio, & una voce declarantes, Urbani VIII. decretis obtemperatum prorsus fuisse, quorum vi *Beati Nicolai* causa esset multis nominibus excepta; adeoque veterem, ac publicum ejus cultum legitimum, & canonicum esse censendum, nulloque modo iis, quæ in citatis decretis præscribuntur, adversum. Atque id magis, quod publicus idem cultus tunc cœpit, cum Senis corpus ejusdem Beati Viri in Ecclesia S. Augustini fuit expositum, ubi præter totius populi concursum, qui ejus pedes, manusque deosculari certabat, Eugenius IV. Pontifex Maximus, inusitato iis temporibus exemplo, ejus funeri cum tota Curia adesse voluit: testatus id se facere ob ingentem, quam de ejus sanctitate opinionem habebat, per Orbem jam longe lateque pervulgatam; imo & duarum librarum lapidem, qui in dissecto ejus corpore repertus est, devotionis causa apud se habere voluit. Addebant præterea Cardinalem Gabrielem Paleotti primum Bononiæ Archiepiscopum *Nicolai nomen in Beatorum, ac Sanctorum* Ecclesiæ suæ album retulisse, & Urbanum VIII. ut nonnulli memorant, affirmasse, delendos non esse ab ejus imagine radios, & splendores, quos ipse publico decreto Imaginibus eorum, qui non essent ab Apostolica Sede Canonizationis, aut Beatificationis honore donati, apponi prohibuerat, appositosque deleri jusserat: Postremo *Beati Nicolai* statuam jussu nostro in fronte Basilicæ Liberianæ inter alias aliorum Sanctorum fuisse positam, cujus Basilicæ ipse fuerat Archipresbyter.

Audivimus hæc omnia singulari animi nostri lætitia, & in omnibus unanimes prædictorum Cardinalium sententiæ voce assensi sumus, quam etiam nunc scripto probamus, & confirmamus. Quoniam vero in ejusmodi casibus Fidelium pietas, ut observavimus, præscriptos limites transilire facile solet; cui rei, si Deo placuerit, alio tempore Nos opportune providere cogitamus, in præsens decernimus ea, quæ sequuntur.

Primo, evulgato hoc Decreto, nolumus ingentem publicæ lætitiæ significationem dari eo modo, quo in Canonizatione alicujus Beati fieri solet, quod quidem alias contigisse non ignoramus; sed solum in Ecclesia Metropolitana Bononiæ, in Basilica Liberiana Romæ, & in singulis Carthusiani Ordinis Ecclesiis post Missam, quam Conventualem dicunt, cantari posse concedimus *Te Deum* in gratiarum actionem sine musicorum instrumentorum strepitu, nulloque campanarum sonitu præcedente:

Secundo præter *titulum Beati*, quem de jure possidet, a privatis primo illi attributum, nunc vero a Sancta Sede comprobatum, concedimus ejus imagines pingi, ornarique posse laureolis, radiis, & splendoribus; non autem diademate juxta Decretum Sacræ Congregationis Rituum die IX. Februarii MDCLXVIII. ab Alexandro VII. confirmatum. Volumus autem semper Carthusiani Ordinis habitu vestiri, quo ipse tam Episcopus, quam Cardinalis perpetuo usus est, non solum religionis causa, sed etiam, ut Ecclesiasticam disciplinam eo tempore maxime vigentem observet. Capiti vero illius neque pileolum, neque biretum rubeum apponi volumus: cum certum sit, ejusmodi ornamenta Cardinalibus regularibus fuisse concessa a Prædecessore nostro Gregorio XIV. Anno MDXCI.; bene vero Cardinalis Pileum, quo multo prius singulis Cardinalibus uti dedit Innocentius IV., eoque caput ornari, sive is ad pedes deponi poterit.

Tertio nolumus ejus imagines in Ecclesiarum, sive Sacellorum privatorum Altaribus collocari, excepta tamen Ecclesia Metropolitana Bononiensi, Basilica Liberiana Urbis, & singulis Ecclesiis, ac Sacellis ordinis Carthusiani, tum etiam Ecclesiis illius sive alibi, in quibus, vel super aras, vel extra, ejus imagines in præsens existunt.

Postquam innotuit, ac declaratum est, Nos in eo casu versari, quem Urbani VIII. decreta excipiunt, & post ea, quæ nuper exposuimus, & quæ quodammodo ex declaratione casus excepti a Decretis Urbani VIII. sequuntur; Apostolicæ Sedis in more fuit, præterito aliquo tempore, urgentibus gravibus circumstantiis Officium, & Missam de Communi in honorem Beati concedere; alio deinde interjecto tempore, urgentibus gravioribus circumstantiis, Lectiones proprias, etiam antequam fuerint discussæ, & approbatæ virtutes, juxta exempla a Nobis cumulata in nostro opere de Canonizatione Sanctorum lib. IV. part. II. cap. IV. num. VI.; denique post aliquod temporis spatium Beati nomen in Martyrologium Romanum (quamquam id perrato) referre; & quoties magni ponderis causæ adessent Decretis, & Constitutionibus Apostolicis, si quæ obstant, derogare consuevit, juxta ea, quæ a Nobis relata sunt in eodem opere nostro de Canonizatione Sanctorum lib. IV. part. II. cap. XVII. num. XIV. Nos itaque ingentibus *B. Nicolai Albergati* Cardinalis erga hanc S. Sedem, & Catholicam Religionem meritis inspectis, tum etiam communi præconio, quo Scriptores ex omni lingua, tribu, & populo heroicis ejus virtutibus plaudunt, derogantes plenitudine auctoritatis nostræ quibuscumque adversantibus; & temporis inutiliter transacti jacturam compensare volentes, Officium Divinum de Confessore Pontifice cum Lectionibus propriis, per Nos componendis, & Oratione *Exaudi quæsumus* de eodem Communi, ritu majoris duplicis recitari concedimus die IO. Maii, in quo ad Beatam vitam migravit; id vero tantum Clero tam Regulari, quam Seculari; necnon & Monialibus Civitatis, & Diœcesis Bononiensis; tum etiam Romæ Clero Basilicæ Liberianæ, pariterque Monachis, & Monialibus Ordinis Carthusiensis universi; itaut quicumque ex prædictis præmemorato die Officium illud recitaverit, horas Canonicas, ad quas tenetur, persolvisse censeatur. Eadem ratione concedimus, die IO. Maii in omnibus prænotatis locis celebrari posse in honorem ejusdem *Beati* Missam de *Communi Confessoris Pontificis*: quam quidem concessionem ad alios quoque Sacerdotes tam Seculares, quam Regulares, qui eo die in Basilica Liberiana, aut in Carthusiani Ordinis Ecclesiis rem Sacram confecerint, extendi volumus. Concedimus quoque eodem die IO. Maii in antedictis Ecclesiis celebrari posse quotannis *Beati Cardinalis* festum, & ejus reliquias ad publicam venerationem exponi, non autem in processione deferri, juxta ea, quæ Alexander VII. die 27. Septembris 1650., & 17. Aprilis 1660. decrevit.

Po-

Postremo concedimus *B. Nicolai* nomen Martyrologio Romano inscribi, addito Elogio, quod a Nobis instituetur.

Hæc omnia singularibus *B. Cardinalis* meritis profecto debentur. At vero præclari quoque Carthusiani Ordinis, quem Nos peculiari studio prosequimur, merita apud Nos pondus habent, ut hæc Apostolica libertate concedamus; eoque magis, quod ipse Ordo non tam sollicitus fuit multos Sanctos suos patefacere, quam multos Sanctos facere, ut recte fuit adnotatum. Accedit quoque spes, in quam maxime adducimur, Deum Opt. Max. ad intercessionem hujus *Beati Viri*, qui, quandiu vixit, *Cardinalis pacis* nuncupatus est, daturum esse Nobis id, quod tam enixe toto corde, humiliterque rogamus, & rogatori suquus, exoptatam scilicet inter Christianos Principes pacem, stabilemque concordiam. Neque vero dissimulare volumus, Nos in hac tota rerum serie spirituale quoddam percepisse gaudium, simillimumque ejus, quod Pius II. Prædecessor noster in Canonizatione S. Catharinæ Senensis civis suæ sese percepisse fatetur, quodque in ejus Canonizationis Bulla his verbis expressit: *Et si Nos quidem Catharinæ sublimes dotes, nobile ingenium, divinam mentem, sacratissimam voluntatem in omni natione quam latissime vidissemus, lætiores tamen in Urbe Senensi, quæ nos genuit. Siquidem meritorum ejus longe magis, & magis peculiariter esse participes confidimus, quam si Virgo hæc, aut in Scythia, aut in India nata fuisset. Neque enim fieri potest, quin Sanctorum propinquitas aliquid habeat prærogativæ.*

Quod si deinde Deo placuerit, ut ab hoc cultu ad nonnullos locos restricto, quem in præsens Sedes Apostolica permittit, ad cultum publicum præceptivum, & generalem, hoc est a Beatificatione hac æquipollenti ad solemnem Canonizationem transeundum sit, Postulatoribus causæ palam facimus, heroicarum ejusdem Beati virtutum materiam ad consuetam juris formam esse proponendam: cum expositio earum, quam Nos ipsi in Congregatione Rituum fecimus, suffecerit quidem, ut debito rerum apparatu ad agendum de publico permissivo, & restricto ad quosdam locos, cultu procederetur; & ut etiam inoffenso pede fieri posse a Nobis concessio Lectionum propriarum, non autem ut discussioni, & approbationi Virtutum a Sacris Canonibus requisitæ, ut ad solemnem Canonizationem transitus fiat, sufficiens esse potuerit juxta a Nobis deducta in nostro opere de Canonizatione Sanctorum lib. 1. cap. 32. num. 14. & seqq. Proponenda sunt quoque miracula secundum ea, quæ Nos die 23. Aprilis Anni 1741., & die 14. Julii hujus 1744. generatim decrevimus. Notum præterea unicuique facimus, nemini licere transgredi in exhibendo cultu limites per præsens Decretum præscriptos: Mandamusque Patriarchæ Hierosolimitano Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, ut hoc ipsum Decretum una cum ceteris ad calcem additis inter Regesta Sacræ Congregationis referat, & conservet.

Datum hac die xxv. Septembris 1744.

Thomas Patriarcha Hierosolymitanus S. R. C. Secretarius.

L E C T I O N E S

De quibus in Decreto in Festo B. Nicolai Albergati *Episcopi & Confessoris.*

Lectiones pro secundo Nocturno ejus Officii.

L E C T I O IV.

NICOLAUS *Albergatus* nobili genere Bononiæ ortus est. Adolescens, dum juri Civili in patria operam daret, Monasticæ, ac severioris vitæ præstantia captus, Carthusianorum Institutum amplectitur; in quo brevi adeo profecit, ut Sacerdotio vix initiatus patrio Cœnobio præfectus sit, aliaque subinde Monasteria fere decennio summa cum laude administraverit. Ejus prudentiæ, & Sanctitatis opinione Clerus, Populusque Bononiensis permotus ultro sibi in Episcopum plenis suffragiis delegit; quem ille honoris gradum diu, constanterque refugiens, Superiorum suorum jussu invitus demum suscepit. Nihil tamen de prioris vitæ cultu, atque observatione remisit; Sed verbo, & exemplo forma gregis effectus Ecclesiasticam disciplinam, & Christianos mores ita in Ecclesia sibi commissa restituit, ut alius omnino populus, alius Clerus videretur, & esset.

L E C T I O V.

CIvium suorum ad Martinum V. Orator iterum, ac tertio profectus tantam ab eo Pontifice, qui eximias illius virtutes perspexerat, iniit gratiam, ut conciliandæ pacis causa inter Anglorum, Francorumque Reges Legatum in Gallias miserit: ab ea Legatione reducem S. R. E. Cardinalem sub titulo S. Crucis in Hierusalem creavit; Legavitque mox in Insubriam, ut Mediolanenses, Florentinos, & Venetos discordia laborantes componeret. Post pacem Italiæ ab eo feliciter restitutam, secunda in Gallias Legatione auctus est, ac vita functo Martino V., Eugenii IV. jussu in Belgium profectus Philippum Burgundiæ Ducem Carolo VII. Francorum Regi in Atrebatensibus comitiis concillavit. Ad Germaniæ quoque Principes in Norimbergensi conventu Pontificium Legatum egit, deinde Basileensi, tum Ferrariensi interfuit Concilio, ubi Apostolicæ Sedis dignitatem, majestatemque adversus schismaticos egregie tutatus est.

L E C T I O VI.

IN obeundis tam variis, gravissimisque Legationibus incredibilem sibi apud Reges, & Principes venerationem adeptus in virtutum suarum admirationem rapuit universos. Erat enim vel in summis honoribus simplicissima humilitas, animus non solum firmus, & excelsus, sed candidus etiam, prudens, ac moderatus, effusa in omnes charitas, mansuetudo, atque humanitas cum ardenti Religionis zelo conjuncta. Carthusiani, quod professus fuerat, Instituti tenax, ejus asperitates ad mortem usque retinuit. Familiam ingenuam aluit, sanctissimeque institutam, ex qua duo Romani Pontifices Nicolaus V., & Pius II. prodiere. Tandem cum Eugenium IV. honoris ergo comitaretur, Senis in Hetruria renum calculo oppressus sancto fine quievit. Ejus corpus Florentiam delatum apud Carthusianos honorifice conditum est. Sanctitatis, & Miraculorum fama post mortem clarum BENEDICTUS XIV. Beatorum situ coli permisit.

E L O G I U M

Apponendum in Martyrologio, de quo in Decreto.

VI. Idus Maji. Bononiæ B. Nicolai Albergati Monachi Carthusiani, ejusdem Civitatis Episcopi, & S. R. E. Cardinalis, Sanctitate, & Apostolicis Legationibus clari, cujus Corpus Florentiæ apud Carthusianos conditum est.

PRÆINSERTUM itaque Decretum nostrum, ac præinsertas Lectiones, & Elogium, ac in eo Decreto omnia, & singula contenta, ac præscripta, quo firmius subsistant, ac serventur exactius, atque etiam, quatenus opus sit, auctoritate nostra Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque, & omnibus, ac singulis contentis, & præscriptis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; atque ita, ut præmittitur, omnino servari mandamus. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spe-

APPENDIX II.

DECRETA SUPER MIRACULIS.

Cum antequam sextus hic tomus vulgaretur, duo ediderimus decreta super miraculis in Causa Beatificationis Ven. Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal; eadem in hac secunda Appendice subdimus.

DECRETUM I.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
BENEDICTI PAPÆ XIV.

In Causa Gebenn. Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servæ Dei

JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL

Monialium a Visitatione Sanctæ Mariæ nuncupatarum Fundatricis

Editum die XXI. Augusti 1751.

BENEDICTUS PAPA XIV.



QUAMVIS Venerabilia Servi Dei Famuia Joanna Francisca Fremiot de Chantal die decima tertia Decembris aoni Domini millesimi sexcentesimi quadragesimi primi ex hac vita migraverit, & quidem cum magna Sanctitatis fama, ut cuilibet agnoscere licet ex hia, quæ scriptis testata reliquerunt graves illius temporis Auctores, qui etiam lato calamo describunt effusas honoris significationes erga ipsius demortuæ Corpus exhibitas, dum paulo post illius obitum, ab Oppido *Moulins* ouncupato, Annecium religiosa pompa translatum fuit; Nihilominus juridicæ inquisitiones de ejusdem Virtutibus, ac Miraculis, neque tunc, neque multis annis deinceps, ab Ordinariis Locorum institutæ fuerunt, tum quia multo facilius est invenire, qui ea quæ facienda sunt, edicant, quam qui re ipsa manum operi admoveant; tum etiam quia obstare putabatur, Decretum felicis recordationis Prædecessoris nostri Urbani Papæ VIII. non ita pridem vulgatum, quo vetitum fuit, ne ante quinquagesimum annum ab obitu Servorum Dei, in Causis eorum Beatificationis, & Canonizationis procederetur. Ejus autem Decreti verba sunt, quæ sequuntur: *Sanctitas Sua expresse prohibuit Sacræ Rituum Congregationi, ne deinceps procedat in Causis Servorum Dei ad effectum Canonizationis, seu Beatificationis, aut declarationis Martyrii, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illius.* Cujus quidem Decreti vi, erronea apud plerosque invaluit opinio, minime licere, ante prædicti temporis lapsum, legitimas probationes colligere, & Processus instruere super Martyrio, aut Virtutibus, vel Miraculis eorum, qui cum Sanctitatis fama defuncti erant: Quum tamen Pontifici eam legem ferenti nil aliud propositum fuerit, quam ut prohiberet, ne Dubia super approbatione Martyrii, Virtutum, aut Miraculorum ante id temporis in Congregatione Sacrorum Rituum proponerentur; Salvo semper jure, & facultate eorum, ad quos pertinet, ut quandocumque expediens esse videretur, Processus Ordinarioa, atque etiam Apostolicos super iisdem compilari curarent. Alioquin satis patet, eo tempore elapso, nullam fere spem reliquam fore habendi Testes *de visu*, qui in hujusmodi Processibus, sive Ordinariis, sive Apostolicis, deponerent; & vix fieri posse, ut necessaria copia suppeteret Testium *de Auditu a Videntibus*. Qua de re Nos ipsi latius egimus in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. II. cap. ultimo*.

Dilato itaque, ob supradictum fere communem errorem, Ordinarii Processu super Virtutibus, & Miraculis Venerabilis Servæ Dei Joannæ Franciscæ usque ad annum Domini millesimum septingentesimum decimumquintum; protracta quoque fuit, ob aliaa necessarias dilationes usque ad mensem Julii anni millesimi septingentesimi deciminoni propositio consueti Dubii in Congregatione Sacrorum Ritoom, super introductione Causæ illius Beatificationis, & Canonizationis; nimirum, ao signanda esset, nec oe, Commissio introductionis ejusdem Causæ; qua oempe Commissione per Romanum Pontificem signata, tunc demum ad Apostolicorum Processuum confectionem proceditur. At vero, quum primum illatus est sermo de hujusmodi inflaotia a Postulatoribus proponenda, Nos, qui tunc in minoribus constituti Promotoris Fidei munere fungebamur, palam profiteri non omisimus, quod quum ageretur de Causa, non quidem per viam *Cultus immemorabilis*, aut alterius casus in Urbani VIII. Decretis excepti, sed per aliam *non cultus* appellatam, quæ ordinaria via est, procedente; Cumque in Congregatione Sacrorum Rituum vigens observaretur praxis, & consuetudo, oulla licet canonica lege, aut Pontificio Decreto præscripta, ut in hujusmodi Causis per viam *non cultus* procedentibus, Martyrii, aut Virtutum probatio per Testes *de visu* perfici deberet, ideo Causa isthæc perpetuo silentio damnari periclitabatur, & magnopere verendum erat, ne illius introductioni per Signaturam Commissionis denegaretur assensus. Quum enim in Processu auctoritate ordinaria confecto, propterea quod compilatus fuerat post annos septuaginta quatuot a die obitus Servæ Dei, ne unus quidem oculatus Testis de illius virtutibus adesset, nemini sperandum supererat, hujusmodi Testes deinceps repertum iri, qui in Processibus Apostolicis, post signatam Introductionis Commissionem conficiendis, ad deponendum de visu, & propria observatione super iisdem Virtutibus idonei forent.

Sed contra hæc bonæ memoriæ Thomas Cardinalis Ferrarius, qui inter alios S. R. E. Cardinales prædictæ Sac. Rituum Congregationi adscriptores summa doctrinæ, & prudentiæ laude Sententiam dicere solebat, quique præclara monumenta, quibus Causa Venerabilis Servæ Dei fulciebatur, jam tunc accurate perlegerat, ipsiusque Causæ merita sapienti consideratione pensaverat; optime reponebat, nulla expresse lege cautum reperiri, quod in Causis procedentibus per viam *non cultus*, si quando Processuum confectio, non quidem dolo, aut fraude, sed casu aliquo, vel alia justa de Causa, nimis dilata fuerat, Martyrium, aut virtutes satis probari non possint per Testes *de Auditu a Videntibus*, ubi præsertim eorum dictis adminiculum præbeant Virorum pietate insignium, & gravium ejusdem ævi Scriptorum relationes. Et quidem hanc Causam, de qua agebatur, hujusmodi ratione ad felicem exitum deducendam aliquando fore augurabatur, utpote quam illius generis monumentis, quæ in Processibus Apostolicis compulsari juridice poterant, mirum in modum instructam conspiciebat. Quare se minime dubitaturum edicebat pro ejusdem Causæ introductione, & pro signatura Commissionia suffragium ferre. Tanti Viri Sententia eam vim habuit etiam

post

post illius mortem, ut quum ad formalem discussionem Dubii in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione deventum fuit, non obstantibus præmissis, quæ a Nobis, & voce, & scripto deducta fuerunt, plerique Cardinales præfatæ Congregationi intervenienter, in eam ipsam Sententiam descenderint; ipse tunc existens Prædecessor noster Clemens Papa XI. nunquam sine laude recolendus, & in hoc etiam rerum genere apprime versatus (cui Nos omnia, pro Promotoris officio retulimus), eandem supremo judicio suo comprobaverit; & Commissionem Introductionis Causæ die decima nona prædicti mensis Julii anni Millesimi septingentesimi decimi noni sua manu signaverit: ut jam a Nobis relatum est in dicto Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. III. cap. 3.*

Post hæc, subsequentium annorum decursu, quæcumque ad Causæ progressum necessaria fuerunt, instituta sunt judicia, ac prodierunt Decreta; tum scilicet pro examine, & approbatione Operum, & Epistularum a Venerabili Dei Famula conscriptarum, tum super observantia Decretorum Apostolicæ Sedis; quibus prætnaturus Servorum Dei cultus prohibetur; tum denique super validitate Processuum, ordinaria pridem auctoritate, mox etiam Apostolica delegatione confectorum. Cum autem omnium gravissimum Causæ Dubium, nimirum de ipsius Servæ Dei virtutibus, anno demum millesimo septingentesimo trigesimo septimo, longo videlicet intervallo post dictum annum millesimum septingentesimum decimum nonum elapso, examinandum proponeretur; antiqua rursus excitata fuit difficultas ex eo desumpta, quod Testes *de visu* super virtutibus non adessent, quodque sine illis in hujusmodi Causa, quæ per viam *non cultus* procederet, virtutes ipsæ approbari non possent. Verum reassumptis omnibus, quæ jam pridem super hoc agitata fuerunt, iisque tum in Sacra Rituum Congregatione perpensis, tum etiam felicis recordationis Decessori nostro Clementi Papæ XII. expositis, sub die vigesima Februarii ejusdem anni millesimi septingentesimi trigesimi septimi, ipsius Pontificis Decretum prodiit, quo demandatum est, ut hujusmodi difficultatibus nihil obstantibus, ad ulteriora in Causa procederetur; prout etiam a Nobis in dicto Opere *de Canoniz. Sanctor. lib. III. cap. 3.* refertur.

Deinde vero, dum super ipsius Virtutibus judicium agitaretur, nonnulla adversus Dei Famulam objecta fuerunt, quæ anten similiter, & objecta, & refutata fuerant in Causa Sancti Vincentii a Paulo, qui conscientiæ, ac spiritus ipsius Venerabilis Joannæ Franciscæ moderator extiterat. Hic Nos ad Supremi Apostolatus apicem interea, licet immerentes, evecti, Congregationem Ordinariam Sacrorum Rituum die secunda Septembris anni millesimi septingentesimi quadragesimi primi coram Nobis haberi voluimus, atque ibi tota re diligenter discussa, mox paucis interjectis diebus judicium nostrum protulimus, concordibus Suffragantium sententiis conforme; decernentes nimirum, propositas objectiones nequaquam obstare, quominus ad ulteriora procederetur in discussione Virtutum Venerabilis Servæ Dei; Et quidem in earum examine posthabitis omnino difficultatibus jam superatis, videndum fore dumtaxat, an aliquid aliud esset, quod earumdem Virtutum fulgorem posset obscurare. Decretum hoc Nostrum die decima ejusdem mensis, & anni emanatum, in nova Editione prædicti Operis de Canonizatione Sanctorum, Patavii deinceps adornata relatum legitur *Lib. II. cap. ult. n. 12.* Cujus Decreti vi, & ad illius normam, habitis jam Congregationibus antepræparatoria, & præparatoria, in Generali demum Sacra Rituum Congregatione, die quinta mensis Martii anni millesimi septingentesimi quadragesimi tertii coram Nobis habita, discussum fuit consuetum Dubium: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate, ac Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque annexis in gradu heroico in casu, & ad effectum, de quo agitur.* Porro Suffragantium sententiæ approbationi Virtutum mirabiliter favebant; Nosque ipsi, visis jam antea Causæ monumentis, necnon Postulatorum allegationibus, & animadversionibus Promotoris Fidei diligenter expensis, auditis etiam Partium Informationibus, & Consultorum suffragiis, quæ ad nos scripto exarata afferri jussimus, ante Congregationem lectis, & ponderatis, earumdem Virtutum fulgorem plene probatum, demonstratumque censebamus. Dilata tamen judicii nostri declaratione, ut ad iterandum rerum omnium examen, & ad Divini luminis opem in tam gravi negocio Nostris, aliorumque precibus implorandam, idoneum temporis spatium haberemus, nullam quidem hæsitandi Causam invenimus, quoad substantiam approbationis Virtutum Venerabilis Servæ Dei; Sed quoad formam Decreti desuper edendi non nihil adhuc considerandum Nobis occurrit.

Prodierat siquidem die vigesima tertia Aprilis anni Millesimi septingentesimi quadragesimi primi Decretum Nostrum super approbatione Virtutum heroicarum Venerabilis Servi Dei Francisci Caraccioli Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium *Minorum* nuncupatorum; cujus Virtutes non per Testes *de visu* probatæ fuerant, sed per Testes *de auditu a Videntibus*, multiplicibus tamen adminiculis corroboratos: Eaque occasione, eademque die aliud a Nobis promulgatum fuerat Decretum generale, quo universæ huic materiæ certas leges, & opportunam normam præscripsimus; Statuentes, ut in Causis Servorum Dei procedentibus per viam *non cultus*, in quibus Martyrium, aut Virtutes probarentur dumtaxat per Testes *de auditu a Videntibus*, necessariis tamen qualitatibus, & validis adminiculis suffultos, & concurrentibus aliis circumstantiis in ipso Decreto enunciatis, in his, inquam, Causis procedi quidem posset usque ad formalem hujusmodi Servorum Dei Beatificationem, non obstante deficientia probationis directæ; Sed ad hunc effectum non duo tantum Miracula approbata sufficerent, prout generalis lex, & consuetudo ferebat; verum quatuor omnino Miracula, & quidem per Testes de visu plene probata requirerentur, ut videre est in enunciatis Decretis, tam Generali, quam Particulari, quæ etiam in dicta Patavina Editione Operis nostri relata sunt *lib. III. cap. 3. num. 25. & seqq.* Non deerant tamen, qui Nobis insinuarent, concedi posse in hoc casu, ut, approbatis Virtutibus Venerabilis Joannæ Franciscæ, duo tantum Miracula sufficerent pro decernenda ipsius Beatificatione, licet Virtutum probatio innixa fuisset dictis Testium *de auditu a Videntibus*, junctis tamen gravium ejusdem ætatis Auctorum testimoniis. Quum enim inter hujusmodi Auctores connumerentur Sancti Franciscus Salesius, & Vincentius a Paulo; In Decretis autem Urbani VIII. a novarum legum rigore exceptæ fuerint Causæ Servorum Dei, qui non solum *per immemorabilem temporis cursum*, sed etiam *per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta* colerentur; dubitandum minime dicebant, quin præfati Franciscus Salesius, & Vincentius a Paulo, etiamsi non inter Ecclesiæ Patres, at certe *in Virorum Sanctorum* numero recenserentur. Verum Nos sciences, quam arduum sit, de casu a prædictis Decretis excepto per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, judicium instituere, propter multiplices difficultates a Nobis indicatas *lib. II. de Canonizat. Sanctor. cap. 19. num. 5. & seqq.*; Et, quod caput est, animadvertentes hanc Causam per viam *non cultus* introductam, & eo usque promotam fuisse; in dubium minime revocandum censuimus, quin sub præfati Decreti Generalis censura comprehenderetur; & quin propterea quatuor Miraculorum probatione opus esset, ut ad Servæ Dei Beatificationem procedi posset. Quare in Decreto, quod super illius Virtutum approbatione die trigesima prima ejusdem mensis Martii anni Millesimi septingentesimi quadragesimi tertii edidimus, sequentibus verbis usi sumus: *Virtutes prædictas ita probari, ut tuto deveniri possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem Miraculorum in casu, & ad effectum &c. Sed cum ex Testibus de Auditu multiformiter licet adminiculatis, fuerint probatæ; ut quod Virtutum probationi defuit, Miraculorum eas confirmantium probatione suppleatur, ad Servæ Dei Beatificationem non ante deveniendum esse, quam Miracula omnino quatuor probentur ex Testibus de Visu, atque approbentur juxta formam Decreti Generalis hac de re xxiii. Aprilis MDCCXLI. editi.* Et hoc etiam Decretum impressum legitur in dicta Editione Patavina Operis de Canoniz. Sanctor. *lib. IV. part. 1. cap. 6. n. 1.*

Absoluto judicio super Virtutibus; quum procedendum esset ad aliud super Miraculis ejusdem Venerabilis Servæ Dei interventione patratis, horum examen Consultoribus Sacrorum Rituum propositum fuit primo in Congregatione antepræparatoria die vigesima sexta Januarii anni Millesimi septingentesimi quadragesimi quinti; deinde in alia præparatoria nuncupata die sexta Decembris anni Millesimi septingentesimi quadragesimi sexti; mox etiam in altera ejusdem generis, quæ ad majorem rei dilucidationem, præter morem habita fuit die undecima Junii anni Millesimi septingentesimi quadragesimi Octavi, ac denique tam ipsis Consultoribus, quam etiam Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus dictæ Congregationi præpositis suffragium ferentibus, in generali Conventu coram Nobis habito die decimatertia elapsi mensis

Ju-

Julii currentis anni Millesimi septingentesimi quinquagesimi primi propositum fuit consuetum Dubium: *An, & de quibus Miraculis constet in casu, & ad effectum de quo agitur.*

Ex pluribus autem Miraculis, quæ pro examine, & approbatione a Postulatoribus exhibita, quæque in dictis prioribus Congregationibus discussa fuerant; quatuor selectæ sunt Sanationes, quas etiam Periti ad scribendum pro veritate deputati, prævio juramento, quo professi sunt, se vere ita credere, & judicare, quemadmodum scribendo asseruissent, pro Miraculosis agnoscere non dubitarunt; quæ quidem sic se habuerunt.

Gabriella Angelica Morel, quæ postea fuit Monialis Professa Ordinis Visitationis in Oppido de Avalon Diœcesis Augustodunensis, a nativitate ad decimum quintum ætatis annum, quo miraculose convaluit, habuit coxendicem, femur, tibiam, ac pedem dexterum, sinistris semipalmo breviora, ac toto corpore in eamdem dexteram partem inflexo, deformi, ac constanti claudicatione, omnium intuentium oculis exposita, semper laboravit. Hinc vetitum erat eidem Moniali etiam ad modicum tempus in genua procumbere, nisi dextero genu subjiceretur pulvinar, vel aliquod id genus additamenti: Minusque sua erat erectæ progredi, nisi dextero calceo assutus esset altior calcaneus, qui talum extolleret, ac sineret apicem digitorum terram attingere: Præterea dextera tibia siccior, quam altera, visa est, nutritioni, & calori minus obnoxia. Et quia res erat de Morbo a nativitate contracto, nemo fuit, qui medelam eidem propulsando exquisierit, vel adhibuerit. Insederat animo infelicis Puellæ decimum quintum annum jam agentis anxia sollicitudo vestiendi habitum Religiosum; Sed rejecta a Monialibus Ursulinis Diœcesis Lingonensis, jure reformidabat, ne impar religiosis muneribus obeundis rejici etiam posset a Monialibus Visitationis prædicti Oppidi de Avalon, apud quas versabatur. Verum erecto in Venerabilem Servam Dei Joannam Franciscam animo, novendialem supplicationem in illius honorem instituit. Hinc singulis diebus tanta ipsi fit valetudinis accessio, ut quarto die genuflectere potuerit, & Sacra Synaxi refici, librato corpore sub utroque genu ad æqualitatem conformato; & demum in nono, & ultimo Supplicationis die experta sit tibiam, ac pedem dexterum longitudine, robore, crassitie, calore, ac sensu, tibiæ sinistræ omnino parem; ac remota omni claudicatione, potita sit libero prorsus membrorum usu, perfectaque gradiendi facultate.

Secunda Sanatio ea est, Elisabethæ Dronier de la Perouse Monialis Professæ ejusdem Ordinis Visitationis in oppido de Saint Amour Diœcesis Lugdunensis. Ab octavo ætatis anno exilis Puella non uno est conflictata morbo, sed fere oppressa malorum acervo. Alvi fluxus, dolores stomachi, rheumatismus, assidua febris, tussis violenta Infirmam primum debilitarunt; Adultam vero, & Religiosis votis obstrictam febris acerbior vexare cœpit, & vomitus adeo frequens, ut non solum cibum, & potum, sed vivum ejecerit quandoque sanguinem, & una sinistri lateri costula visa sit elevari. Postquam diu varia adhibita fuere remedia pro Medicorum ingenio, ab his tandem relicta, in lecto ad tres menses semimortua decubuit, tanto virium dispendio, ut non solum supina, immobilis, ac insomnis jaceret, sed Ægram vox ipsa penitus defecerit. Morti tamen proxima Servam Dei Joannam de Chantal invocat, & ad novem dies supplicationem instituit, in quorum ultimo, post Sacram Communionem, eliminata in instanti tot malorum congerie, restitutis, confirmatisque viribus, sana e lecto prosilit, vestes induit, privatim, ac publice Benefactrici suæ gratias agit, communi accumbit Mensæ, ac munus quodcumque Religionis, etsi grave, & difficile, constanti valetudine exercet.

Tertia Sanatio fuit ea Claræ de Rubeis Puellæ Romanæ. Viva adhuc Matre, quæ Phtysi consumpta interiit, Filia, quæ diu noctuque in illius erat contubernio, id genus morbi contraxit. Ægram angebant lenta, & continua febris, dolores capitis, nausea stomachi, tardi anhelitus, difficultas decumbendi supra dexterum latus, tussis assidua, ac permolesta, qua excreti erant sputi flavi, & purulenti, vivo identidem sanguine immixti, ac vomicæ putres, quibus Puella suffocari posse videbatur. Auctam in diem tabem confirmabant vox deperdita, perennis, ac gelidus expressus sudor, totius corporis macies, dejectæ, fractæque adeo vires, ut Parochus, qui illam omnibus muniverat Ecclesiæ Sacramentis, non solum crederet brevi morituram, sed mortuam aliquando putaverit, nisi ori accensam candelam admovisset. Interim Puella a novem mensibus omni Medicorum ope destituta, ac proxime efferenda funere Venerabilem Servam Dei invocat, proposita sibi novem, ut assolet, dierum supplicatione. A tertio, vel quarto, ad nonum diem omnis vis morbi repellitur: Cessat febris, tussis, sudor, vigiliæ, purulentæ excretiones; redditur ori color, stomacho cibus, corpori universo adeo vires restaurantur, ut domo egressa in omnium conspectum sanata prodierit.

Quarta contigit Eugeniæ Throchon Moniali Professæ prædicti Ordinis Visitationis in Civitate Salmuriensi Diœcesis Andegavensis. Tertio ab expleta pubertate anno ægrotavit levi quotidiana febri, & tussi convulsiva; confirmata mox ætate laboravit diro asthmate, intercepta adeo respirandi facultate, ut adigi ad mortem videretur, nisi creberrima venæ sectio, pluries etiam uno die facta, per octo fere annos opem languenti attulisset. In irritum cessere adhibita remedia, sed præcipue vomitiones emetico medicamine excitatæ, ob quas in deterius lapsa est valetudo. Parvus quippe humor sinistram corporis partem insedit, indeque gravis orta paralysis, quæ pluribus mensibus perseverans, tandem brachio, ac cruri omnem motum ademit, multum etiam imminuto eorumdem membrorum sensu. Quadragenos, ut minimum in hoc pessimo statu Monialis exegit dies, nullo adhibito medicæ artis præsidio, tantaque erat nervorum solutio, ut Moniales de uno ad alterum illam efferentes locum, alligato funiculo pendentem tibiam attraherent. In gravi adeo ærumna Monialis constituta Venerabilis Servæ Dei per novem dies præsidium invocat. Ultima labente die sana in instanti assurgit, graditur, genuflectit, & quæcumque vitæ munia diu intermissa, exequitur.

Antequam vero ad præfatam Congregationem Generalem Nos conferremus, quemadmodum Nobis in more positum est, omnia probationum monumenta, & tam Postulatorum, quam Promotoris Fidei scripta, nec non Peritorum consultationes perpendimus, verbales quoque Partium Informationes excepimus, & Consultorum suffragia scripto concepta perlegimus. In ipsa demum Congregatione dictorum S. R. E. Cardinalium sententias super præmissis Sanationibus audivimus. Et quamvis ea omni Suffragantium numero tot inventi fuerint, qui singulas earum inter Omnipotentiæ Dei Miracula reponerent, quot satis esse putantur pro illarum approbatione; Nos tamen judicii nostri declarationem adhuc suspendendam existimavimus, ut interim a Patre Luminum opem suppliciter imploraremus, ad veritatem securius dignoscendam; utque novis diligentiis adhibitis, accuratissimam rerum discussionem eousque habitam cumularemus.

Porro in Opere nostro *de Canonizatione Sanctorum*, quod quidem opus jam sæpe huc adduximus, atque etiam inferius citaturi sumus, propterea quod in ejus compilatione præcipua Nobis opera fuit de omnibus, quæ ad Servorum Dei Beatificationem, ac Beatorum Canonizationem pertinent, Apostolicæ Sedis sensum, & praxim Congregationis Sacrorum Rituum probatissimis Auctorum sententiis innixam referre; in eo, inquam Opere *lib. IV. part.* 1. *cap.* 8. demonstratum est, Sanationem, quæ miraculo adscribenda sit, a gravi morbo, & cujus saltem valde difficilis habeatur curatio, omnino esse oportere, neque levem, aut facilis curationis ægritudinem, aptum, & sufficiens Miraculi subjectum censeri posse. Hinc non nihil dubitandum Nobis videbatur de quarta ex relatis Sanationibus pro Miraculo approbanda; quoniam paralysis, de qua ibi agebatur, quadraginta tantum diebus ante Sanationem obtentam in gradu completo perstitisse dicebatur.

Præterea juxta ea, quæ ibidem a Nobis firmata sunt, nec ipsa quidem morbi gravitas pro subjecto Miraculi sufficit, nisi aliæ quædam requisitæ circumstantiæ adsint, inter quas ea connumeratur, ut Sanatio in instanti contingat, & corporis vires propter ægritudinem deperditæ in instanti pariter recuperentur, non exclusa tamen instantaneitate morali, quæ tunc etiam adesse dicitur, quum morbi depulsio, & virium redintegratio, intra paucorum aliquot dierum spatium evenerunt; dummodo constet, naturam atque artis vires, eo temporis spatio, eoque modo, integram hujusmodi Sanationem operari non potuisse, quo tempore, quoque modo, ad alicujus Servi Dei invocationem obtenta fuit. Videatur hac de re prædicti Operis nostri *liber IV. part.* 1. *cap.* 8. *num.* 17. Hinc autem aliæ Nobis oriebantur difficultates circa primam, & tertiam ex adductis Sanationibus, quæ præfixo quidem novendialium precum intervallo tetente, sed pluribus gradatim diebus evenisse arguebantur.

Ut igitur in tam gravi causa, remoto quocumque erroris periculo, quantum, cum Dei auxilio, humana

obti-

obtinere potest industria, judicium nostrum proferre valeremus; prædictos duos Peritos, qui jam pro veritate scribentes, quatuor relatas Sanationes per Miraculum sequutas fuisse existimarunt, iterum interrogari mandavimus, an habita præ oculis ea regula, quod leves morbi idoneum Miraculi subjectum constituere nequeunt, morbum illum, qui exhiberetur in quarta ex adductis Sanationibus, prout in Processu describitur, satis gravem, ad effectum, de quo agitur, & valde difficilis curationis fuisse judicarent. Item, an, sepositis conjecturis, & ratiocinationibus ex arte Physica desumptis, quibus eorum consultationes super Sanationibus primo, & tertio loco propositis abundabant; & perpensa simpliciter morborum indole, quæ sensuum judicio percipitur, eorumque duratione, nec non attenta remediorum carentia in priori casu, eorumque in altero inutilitate; easdem Sanationes revera censerent Naturæ vires omnino excedere, etiamsi illæ, non in instanti Mathematico, sed Morali, aliquot nempe dierum spatio, perfectæ fuerint. Neque vero responsum ab eis verbotenus reddi voluimus, sed dato ipsis opportuno temporis spatio, ut rem mature considerarent, mandavimus, ut judicium suum scripto conceptum Nobis exhiberent. Præterea quum probe compertam habeamus Archiatri Nostri peritiam, ab ipso, tum in diuturno, maximeque probato exercitio publice docendi Physicas facultates in Universitate Nostra Bononiensi, tum etiam felici, & plusquam quadragenaria difficilium quorumcumque morborum curatione, acquisitam, huic etiam exactam quatuor Sanationum descriptionem tradidimus expendendam, ipsum vero nihil de aliorum Peritorum judicio rescire voluimus, jussimusque, ut sententiam quoque suam in scriptum redigeret. Cumque & illi, & ille, omnibus rerum circumstantiis accurate perpensis, in eam convenerint Sententiam, quod quatuor sanationes præfatæ, si minus quoad substantiam, at saltem quoad modum, & tempus, quo perfectæ fuerunt, Naturæ vires excesserint; Nos, omnibus rite pensatis, & invocato iterum Divini luminis præsidio, nil ultra dubitandum censuimus de illarum approbatione. Itaque præsentis Decreti tenore, easdem quatuor sanationes approbamus, & publicari permittimus, ac respective mandamus, tamquam Miracula *Tertii generis*, juxta Doctrinam Angelici Doctoris Sancti Thomæ *Part. 1. quæst.* 105. *art.* 8., *& Lib. III. contra Gentiles cap.* 101. quam Theologi, & Canonistæ communiter sequuntur, & Congregatio Sacrorum Rituum quotidie sequitur, ut videre est in sæpe citato Opere Nostro *Lib. IV. part.* 1. *c.* 1. *n.* 6. *& seqq.*

Quod autem ad Servorum Dei Beatificationem, & Beatorum Canonizationem, admittantur, & satis esse reputentur Miracula *Tertii generis*, auctoritatibus, & exemplis comprobatum a Nobis est in eodem Opere *Lib.* 1. *c.* 26. *n.* 1. *&* *c.* 31. *n.* 3. nec non *dicto lib. IV. c.* 6. *n.* 5.

Quo tempore autem Miracula prædicta a Postulatoribus proposita in Congregatione Sacrorum Rituum examini subjiciebantur, allatæ sunt Nobis literæ Venerabilis Fratris Episcopi Aurelianensis, quibus aliud Omnipotentiæ Dei Miraculum intercessione ejusdem Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, in persona Dilectæ Filiæ Susannæ Bienfait Monialis Professæ in Monasterio Visitationis Sanctæ Mariæ Civitatis Aurelianensis nuper editum asserebat; super quo idem Episcopus juridicum Processum efformaverat; vocatis nempe ad examen, tum ipsa Moniale pridem infirma, tum Medicis atque Chirurgis, qui ejus curationi institerant, tum aliis Monasterii Monialibus, quæ omnibus rebus præsentes interfuerant; quem quidem Processum ad Nos missurum se esse pollicebatur, ac deinde re ipsa nostris oculis authentice subjiciendum curavit.

Facti species in Processu exposita, & ab ejusmodi juratis Testibus repræsentata, nec non eorum unanimi judicio pro Miraculo habita, talis est: Susanna Bienfait Monialis Professa Ordinis Visitationis Beatissimæ Virginis Mariæ ad triennium laboraverat tumore schirroso in parte dextera circa jecur, extrinsecus tanta mole compacto, ut pugni magnitudinem excederet, quoque ante sanationem mense, cum in sinistrum quoque latus progredi cœpisset, acerbissimus doloris sensus, e leni etiam contactu excitatus, ægram maxime exagitabat. Accesserunt capitis dolores; noctes insomnes, nausea cibi, frequens vomitus, viscerumque cruciatus. Cumulum auxit malorum, confirmata paralysis; ob quam crura, amisso prorsus sensu, ac motu, tanto rigebant frigore, ut fomenta aquæ ebullientis illis admota torpedinem non minuerent, nec ullum sensum excitarent. Crus præterea dexterum atrophia laborans, siccum erat, & aridum, nec aliam intuenti speciem exhibebat, quam ossis sola cute contecti. Sævientibus in diem morbis, abstinuit ægra per duos menses a quocumque remedio: Sed invocato Servæ Dei præsidio, oblatisque eidem novem Dierum precibus, ultima labente die, integræ valetudini fuit in instanti miraculose restituta: Abscessit enim capitis dolor, viscerumque cruciatus, soluta fuit crurium paralysis, & crus, quod atrophia laborabat, carnosius momento temporis effectum est; recuperatisque momento temporis viribus, ægra illico ea omnia adimplevit, quæ ceteræ Moniales, quæ nullo morbo laboraverant, aut laborabant, juxta suum Institutum, & modum vivendi, peragebant. Nulla de continuatione recuperatæ Sanitatis excitata est controversia: cum ad eam prorsus eliminandam, Episcopus post decem, & septem Menses a recuperata sanitate, Sororem viderit perfecte valentem, & Moniales interrogatæ, de optimæ valetudinis constitutione testatæ fiat.

In hujusmodi facto, necessaria omnia Miraculi extrema concurrunt, quæ ex concordibus Testium dictis, iisque, ut supra innuimus, jurisjurandi religione confirmatis, eruuntur. Ideoque si naturalem fidem sequamur, atque etiam (quatenus res in abstracto considerentur) si probationem certo modo juridicam quæramus, nihil desiderandum videtur eorum, ex quibus Miraculi veritas comprobari solet: Verumtamen alia quædam res est, quæ totius Processus validitatem infirmat, eumque tali nullitatis vitio inficit, ut si ad legum rigorem procederetur, nulla de ipso ratio haberi deberet.

Habent nimirum Episcopi, aliique Locorum Ordinarii liberam facultatem condendi Processus super Miraculis, quæ a Deo patrantur eorum Sanctorum interventione, qui in Canonem relati, ab universa Ecclesia coluntur; Eisdemque similiter licitum est hujusmodi Processus conficere in Causis Servorum Dei, qui nondum ad Beatificationis aut Canonizationis honorem evecti sunt; dummodo in eorum Causis Apostolica Sedes manum non apposuerit, ad effectum Beatificationis, aut Canonizationis eisdem Dei Servis respective decernendæ. Jam vero, dum constructus fuit Processus, de quo agitur, multoque antea tempore a Romano Pontifice signata fuerat Commissio in Causa Beatificationis Venerabilis Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, in qua sane Commissionis Signatura consistit appositio manus Apostolicæ Sedis: Ideoque nulli amplius Ordinariorum licebat Jure proprio in hujusmodi Causa se ingerere, ac super Servæ Dei Virtutibus, aut Miraculis Processus construere; si quos autem ab ipsis sic fieri contingeret, hi & ad Beatificationem, seu ad Canonizationem inutiles reputantur, & nulli, ac irriti, jure censentur, propter Decretum irritans, quod semper in appositione manus Superioris, virtualiter saltem, continetur. Has juris regulas Nos Ipsi latius expendimus, & Canonicis Sanctionibus, Concilii Tridentini Decretis, ac Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Rescriptis inhærentes, solide confirmavimus in citato opere de Canonizatione Sanctorum *Lib. II. c.* 1., *eademque Lib. II. c.* 35. *n.* 12., nec non *Lib. IV. part.* 2. *c. ult.*

Verum, quum Processus iste a Venerabili Fratre Episcopo Aurelianensi non quidem in spretum, sed potius in obsequium ejusdem Apostolicæ Sedis constructum ex præmissis appareat, atque præterea in illius compilatione, quæcumque a jure communi præscripta sunt, exacte servata fuisse dignoscantur; Nos ad sanationem hujusmodi nullitatis, ex eo provenientis, quod Apostolica Sedes jam pridem in Causa manus apposuerat, libenti animo adducti sumus; eamque, de Apostolicæ potestatis plenitudine, & præsentis Decreti vigore, pro hac vice, nequaquam obstare decernimus, sed illa de medio sublata, Processum ipsum pro valido ad effectum, de quo agitur, habere non recusamus. In quo Nobis suffragantur Prædecessorum Nostrorum exempla, qui justis exigentibus Caussis, simili auctoritate usi sunt, tam in hujus generis, quam in aliis quoque Processuum nullitatibus sanandis, ut videre est in dicto Opere de Canonizatione Sanctorum *Lib. II. cap.* 53. *n.* 8., ubi exemplum attulimus Sanctæ memoriæ Prædecessoris Nostri Benedicti Papæ XIII., qui simile vitium in Processibus Causarum Sancti Turribii, & Sanctæ Julianæ de Falconeriis justis de Causis sanavit; item eodem *Lib. II. c.* 5. *n.* 12. *& c.* 38. *n.* 14., ubi narrantur, quæ per eumdem Pontificem gesta sunt in Causa Sanctæ Agnetis de Monte Politiano, & alibi.

Prædicto autem Aurelianensi Processu sic, ut præfertur, sanato, ac Testium, & Peritorum in eo examinatorum depositionibus diligenter inspectis, quum

in

in sanatione Sororis Susannæ Bienfait, de qua ibi agitur, omnes requisitas circumstantias adesse conspexerimus, quas pro vero Miraculo constituendo necessarias esse ostendimus in sæpedicto Opere nostro *Lib. IV. par. 1. c. 8. n. 2., & seq.* audito etiam Dilecto Filio Promotore Fidei, ejusque judicio in scriptis accepto, eamdem sanationem tamquam Miraculum *Tertii generis* approbamus; veruntamen Miraculum ipsum *supra numerum* dumtaxat approbatum censeri debere decernimus, & declaramus. Ideo autem de hoc Miraculo rationem haberi volumus dumtaxat *supr. num.*, ne forte hujus exempli auctoritate aliquando præsumi contingat, ad alicujus Servi Dei Beatificationem, aut Beati Canonizationem procedi posse dependenter ab approbatione Miraculorum, quorum Processus sola Ordinariorum auctoritate constructi fuerint, quamvis Processus ipsi Apostolica deinceps auctoritate sanati, & revalidati fuerint, contra ea, quæ in præfato Opere Nostro docuimus *Lib. II. c. 6. n. 9.* Ceterum hujusmodi approbatio Miraculorum *supra numerum* in Causis Beatificationis, aut Canonizationis; minime nova est, aut insitata; ubi nempe agatur de Miraculis plene probatis, quibus tamen aliquid obstet, quo minus eorum ratio haberi valeat ad ipsum Beatificationis, vel Canonizationis effectum. Hujusmodi approbationis exemplum datum est in Causa Sancti Stanislai Kostkæ a Nobis relatum *l. c. de Canoniz. c. 26. n. 8.* Quum enim, ad hoc ut transitus fiat ab alicujus Servi Dei Beatificatione ad ipsius Canonizationem, necesse sit duo saltem Miracula *post indultam Servo Dei venerationem* sequuta, Apostolicæ Sedis judicio comprobari; inter Miracula, quæ ad obtinendam prædicti Beati Stanislai Canonizationem afferebantur, præter duo post indultam ipsi venerationem sequuta, unum etiam examinandum proponebatur, quod ante illius Beatificationem contigerat, & cujus proinda nulla ratio habita fuit in Congregationibus, in quibus hujusmodi Miracula discussa fuerunt. Verum Sanctæ Memoriæ Prædecessor Noster Clemens Papa XI., quum illius etiam Miraculi probationes matura consideratione expendisset, omniaque illius extrema satis probata comperisset, audito etiam, lectoque judicio nostro, quod, tunc Promotoris Fidei munere fungentes, & voce, & scripto eidem aperire jussi sumus, die tertia decima Novembris Anni millesimi septingentesimi decimi quarti, eodem Decreto, quo alia Miracula approbavit post indultam Beato venerationem sequuta, illud etiam, quod ante concessionem cultus evenerat, approbavit *supr. num.*, ut ex integro Decreti tenore, quem loco superius citato inseruimus, colligere licet.

Nunc demum, approbatis per Nos, ut præfertur, quatuor Miraculis ad Beatificationem Servæ Dei necessariis in casu, de quo agitur, & quinto præterea *supr. num*; id reliquum fuisset, ut Generali Rituum Congregatione iterum coram Nobis coacta, proponi juberemus Dubium: *An stante approbatione quatuor Miraculorum, tuto procedi possit ad Servæ Dei Beatificationem.* Sed quum agatur de Causa, cujus articuli omnes jam pridem accuratissime discussi sunt, & in qua super potioribus virtutum, & Miraculorum Dubiis binæ Congregationes ultra consuetum numerum habitæ fuerunt; æquum censemus, ejusdem præsentis Decreti tenore jam nunc edicere, ac declarare, quod, stante approbatione Virtutum Venerabilis Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Ordinis Monialium a Visitatione Sanctæ Mariæ nuncupatarum Fundatricis, in gradu heroico, nec non Miraculorum a Deo ipsius intercessione editorum, ut supra, ad ejusdem Servæ Dei Beatificationem quandocumque procedi possit, & valeat. Hujusmodi æquitatis exempla Nobis reliquerunt Venerabiles Prædecessores Nostri Romani Pontifices; quorum vestigiis insistentes, Nos ipsi in Causa Beati Hieronymi Æmiliani Fundatoris Congregationis Clericorum Regularium de Somasca, prælato Dubio ex dispensatione Nostra in Congregatione Generali nequaquam proposito, ad illius Beatificationem procedi posse pronunciavimus. Decretum nostrum die quinta Augusti anni Millesimi septingentesimi quadragesimi septimi ea de re promulgatum quamprimum inferetur Tomo VI. Operis Nostri de Canonizatione Sanctorum Editionis Romanæ, quæ nunc summa diligentia procuratur.

Quod itaque Christiani Populi vota, quod Catholicorum Regum, & Principum assiduæ postulationes, & Venerabilium Ecclesiæ Pastorum preces ab Apostolica Sede jamdiu expetunt, ad meritos tandem Beatificationis honores opportuno tempore evehatur Venerabilis Dei Famula, Religiosissimi Monialium Ordinis Parens, Christianæ perfectionis in conjugali statu, in viduitatis solitudine, in Religiosis Sanctimonia, in Fundationis, & Præsidentiæ sollicitudine, exemplar; cujus Virtutes in quolibet ex his quatuor vitæ generibus, unicuique status propriæ, in gradu heroico æque emicuerunt; cui magnus perfectionis Magister Sanctus Franciscus Salesius, post diuturnæ conversationis, ejusque conscientiæ regiminis experimentum, tantæ Sanctitatis testimonium dare non dubitavit, ut in quadam Epistola die tertia Aprilis anni Millesimi sexcentesimi undecimi conscripta (in Editione Parisiensi anni MDCLXIX. pag. 1478.) scriptum reliquerit, eamdem a Deo talem reddendam fore, quales extiterunt Sancta Paula, Sancta Angela, Sancta Catharina Januensis. Quod si in promovenda Sancti Francisci Salesii Canonizatione Venerabilis Joanna Francisca tantam olim operæ, laborisque impendit, ut videre est in ipsius vitæ historia a quodam Episcopo Aniciensi cognomine *Maupas de Tour*, diligenter conscripta *p. 360. c. 17., & p. 381. c. 19.*, æquum est ipsius Servæ Dei Beatificationem magnopere adjuvari hac ipsa Sanctissimi Episcopi prædictione; quam quidem eventu comprobatam fuisse, cum alia ostendunt de heroicis illius virtutibus juridice collecta testimonia, tum maxime illa, quæ ex pluribus aliis locis Operum ejusdem Sancti Francisci desumpta fuerunt, quibusque concinunt Sancti Vincentii a Paulo gravissimæ attestationes; quarum sane haud minorem rationem haberi convenit, quam olim in causa Beatificationis, & Canonizationis Sanctæ Catharinæ Fliscæ Adurniæ, vulgo *de Janua* nuncupatæ, magni æstimata sunt illustria laudum præconia, quibus eamdem prosequutus est ipse Sanctus Franciscus de Sales; ut relatum habetur in sæpedicto Opere Nostro de *Canonizatione Sanctorum in Editione Patavina Lib. II. c. 24. n. 37.*

Porro in hujus Decreti extensione plura, quam mos est, de omnibus, quæ ad Causam pertinent, verba fecimus; propterea quod, absente ab Urbe Dilecto Filio Nostro Petro hujus S. R. E. Presbytero Cardinali de Tencin nuncupato, qui Archiepiscopali Lugdunensi Ecclesiæ ex concessione, & dispensatione Apostolica præest, quique totius Ordinis Monialium Visitationis Sanctæ Mariæ Protector, simulque hujus Causæ Relator deputatus existit, quum Nosmetipsi illius vices hac in re præstandas, sustinendasque suscepimus, hinc officii nostri erat *Factum Concordatum*, quod vocant, in quo tota hujus Causæ series exponeretur, exarare, & publicare. Quod quum antea expletum a Nobis non fuerit; nunc ea omnia, quæ in hujusmodi *Facto Concordato* narranda fuerant, præsenti Decreto complectenda censuimus. Reliqua vero, quæ a Cardinali Causæ Ponente facienda erant per Dilectum Filium Nostrum Prosperum S. R. E. Diaconum Cardinalem Columna de Sciarra nuncupatum, ex nostra delegatione diligenter, studioseque præstita fuerunt.

Hoc autem Decretum a Nobis dictatum, nostroque Chirographo subscriptum, hac die vigesima prima Augusti, illius diei Anniversaria, qua Divinæ voluntati obsequentes Pontificiæ Dignitatis insignia suscepimus, quaque olim præfatus Sanctus Franciscus Salesius Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo in hujus vitæ lucem editus fuit, (ut testatur bonæ memoriæ Carolus Augustus de Sales illius Fratris Filius in ejusdem vita *l. 1. p. 2.*), post celebratum Sacrosanctum Missæ Sacrificium, Dilecto Filio Congregationis Sacrorum Rituum Secretario tradimus, in Actis ejusdem Congregationis asservandum; una cum novissimis Consultationibus, quas a præstitis Peritis *pro veritate* exarari mandavimus super quatuor Miraculis ad Beatificationis effectum approbatis, ut supra, item cum authentico Processu ab Episcopo Aurelianensi confecto super quinto Miraculo *supr. num.* a Nobis, ut præfertur, approbato; & cum Promotoris Fidei super hoc in scriptis requisita Sententia; Quæ omnia cum cæteris Causæ monumentis conjungi, & ad perennem rerum memoriam ibidem servari mandamus.

Datum apud Sanctam Mariam Majorem, hac die vigesima prima Augusti Anni Domini millesimi septingentesimi quinquagesimi primi, ineunte Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

BENEDICTUS PAPA XIV.

DECRETUM II.

GEBENNEN. BEATIFICATIONIS VEN. SERVÆ DEI

JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL

Ord. Monialium a Visitatione B. M. V. nuncupatarum Fundatricis, Super dubio: *An & de quibus Miraculis constet in casu &c. nec non de tuto processu ad ejusdem Servæ Dei Beatificationem.*



UM in Congregatione generali Sacrorum Rituum coram SS. D. N. BENEDICTO XIV. habita die 5. Martii 1743. accurate discussæ fuerint Virtutes Ven. Servæ Dei Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Ordinis Monialium a Visitatione S. Mariæ nuncupat. Fundatricis, deinde die 31. ejusdem mensis Sanctitas Sua hujusmodi ediderit Decretum, nempe: *Virtutes ita probari, ut tuto deveniri possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem Miraculorum; sed cum ex testibus de auditu, multiformiter licet adminiculatis, fuerint probata; ad Servæ Dei Beatificationem non ante deveniendum esse, quam Miracula omnino quatuor approbarentur juxta formam Decreti generalis die 23. Apr. 1741. hac de re editi:* Deventum est ad discussionem Miraculorum; præmissisque Congregationibus Antepræparatoria, & duabus Præparatoriis, in quibus plura Miracula, quæ ejus intercessione a Deo patrata dicebantur, examini subjecta fuerunt.

Tandem sub die 13. Julii 1751. in Congregatione generali coram Sanctissimo propositum fuit Dubium: *An, & de quibus Miraculis constet in casu, & ad effectum &c.* & licet prinsquam Sanctitas Sua ad eam Congregationem accederet, tam Postulatorum, quam R. P. Fidei Promotoris scripta pervolverit, Peritorum judicia sedulo perpenderit, verbales Advocatorum informationes exceperit; necnon suffragia perlegerit Consultorum, Congregationem autem ingressus Reverendissimus Cardinales audiverit, nihil tunc decernere censuit, sed resolutionem distulit, tum ut a Patre luminum opem suppliciter imploraret ad detegendam veritatem, tum ut maturiori examini Miracula ipsa subjiceret.

Cumque iterum audire voluerit super nonnullis, quæ in eorumdem Miraculorum examine adhuc diligentius videbantur perscrutanda, non modo duos Medicos primitus electos, ut scriberent pro veritate super miraculis propositis, sed suum quoque Pontificium Archiatrum, quorum judicia etiam in scripta redigi mandavit.

Tandem his sedulo adimpletis, hac ipsa solemni die anniversaria Coronationis Sanctitatis Suæ post peractum sacrosanctum Missæ sacrificium, accitis Reverendissimis DD. Cardinalibus Tamburino Sacræ Congregationis Præfecto, & Columna de Sciarra, qui in pluribus ad Causam pertinentibus Cardinalis Ponentis partes sustinuit, necnon R. P. Fidei Promotore, meque Secretario, mihi Decretum tradidit a Sanctitate Sua subscriptum, in quo post luculentam hujus Causæ relationem declaravit approbare quatuor Miracula, quæ sequuntur, in tertio genere videlicet.

I. *Sanationis Gabriella Angelica Morel, postea Monialis Ordinis Visitationis in Oppido de Avalon Diœcesis Augustodunensis ab enormi claudicatione, qua usque a sui nativitate ad decimum quintum ætatis annum constanter laboraverat, cum prava conformatione, ac respectiva ariditate, & brevitate coxendicis, femoris, tibia, ac pedis dexteri.*

II. *Sanationis Sororis Elisabetha Dronier de la Perouse Monialis Professa ejusdem Ordinis in Oppido Saint' Amour Diœcesis Lugdunensis a gravissimis, & complicatis plurium annorum morbis, a quibus in instanti convaluit, cum plena virium recuperatione.*

III. *Sanationis Clara de Rubeis Puella Romana a confirmato, & desperato morbo hectitali.*

IV. *Sanationis Sororis Anna Eugenia Trochon Monialis Professa dicti Ordinis Visitationis in Civitate Salmuriensi Diœcesis Andegavensis a Paralysi, aliisque antiquis morbis, a quibus in instanti libera evasit cum plena virium recuperatione.*

Præterea, cum exhibitus fuerit Sanctissimo Processus authenticus ab Episcopo Aurelianensi confectus super Miraculo in ipsa Civitate Aurelianensi intercessione ejusdem Servæ Dei peracto, *Sanatione scilicet Sororis Susanna Bienfait Monialis Professa ejusdem Ordinis dicta Civitatis Aurelianensis ab inveterato Tumore schirroso, & confirmata Paralysi in inferioribus membris, atrophia cruris dexteri, aliisque morbis, a quibus momento temporis perfecte convaluit;* Et Sanctitas Sua probe animadvertisset, dictum Processum auctoritate ordinaria nulliter confectum fuisse, postquam Apostolica Sedes manus apposuerat; Cum tamen constructus dignosceretur in obsequium potius, quam in spretum Apostolicæ Sedis, & quidem juxta juris communis regulas; necnon omnia ejusdem Miraculi extrema egregie probari appareret, tam ex Testium depositionibus, quam Medicorum judicio in ipso Processu examini subjectorum; audito non solum in voce R. P. Promotore Fidei, sed ejus etiam Sententia in scriptis accepta, Sanctitas Sua ex plenitudine Suæ Apostolicæ potestatis super dicta nullitate benigne dispensationem indulsit (exemplo San. Mem. Benedicti XIII.; qui in Causis S. Turibii, & Beatæ Julianæ de Falconeriis hujusmodi nullitatem sanaverat) sicque Processu sanato, dictum Miraculum *in tertio genere* approbavit *supra numerum*.

Confecto hoc modo judicio super Miraculis, reliquum erat ut Dubium discuteretur: *an stante eorum approbatione tuto procedi posset ad Servæ Dei Beatificationem;* Super quo Summus Pontifex audire consuevit suffragia Reverendissimorum Cardinalium, & Consultorum in Congregatione generali; sed id minime necessarium esse judicavit, cum ageretur de Causa, in qua certo constabat Sanctitati Suæ nil aliud dubii superesse, & in qua habitæ fuerunt duæ Congregationes ultra consuetum numerum super præcipuis capitibus Virtutum, & Miraculorum, & præsertim agebatur de Causa, pro cujus omnimoda definitione singulares plane rationes concurrebant, tam ex præclaris meritis Servæ Dei provenientes, quam ex Votis totius Orbis Catholici, hoc ipsum ab Apostolica Sede suppliciter postulantis.

Itaque Sanctitas sua benigne dispensando etiam dictæ Congregationi ejusdem Decreti tenore declaravit tuto procedi posse ad Servæ Dei Beatificationem, mihique Secretario mandavit supradictum Decretum servare in actis Sacræ Congregationis, simul cum novo Peritorum judicio super quatuor miraculis approbatis ut supra necnon cum Processu Aurelianensis super quinto Miraculo approbato supra numerum, & suffragio R. P. Fidei Promotoris super eodem. Datum hac die Sabbati 21. Augusti 1751.

D. F. Cardinal. Tamburinus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

M. Marefuschus Sac. Rit. Cong. Secretarius.

INDEX

INDEX

NOMINUM PROPRIORUM

Ac rerum notabiliorum, quæ in hoc Tomo VI. de Decretis a BENEDICTO XIV. Pont. Max. prolatis continentur.

A

B

Acta & Decr. Canon.

C

D

S. Pau-

F I N I S.

APPENDIX

NOVISSIMA

NONNULLORUM DECRETORUM, CONSTITUTIONUM, ATQUE EPISTOLARUM,

Ad hujus Voluminis materiam pertinentium,

QUÆ POST ROMANAM

BENEDICTI XIV.

OPERUM EDITIONEM

ANNI MDCCLI. PRODIERUNT.

APPENDIX NOVISSIMA

NONNULLORUM DECRETORUM, CONSTITUTIONUM,

A T Q U E

E P I S T O L A R U M,

Quæ post Romanam BENEDICTI XIV. Operum Editionem anni 1751. prodierunt.

EX APPENDICE AD TOMUM IV. BULLARII

E J U S D E M

B E N E D I C T I   XIV.

T Y P O G R A P H U S   L E C T O R I.



UM nonnulla post annum Pontificatus sui decimum Benedictus XIV. Decreta, Epistolas, Constitutionesque ediderit ad causas Beatificationum, & Canonizationum, vel ad materiam sacrorum Rituum spectantia, quæ in postrema Romana Editione Operum ejusdem Pontificis anni 1751. locum habere non potuerunt, cumque in Appendice ad Tomum IV. ejusdem Bullarii ea omnia postea inserta sint ea monitione præmissa, ut si quando nova horum Operum Editio fieri contigerit, Sexto huic Volumini adjiciantur, necessarium visum est ex eodem Tomo IV. Bullarii huc omnia, quæ ad hujus Voluminis materiam pertinent, revocare, atque in unam Appendicem collecta hic simul exhibere.

DECRETUM GENERALE

SANCTISSIMI D. N.

BENEDICTI PAPÆ XIV.

An testes de auditu auditus, qui soli extant in Processu Apostol. jungi possint in linea prob. cum testibus de visu, qui extant in Processu Ordinario.

CUM *ex relatione eorum, quæ in Congregationibus Sac. Rituum, aut Antepræparatoriis, aut Præparatoriis proponuntur, & discutiuntur, facta Nobis pro sui muneris adimplemento tam a Congregationis Secretario, tam a Fidei Promotore, innotuerit, sæpe excitatam fuisse inter ejusdem Congregationis Consultores controversiam, an in Causis Beatificationis, & Canonizationis Servorum Dei, procedentibus per viam non Cultus, cum disputandum proponitur Dubium super Virtutibus aut Martyrio, Testes de auditu auditus, qui soli extant in Processu Apostolico, in linea probationis jungi possint cum Testibus de visu, qui extant in Processu Ordinario; contendentibus nonnullis, id tantum fieri posse, si Testes de auditu, qui extant in Processu Apostolico, sint de auditu a videntibus; aliisque asserentibus, id ipsum fieri debere, etiamsi Testes non sint de audita a videntibus, sed de auditu auditus, dummodo cætera alia non desint, quæ requiruntur pro conjunctione Processus Ordinarii cum Processu Apostolico, & alia etiam concurrant a Congregatione Rituum statuta, ut cite, & recte admittantur Testes de audita, de quibus omnibus in Nostro Opere* de Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 4. & 5.

Id fieri non posse, & solis testibus de auditu a videntibus id convenire decernitur.

§. 2. *Nos ad amputandam quamcumque controversiam, decernimus primo, non posse in linea probationis conjungi Testes de auditu auditus in Processu Apostolico examinatos, cum Testibus de visu, qui extant in Processu Ordinario, prædictamque conjunctionem in linea probationis competere tantum Testibus de audita a videntibus, qui sint in Processu Apostolico examinati, dummodo cætera supra indicata non desint requisita: & ea conjunctione Testium de visu examinatorum in Processu Ordinario, cum Testibus de auditu a videntibus, examinatis in Processu Apostolico, propositis Dubiis super Virtutibus, aut Martyrio, responderi posse,* Constare de Virtutibus &c. *aut constare* de Martyrio: *Et in progressu ad ulteriora pro obtinenda formali Beatificatione sufficere debere duo miracula, quæ ante Beatificationem patrata sint, & approbata; & pro obtinenda Canonizatione sufficere debere alia duo miracula, post Beatificationem secuta & approbata.*

Robur tamen & vim adminiculi testes de auditu auditus habere quandoque posse.

§. 3. *Decernimus secundo loco, quod, si in Processu Ordinario Testes extent de visu, & in Processu Apostolico non reperiantur nisi Testes de audita auditus, Testes hi de audita auditus, in Processu Apostolico excepti, vim & robur adminiculi habere valeant, modo quidem levis, modo gravis, prout eorum numerus, & qualitas exposcit, ita ut, exclusa a Postulatoribus quacumque fraudis, aut negligentiæ suspicione, ex qua factum sit, ut soli Testes de auditu auditus in Processu Apostolico fuerint examinati, si, attentis numero, & qualitate Testium de visu in Processu Ordinario examinatorum, habitaque consideratione adminiculi non levis, sed gravis, desumpti ex Testibus de audita auditus in Processu Apostolico examinatis, res ad eum statum redacta sit, ut faciat fidem, & auctoritatem Viro prudenti de re gravi judicaturo, propositis Dubiis super Virtutibus, aut Martyrio, responderi possit*, ita constare de Virtutibus, *aut* ita constare de Martyrio, ut procedi possit ad ulteriora, hoc est ad discussionem Miraculorum: *Nec obtineri posse Decretum Beatificationis, nisi tria Miracula præcesserint, quæ fuerint approbata; neque demum Canonizationis Decreta locum esse debere, nisi duo alia post Beatificationem Miracula superveniant, quæ pariter fuerint approbata.*

Acta & Decr. Canon.

Præsenti Decreto nihil immutatum pro causis quæ procedunt per viam casus excepti, aut in quibus soli testes de auditu extant in utroque Processu.

§. 4. *Demum tertio loco decernimus, nihil per præsens Decretum a Nobis fuisse immutatum super Dubio Virtutum, aut Martyrii, in Causis, quæ procedunt per viam casus excepti, aut in quibus, etsi procedant per viam ordinariam non Cultus, soli Testes de auditu extant in Processu tum Ordinario, tum Apostolico; quoad eas enim exacte observari mandamus Decretum Generale a Nobis editum* die 23. Aprilis 1741. *& impressum in Nostro Opere* de Canonizatione Sanctorum lib. 3. cap. 3. num. 25. editionis Patavinæ, & editionis Romanæ, *quod etiam nunc confirmamus tum quoad numerum Miraculorum, tum etiam quoad cætera, quæ in dicto Decreto continentur; & in quibus statuitur, Miracula semper esse comprobanda per Testes contestes de visu, sive agatur de Causis procedentibus per viam ordinariam de non Cultu, sive per viam extraordinariam de casu excepto, & sive res sit de Miraculis pro obtinenda Beatificatione, sive de aliis, quæ proponuntur pro Canonizatione obtinenda. Et Secretario Congregationis Sacrorum Rituum mandamus, ut præsens Nostrum Decretum inter acta Congregationis referat, & typis edi curet, ut ad omnium notitiam deveniat.*

Datum hac die 17. Julii 1754.

Dat. 17. Julii 1754.

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

M. Marefuscus S. R. C. Secr.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Epistola ad Capitulum, & Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Bononiensis data, occasione, qua S. Proci Martyris Corpus repertum in S. Thrasonis Cœmeterio, in eadem Ecclesia collocandum, transmittitur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Proem.

JAM dudum Nobis erat in animo, unum aliquod Sancti Corpus integrum cum suo nomine proprio inventum mittere ad istam Nostram Metropolitanam Ecclesiam, inter cætera dona, quæ ei largiri solemus quotannis, occasione Solemnitatis S. Petri Apostolorum Principis, in cujus honorem eadem Ecclesia dedicata est.

Qualibet pars Corporis cujuscumque Sancti veneratione prosequ.

§. 1. Non ignoramus, veneratione coli debere non solum cujuscumque Sancti Corpus integrum, sed quamlibet etiam partem a reliquo ejus corpore divisam: *Hæc est enim Sanctorum Martyrum gloria, quorum etsi per universum Mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo*: ita loquitur Sanctus Maximus *Serm.* 55. inter Sermones, qui olim Sancto Ambrosio adjudicabantur, ut videre est in Operibus hujus Sancti Patris *tom.* 2. *editionis Parisiensis anni* 1690. *pag.* 466. Cum Sancto Maximo cohæret Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui in *suo Carmine de Virtute* juxta interpretationem Petavii *lib.* 14. *de Incarnatione cap.* 11. §. 3. ait:

Tanta porro est veritatis veneratio,
Ut vel exiguus pulvis, aut aliquod reliquiarum
Ossium vetustorum, vel capillorum particula,
Aut panniculi, aut aspersi cruoris
Nota quapiam, ad totius honorem aliquando sufficiant,
Et appellatione sancta fuat reliquiæ:
Cum certis locis attributæ fuerint illæ pro toto Martyre:
Eadem quippe vi prædita. O Miraculum!
Salutem enim affert etiam sola recordatio.

Etiamsi ejusdem Sancti nomen ignoretur.

§. 2. Nobis constat præterea, quod quotiescumque habentur indicia certa, corpus aliquod, aut partem ipsius, esse corpus, aut partem corporis alicujus Sancti, licet hujus nomen lateat, corpori tamen, aut parti illi religiosus cultus debetur, qui cæteris Sanctorum Reliquiis præstari solet, ut late ostendimus in *nostro Opere de Canonizatione part.* 2. *cap.* 27. editionis præsertim Patavinæ, a Nobis, etiamsi assiduo gravissimarum occupationum pondere premeremur, plurimum locupletatæ; qua editione, pro nunquam intermissa benevolentia vestra erga Nos, laboresque Nostros qualescumque, minime vos carere arbitramur.

Major tamen est fidelium devotio erga integrum Corpus alicujus Sancti, si præsertim de ejus proprio nomine constet.

§. 3. Ut ut vera sint quæ diximus, nemo tamen inficiabitur, multo præclarius quid esse Corpus integrum, quam pars insignis ejusdem Corporis; & multo majorem esse Fidelium devotionem erga Corpus alicujus Sancti, de cujus nomine proprio constet, quam alterius, cujus nomen ignoretur. Et propterea juxta veterem Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, Sanctorum corporibus, quorum nomen ignoratur, appellativum nomen imponitur; ut recte ad rem Nostram, dum loquitur de consuetudine imponendi nomen appellativum Corporibus Sanctorum, qui sine nomine inveniuntur, animadvertit eruditus Ferrandus *in Disquisit. Relig. lib.* 1. *c.* 3. *Minime superfluum est certa nomina incertis Sanctorum Reliquiis attribuere, quod experientia, usuque quotidiano videamus, Fideles multo affectu, studio, ac pietate affici, & ferri erga Divorum illorum exuvias, quorum nomina mortales latent, quam adversus eas, quæ certis nominibus indigitantur: potentius enim nobis nota, & certa, quam obscura, ignota, & incerta, solent movere animos; ideoque major Dei gloria, atque Cælitum cultus, ac venerationis plerumque accessio fit*: præter ea, quæ collecta videre licet in Nostro supra citato Opere editionis Patavinæ *lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 28.

Itaque vetus est Ecclesiæ Romanæ consuetudo imponendi nomen appellativum SS. Corp. quæ sunt sine nomine.

Diligentia adhibita, ut Corpus alicujus S. inveniretur Bon. transmis.

§. 4. Hisce rationibus permoti Corpus alicujus Sancti integrum cum proprio nomine invenire studuimus, illudque mittere ad vos, ut, quemadmodum significavimus, in Nostra Metropolitana Ecclesia collocaretur.

Atque ut id, quod in animo erat consequeremur, necesse fuit Nostras perquisitiones ad ea venerabilia loca convertere, quæ tantopere almam hanc Urbem Romam illustrant: Loca, quæ excavata olim, & effossa a Gentilibus, ut extraherent arena communis & dicæarchea, ad extruenda magnifica illa ædificia, quorum adhuc apparent reliquiæ, fuerunt postea decursu temporis a primis Christifidelibus sanctificata, qui illuc se ob persecutionum metum recipiebant, suos religiosos conventus ibi facturi, itaut ibidem sacræ etiam functiones a Summis Pontificibus perficerentur, & Ecclesiastica sepultura defuncti donarentur. De Cœmeteriis loquimur, seu Catacumbis, de quibus tam devote Sanctus Hieronymus scribit, præter alios quamplures Antiquitatis Scriptores a Nobis citatos *in cap.* 27. *Operis nostri*, quibus in editione Patavina Joannem Bottarium addimus, Bibliothecæ Vaticanæ Custodem, & Nobis ab intimo Sacello, qui *tom.* 1. *Romæ subterraneæ* Catacumbarum modo explicatam originem feliciter detexit.

Catacumbarum origo.

§. 5. Invento autem in Catacombis Corpore integro cum nomine proprio, necesse fuit ultra procedere. Certum est enim, quod nulla sepeliebantur in Catacumbis nisi Christianorum Corpora; sed quod omnia Christianorum Corpora ibi sepulta, essent Sanctorum Corpora, certum non est. Propterea examinanda veniunt signa, quæ in sepulchro erant, ubi condebatur corpus integrum, aut ejus pars, sive cum nomine proprio, sive non. Nostri enim primitivæ Ecclesiæ Patres collocabant semper in Sanctorum sepulchris signa indicantia sanctitatem; ea vero nunquam collocabant in sepulchris illorum, quos uti Sanctos non habebant.

Præmittendum [illegible]

Basnagio in suis Operibus minime arridet sententia, quod in Catacumbis non sepelirentur nisi Christianorum Corpora. Sed illum egregie confutavit in suo Opere *de Monogrammate Christi Domini* Cappellanus intimus Dominicus Georgius, cujus nomen claret in Republica Literaria celeberrimum. Idem præstitit supra laudatus Bottarius, Basnagii sequacibus respondens. Nos vero, qui in prima editione Operis Nostri *de Canonizatione* conati sumus clare ostendere, quod soli Christifideles in Catacumbis, de quibus loquimur, sepelirentur: summa animi Nostri voluptate in nuperta editione Patavina addidimus ea pariter, quæ duo prædicti Scriptores egregii animadverterant, eosque, uti par erat, nominavimus: abhorruimus namque semper, semperque abhorrebimus a prava quorumdam consuetudine, qui ut suos faciant alienos labores, indigno plagio, quod postea nihilo tamen secius innotescit, verum Auctorem tegunt.

In Catacumbis Christian. dumtaxat Corpora sepelieb.

§. 6. Hoc systemate præstabilito, prima Catacumba, seu Cœmeterium, quod visitari jussimus, fuit Prætextati Cœmeterium, in Martyrologiis adeo celebre, situm in via Appia, & vix unum milliare ab Urbe Romana distans. De ipso loquitur Marcus Antonius Boldetius Canonicus Sanctæ Mariæ trans Tyberim, in suo laudabili Opere, cujus titulus: *Osservazioni sopra i Cimiteri de' Santi Martiri, ed antichi Cristiani di Roma*, *lib.* 2. *cap.* 18. quod Opus Auctor eruditus composuit post continuatum triginta annorum studium, post iteratas locorum perquisitiones, & animadversiones varias, post multos mentis & corporis susceptos labores, ac feliciter exantlatos, ut materiam præpararet, simulque ut suo muneri quoad Cœmeteria satisfaceret.

Prætextati Cœmeterium primo visitatum.

§. 7. In hoc eodem Prætextati Cœmeterio detectum fuit anno elapso Corpus integrum cum nomine proprio *Ilari*: quod nomen Christianis valde erat commune, ut colligitur ex antiquis inscriptionibus apud Arringhium, Fabrettum, & Reinesium; neque erat incognitum Ecclesiasticis Martyrologiis, ut videre est in Martyrologio Florentino *die prima Februarii*, atque in alio item Martyrologio apud Bollandum *tom.* 1. *Februarii pag.* 204. Sepulchro insculptum apparebat Monogramma Christi cum littera A ab uno latere, ab altero littera Ω. Inscriptio vero hujusmodi erat. *Hic requiescet in pace fide constitutus Ilarus qui vixit annus PL. MS. XXV.* Errores, qui huc irrepserunt, neminem debent in admirationem adducere, nisi quem ipsæ latent notiones primæ in hac materia. Siquidem extra omnem controversiam certum est, quod verba recte præparata, ut inciderentur in lapidibus, corrumpebantur ab imperitia sculptoribus in ipso incidendi actu, at non tamen ita corrumpebantur, ut verus sensus omnino deperderetur.

In eo detectum Corpus cum proprio nomine Ilari.

Una cum inscript.

§. 8. In Nostro Opere *de Canonizatione c.* 27. *sæpius citata num.* 14. *editionis Patavinæ*, dum loqueremur de signis, unde Sancti Corpus a Corpore alterius Christiani distinguitur, non dubitavimus ita asserere; *Primum itaque Signum est, si aliquod forte Corpus reperiatur cum Inscriptione, dummodo Inscripta*

Varia signa, ex quibus [illegible] Corpora, quæ in Catacumbis [illegible].

pta

[Christianorum fuisse.] ptio ipsa nullis ambagibus subjecta sit, sed in ea expresse sint, quæ verum pro Christo Martyrium præseferant, & ideo indubitatam Sanctitatem. Ibidem num. 58. diximus etiam, quod ex Monogrammata Pro Christo sepulchris insculpto, unum hoc inferri potest, Corpus scilicet ibi repositum, fuisse Corpus alicujus Christiani: quod insuper in editione Patavina comprobavimus, adducentes auctoritatem prælaudati Georgii, & Ludovici Antonii Muratorii viri in Republica Litteraria adeo insignis. Litteræ autem A, & Ω quæ significant Christum esse principium rerum omnium & finem, ejusque divinitatem exprimunt, quæque olim inscribebantur Christianorum Monumentis etiam ante Arii, & Constantii ætatem, ut luculenter ostendunt Lupus *in Dissertatione de Sancta Severa pag.* 142. & Georgius citatus *de Monogrammate Christi Domini cap.* 2. indicant similiter, quod Corpus illud erat Corpus Christiani alicujus. Eodem collimant verba *requiescit in pace*, quæ nunquam adhibita fuerunt a Paganis, sed a Christifidelibus tantummodo, quod ipsum demonstrat Mabillonius *de Cultu Sanctorum ignotorum pag.* 557. Jam vero, omissis siglis *PL. MS.* significantibus *plus minus* ad indicandam defuncti ætatem; quæ siglæ in tot Inscriptionibus inveniuntur apud Arringhium, & Fabrettum, quæque in uso esse cœperunt quarto sæculo, si fides habenda est Sponio in Antiquitatum investigationibus *pag.* 350. tota difficultas reduci debet ad illa verba *fide constitutus*, hoc est *fide constitutus*, ut incisoris sphalma corrigatur.

[Inquiritur quid significent illa verba fide constitutus, quæ in laudata inscriptione leguntur.] §. 9. Ut constaret, num prædicta verba in aliis quoque inscriptionibus invenirentur, & quisnam esset eorumdem sensus, rem totam communicavimus Litteratis illis viris, qui frequentes adsunt eruditis Exercitationibus, quæ singulis secundis Feriis habentur coram Nobis de rebus Ecclesiasticis, aut Romanis Antiquitatibus tum sacris, tum profanis, quo solatio inter molestissimas Pontificatus Nostri spinas unice recreamur. Post accuratas igitur perquisitiones, ralatum est Nobis, hujusmodi verba nullibi in Lapidibus Sepulchralibus inveniri potuisse. Quo vero ad eorum intelligentiam, putarunt aliqui eo loco Sacramentum Confirmationis significari, quo Ilarus insignitus fuerit, *[Nonnullis visum, Sacrament. Confirm. iis verbis indicari.]* cum legatur in antiquo Canone *Spiritus Sanctus, de Consecr. dist.* 5. quod Spiritus Sanctus in Baptismate *plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam*. Sed ea sententia minime placuit; nam licet in Inscriptione quadam, quam afferunt claræ memoriæ Cardinalis Norisius *in Fastis Consularibus pag.* 43., & Fabrettus *in Inscriptionibus pag.* 577. legatur de quodam Severo Paschasio, quod *percepit XI. Kal. Majas*, absque eo quod subjungatur quid perceperit, idque de Baptismo intelligatur: nescimus tamen an ulla Inscriptio inveniatur, quæ expresse mentionem faciat de Confirmatione; ob eam fortasse causam, quia ubi mentio fieri vellet de perceptis Sacramentis, cum omitti nullatenus posset Baptismus, ibi idem erat dicere aliquem fuisse baptizatum, ac dicere fuisse quoque confirmatum; tunc enim in pluribus Ecclesiis Confirmatio immediate conferebatur post Baptismum, quæ consuetudo vigebat etiam in Ecclesia Romana, ut videre est *in Ordine Gelasiano* in lucem edito a Ven. Servo Dei Card. Thomasio *pag.* 84. & 85. De hujusmodi ritu fuse egimus *in Dissertatione de Synodo Diœcesana*, quæ a Nobis Bononiæ composita, deinde Nostri Pontificatus tempore locupletata, Deo annuente publica luce donabitur. Baptismi, & Confirmationis Sacramentis addebatur olim in quibusdam Ecclesiis etiam Eucharistia, quamvis Baptizati, & Confirmati, essent adhuc lactentes puelluli, ut colligere potestis ex Nostro Opere *de Festis Jesu Christi, & Beatæ Mariæ Virginis, & de Missæ Sacrificio*, quod Opus quanto major est librorum copia, qui Nobis post Nostri Pontificatus exordia suppeditantur ab insigni Bibliotheca Domini Cardinalis Passionei, variis notitiis tanto magis adauctum, atque insuper ex Italico sermone in Latinam linguam feliciter translatum a Michaele Angelo de Giacomellis Nobis ab intimo Sacello, hoc ipso anno typis Patavinis prodiit in lucem.

[Alii putant fidei firmitatem notari.] §. 10. Sacerdos Petrus Morettus Canonicus S. Mariæ trans Tyberim, qui tam egregia volumina de rebus Ecclesiasticis edidit, aliaque plura actu præparat, quamvis non levi oculorum incommodo laboret; duas Nobis indicavit S. Cypriani epistolas, alteram Rogatiano Episcopo scriptam, in qua sic legitur: *Salomon in Spiritu Sancto constitutus testatur, & docet, quæ sit Sacerdotalis auctoritas & potestas, dicens &c.* alteram, ad Populum Tibaritanum, quæ sic habet: *Nemo quicquam de sæculo jam moriente desideret, sed sequatur Christum, qui & vivit in æternum, & vivificat servos suos in fide sui nominis constitutos*: atqui hinc inferebat per illa verba *in fide constitutus*, quæ sunt in Ilari lapide, significari, quod Ilarus plenus fide, stabilis in fide, radices in eadem fide jecerat admodum profundas.

Acta & Decr. Canon.

[Alii laudem indicant intelligi ea verba de Sacram. Baptism.] §. 11. Porro dum hanc ipsam Epistolam dictaremus, ecce Nobis exhibita est Dissertatio pulcherrima typis edita, & prælaudato Dominico Georgio Nobis ab intimo Sacello dicata. Ea habet Auctorem Sacerdotem Alexium Symmachum Mazzochium Canonicum Ecclesiæ Metropolitanæ Neapolis, virum tum sacra, tum profana eruditione clarissimum. Ibi ad examen revocantur ea verba *fide constitutus*, ab iisque significari ostenditur Sacramentum Baptismi susceptum ab Ilaro. Legitur enim in Tertulliano *lib. de Pudicit. cap.* 18. & alibi, *ante fidem*, & *post fidem*, ad significandum *ante* & *post Baptismum*, immo vetera Monumenta passim utuntur hac phrasi *fidei Sacramentum* ad Sacramentum Baptismi indicandum.

Et quia intelligis posse opponi, totum hoc superfluum videri, quandoquidem si Ilarus Christianus erat, necesse pariter erat, fuisse baptizatum, animadvertis quam diligentissime, quod tunc tempus suscipiendi Baptismum protrahebatur, adeoque Christiani dividebantur in duas veluti classes, quarum unam constituebant *[Duæ Christianorum Classes, altera Baptizatorum, Catechumenorum altera.]* Catechumeni, alteram Baptizati; atque hi quidem *Fideles* nominabantur *a Fidei Sacramento*, non *a virtute Fidei*; qua Fidei virtute imbuebantur Christiani Catechumeni Parochorum catechismum sua præsentia frequentantes. Non est admodum inverisimile, quod aliæ ad Nos super eodem argumento Dissertationes perveniant. Si ita erit, libenti animo eas percurremus. Nos interim hanc materiam intactam relinquentes, ad aliud Sacrum Corpus curam Nostram convertere statuimus, quod ad Ecclesiam Nostram Bononiensem mittamus.

[S. Thrasonis Cœmeterium Romæ detectum.] §. 12. Paucis abhinc annis detectum fuit Cœmeterium S. Thrasonis, de quo mentionem facit Martyrologium Romanum *die* 11. *Decembris: Romæ Passio Sancti Thrasonis, qui cum Christianos laborantes in Thermis aliisque operibus publicis fatigatos, & in carcere positos de suis facultatibus aleret, jubente Maximiano, tentus, cum aliis duobus Pontiano, & Prætextato, Martyrio coronatus est*. Ut notum est unicuique, Maximianus ædificium aggressus est Thermarum Diocletiani. Excesso crudelitatis abreptus, atque ut experiretur, utrum id, quod obtinere non poterat prompta morte Christi sequacibus violenter illata, obtinere posset ignominioso & diuturno supplicio, milites Christi damnavit ad excavandam arenam pro tam ingenti *[Christiani damnati a Maxim. ad arenam pro Diocl. Thermis excavandam.]* ædificio necessariam. Immanis procul dubio fuit illorum numerus, qui in Christiana Religione perseverantes mortui sunt ex nimio labore. Qui superstites vixerunt decem mille ducenti & tres, ii occisi sunt in odium Christianæ Fidei intra Vallis Planitiem extra Portam Trigeminam, in loco, qui appellatur *Gutta jugiter manans, ad Aquas Salvias*, ut fuse narratur in Annalibus Cardinalis Baronii *ad annum Christi* 298. ubi piissimus Auctor animadvertit, quod cum dirutæ sint aut redditæ inutiles reliquæ omnes Romanorum veterum Thermæ, unicæ, si minus integre, saltem magna ex parte subsistunt Diocletiani Thermæ, in Ecclesiam commutatæ ad honorem Beatissimæ Virginis, & Angelorum, fortasse quia sudoribus Confessorum Christi fuerunt exædificatæ.

[Narratur, quomodo in Cœmet. S. Thrasonis repertum fuerit Corpus S. Proci, cum propria inscriptione & vase sanguine resperso.] §. 13. Sed ut reditum faciamus ad Cœmeterium Sancti Thrasonis Via Salaria, quod detectum fuit in arenariis ad fodiendam arenam apertis pro Thermarum prædictarum ædificio: Joannes Marangonius Sacerdos supra commendati Canonici Boldetti studiorum laborumque, per triginta & amplius annos, socius indivisibilis, ejus inventionis historiam fideliter narrat in Appendice ad Acta S. Victorini Episcopi typis edita simul cum longa serie marmorearum Inscriptionum, quas in Cœmeteriis collegit; & quarum memoria in fatali incendio ejus domicilii ideo non periit, quia priusquam ædes conflagrarent, eas jam viris eruditis ipse communicaverat.

Joanni igitur Marangonio Sacerdoti una cum Canonico Boldetto feliciter successit, ut via quædam subterranea sese aperiret, valde lutulenta, in qua ipsi operariis insistentes, ut escavationem prosequerentur, tum demum invenerunt sepulchra nonnulla, quorum alia suas inscriptiones præseferebant, alia non item; omnibus tamen habebatur vasculum aut sanguine plenum aut tinctum colore sanguineo, aut crustas saltem sanguineas aliquo modo occludens.

Inter cætera, unum inventum est Sepulchrum cum sequenti Epigraphe:

Pater Filio Proco Qui
vixit annis VIII. mens. VIII.
in pace fecit.

Epigraphe hæc insculpte erat marmori Salino, & poris pleno, quod ab aqua penetratum & corrosum, levissimo quoque attactu in pulverem sedigebatur. Quapropter eum providus, & peritus antea laudatus Marangonius clare animadvertisset fieri non posse, ut marmor illud extraheretur, deliberavit verbo transcribere, eaque in citata Appendice *pag.* 88. in lucem proferre.

Nullum os desiderabatur ad corporis integritatem, quin etiam in Sepulchri loco consueto existebat vas tinctum, cum crustis sanguineis: quæ ossa cum vasculo a Sacerdote, pro sui Officii munere exhibita Cardinali Guadagni Romæ Vicario, reposita fuerunt de more in Custodia, ut deinde opportuno tempore illustri alicui viro concederentur, qui preces porrigeret ad impetrandum aliquod Corpus sacrum integrum, cum proprio nomine, ut in insigni quapiam Ecclesia collocaretur.

Extracta fuerunt ossa cum vase supra memorato die 9. Maji anni 1737. Nos autem quoniam nihil amplius de corpore invento cum Illsri nomine cogitabamus, Sacerdoti Marangonio communicavimus desiderium Nostrum habendi sacrum aliquod Corpus insigne quod Ecclesiæ Nostræ Bononiensi, ut diximus, mitteremus. Hoc audito, ipse indicavit Nobis Corpus Sancti Proci, ipse idem Nobis illud attulit in parva capsa sigillo Card. Vicarii munita, ipse Nobis fideliter narravit ea, quæ supra exposuimus; addiditque præterea, prope Sancti Proci Sepulchrum duo pariter Sepulchra inventa esse cum sanguinis vasculo, ubi ossibus pene in cinerem solutis, lapides indicabant, illa duo esse Puerorum Corpora, quorum alter septem, alter erat annorum trium: ex quo colligebat eruditus vir, persecutionem illam, qua Martyrio coronatus est Sanctus Procus, esse non potuisse nisi gravem, atque unam ex crudelissimis. In hujusmodi enim persecutionibus crudelis Tyrannorum barbaries neque sexui pepercit, neque ætati, quantumlibet infantili. Denique in urna, quam confici fecimus, vobisque pariter donamus, idem ipse propria manu collocavit vas, aptavitque ossa singula, quæ, mandantibus Nobis, recognita ab intimo Cubiculario Nostro & Archiatro Antonio Leprotto, integrum corpus perficiunt.

Huic Corpori cultus debetur, & titulus S. quandoquidem Vas vasculum sanguine, indubia est martyrii nota.

§. 14. Ecce igitur, Dilecti Filii, narrationem completam tum loci, tum temporis, cæterarumque circumstantiarum omnium, quæ spectant ad seriem facti, per quod inventum est atque extractum Sancti Proci Corpus, quod vobis mittimus, ut juxta nostra mandata collocetur sub una ex aris Metropolitanæ Nostræ publico cultui expositum. Ipsi debetur cultus, & titulus Sancti, quia procul dubio, ut eruditioni vestræ notum esse debet, nulli unquam venit in mentem, quantumvis acuto ingenio is fuerit, & cupidus quærendi, ut ajunt, nodum in scirpo, nulli, inquam, venit in mentem dubitatio, quod Corpus in Catacumbis Romanis inventum cum vasculo sanguinis aut pleno, aut tincto, non sit Corpus alicujus, qui mortem pro Christo sustinuerit. Arringhius, Mabillonius, bonæ memoriæ tum Senator Buonarroti, tum Raphael Fabrettus, & qui unus pro cunctis valere debet Ludovicus Antonius Muratorius, Canonicus Boldettus, Sacerdos Marangonius, Eques Victorius, aliique Ministri Corporum extractionibus inservientes, in hoc unanimiter conveniunt, ut eruere facile potestis *ex art. Cap. 27. Operis Nostri de Canonizatione Sanctorum lib. 4. cap. 2. a num. 22. usque ad finem, editionis Patavinæ*, ubi fideliter enumerantur, & adoptantur a Nobis auctoritates prædictæ, simul cum experimento prælaudati Fabretti, quo redarguit nimia audacem eorum opinionem, qui contendebant illorum vasculorum crustas non improbabiliter a salium mineralium concretione fuisse productas; atque ostendit, eas sine ulla controversia provenire e sanguinia massa. Assinghius, Muratorius, Nos ipsi, verba facimus de pia veterum Fidelium consuetudine colligendi & conservandi Sanctorum Martyrum Sanguinem, de qua re si plura discere exoptatis, percurrite *primam Partem tom. 2. de Cultu Sanctorum Dissert. 7. cap. 1. §. 7. & cap.* 31. concivis Nostri Joannis Chrysostomi Trombelli Abbatis, qui ea qua solet, ingenti eruditione etiam hoc argumentum pertractavit.

Asseritur nomen in aliquo Eccl. monumento Sancti Proci fiat mentio.

§. 15. Nihil amplius requiritur, ut pro certo habeatur, non modo titulum Sancti Proco deberi, sed etiam cultum ejusdem Corpori, quod vobis mittimus, negari non posse. Verumtamen illud pariter pro complemento inquirere diligenter voluimus, atque alios indagare fecimus, utrum in veteri aliqua Litania, aut in Martyrologiis Rosweydi, Bedæ, Flori, Rhabani, Notkeri, Wandalberti, in Ephemeridibus Græco-Moschis, & in Basiliano Menologio e Græco in Latinum sermonem translato a sanctæ memoriæ Clemente Papa XI. mentio de hoc S. Proco habeatur.

Verisimile est, S. Procum, de quo agitur, eumdem esse cum illo, de quo meminit Martyr. S. Hier.

§. 16. Nomen Proci non fuit ignotum Gentilibus, ut videre est in satis ampla Inscriptionum Collectione apud sæpe laudatum Muratorium *pag.* 815. *num.* 4. *& pag.* 1472. *num.* 2. Quod autem spectat ad Martyrologia; eruditioni vestræ manifesta fieret injuria, si dubitaremus vobis non esse perspectum, quanta in æstimatione sit, ac semper fuerit Martyrologium Sancti Hieronymi, cui decursu temporis multa a piis, ac religiosis viris facta sunt additamenta quorumdam SS. qui certe post S. Hieron. floruerunt. In Monasterio Corbejensi antiquum hujus Martyrologii exemplar inventum est, quod Hugo Menardus typis edere cogitaverat. Quod tamen ipse non potuit conficere, perfecit postea Lucas Acherius in suo Spicilegio, seu Collectione veterum quorumdam Scriptorum, quos in Galliæ Bibliothecis invenit. Hieronymianum hoc Martyrologium extat *in tom. 2. cit. Collect. editionis Parisiensis* 1723. ibique *pag.* 12. *die* 2. *Junii* inter cæteros Sanctos legimus Sanctum Procum: *Item Marthæ, Marcellæ, Proci, Datulæ, Victuriæ, Joviani.* Atque ibi cum sermo sit de Sancto Romæ passo, ut diximus, cumque pariter certum sit, quod, qui Romæ Martyrium sustinebant, sepeliebantur in Catacumbis cum Vase sanguinis, præcipuo sui Martyrii signo, verisimile admodum est, Sanctum Procum, cujus Corpus extractum est cum signo prædicto, esse utique illum eumdem, de quo fit mentio in Martyrologio Sancti Hieronymi.

In alio Codice pro Proco Percus legitur.

§. 17. Ne quid tamen dissimulemus: dicere necesse est, Martyrologium hoc ipsum editum pariter fuisse ab erudito viro Francisco Maria Florentinio, qui secutus lectionem Codicis cujusdam Lucensis *die* 2. *Junii pag.* 567. non legit *Proci*, sed *Perci*, aliud quoque MS. vetus Antuerpiense *in Adnotationibus* producens. Sed cum *in iisdem Adnotationibus pag.* 568. non prætermittat ingenuus Florentinius Codicem etiam Corbejensem citare, qui legit non *Percum*, sed *Procum*; &, quod majus est, cum in SS. Indice ad finem Martyrologii mentionem faciat de *Proco*, non autem de *Perco*; hinc oritur validum argumentum inferendi, quod a Florentinio Corbejensis Lectio Lucensi anteponatur, atque Antuerpianæ. Eruditi viri, qui Acta Sanctorum collegerunt, Henschenius nempe, Papebrochius, Baertius, & Janningus *tom.* 1. *mensis Junii die* 2. *pag.* 209. post Catalogum Martyrum Romanorum, in quem inserunt nomen *Perci*, amplectentes lectionem editionis Florentinii *pag.* 210. fateri deinde non dubitarunt, quod *Procus* legebatur in aliis Codicibus, non *Percus*.

Sed Perci nomen nullibi occurrit.

§. 18. His omnibus addendum est, nullum aliud neque sacrum, neque profanum monumentum, quacumque diligentia adhibita, potuisse inveniri, in quo nomen *Perci* haberetur; e contrario *Proci* nomen facile, ut diximus, in antiquis inscriptionibus occurrere. Ex quo inferri possunt hæc duo: alterum, quod lectio Codicis Corbejensis verisimilior sit, quam lectio Codicis Lucensis, & Antuerpiani: alterum vero, quod sine temerarii judicii nota affirmare liceat, *Proci* nomen ab Amanuensibus per iteratas exemplarium transcriptiones in illud *Perci* mutatum fuisse.

Nil facilius, quam ab Amanuensibus Proci nomen in illud Perci commutatum fuisse.

Quod si forte objiciatur, nomen *Perci* mutari potuisse ab Amanuensibus in illud *Proci*, semper reponi posset, facilius esse, iterum atque iterum rescribendo, mutare *Procum* in *Percum*, quam *Percum* in *Procum*. Nam apud Martene, & Durand *tom.* 3. *Novi Thesauri Anecdotorum, edit. Parisiensis* 1717. *pag.* 1614. apparet nomen *Sanctorum Proti, & Hyacinthi* Amanuensium incuria mutatum fuisse in quibusdam Martyrologiis antiquis cum nomine *Sanctorum Prefti & Hyacinthi*, non vice versa.

Publicus Corpori S. Proci cultus decernitur.

§. 19. Valeat tamen quod diximus usque adhuc, quantum valere potest. Nos asserimus *Proci* nomen propter marmoris sepulchralis auctoritatem: asserimus Martyrium, propter Vasculum tinctum crustis sanguineis: & nihil amplius requiri certi sumus ad publicum cultum, & Sancti titulum Nostro Martyri esserendum. Exponite igitur publico cultui Corpus, quod vobis mittimus, vestra & totius Populi, ac Cleri pietas accendatur magis ac magis erga sacras exuvias: illudque in mentem revocate, quod Corpora, & Sanctorum Reliquiæ in illis Civitatibus, ubi jacent, & venerantur, solent esse divina favente misericordia, validum præsidium ad arcendas inde calamitates, e

SS. Reliq. ad arcendas a Civitat. calamitates præsidio sunt.

qui-

quibus secus opprimerentur, Martyri Theodoro acceptum refert S. Greg. Nyssenus, quod Civitas, in qua ejus Sacrum Corpus asservabatur, liberata fuerit ab impendenti devastatione, quam Scythæ minabantur, ut videre est *in Oratione de eodem Martyre*. Idem scribit Evagrius *lib. 4. cap.* 27. de Martyre Sergio, qui Civitatem, ubi erat Sacrum ejus Corpus, a terribili Regis Chosroæ invasione liberavit. Superius mentionem fecimus de Concive Nostro Joanne Chrysostomo Trombelli Abbate, nunc iterum ejus memoriam repetimus, qui pariter *supra cit. Dissert. 7. cap. 24. & seqq.* hoc idem assumptum summa felicitate, atque eruditione comprobavit. Jam vero ut finem faciamus, paterna vos benevolentia complectentes, Apostolicam Benedictionem Vobis impertimur.

Dat. 20. Aprilis 1745. Pont. V. Datum Romæ apud Sanctam Maria Majorem die 20. Aprilis 1745. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Bononiensis.

Litteræ Apostol. in forma Brevis Capitulo & Canonicis Ecclesiæ Metrop. Bonon. scripta.

Dilecti Filii Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Insignes, quæ amplissimam istam Metropolitanam Ecclesiam maxime illustrant & ornant, laudes, & decora, tum opportunis ad divini honoris & Ecclesiasticæ disciplinæ incrementum editis legibus, tum ædificiorum vel accessione vel instauratione, denique additis pretiosæ supellectilis ornamentis, pro viribus hactenus augere adeo sollicite studuimus, ut officio quidem minime defuisse Nobis ipsi quodammodo blandiamur: amori vero erga Sponsam, quæ gaudium & corona Nostra semper erit, nunquam videamur satisfecisse. Ut autem constantissimam voluntatem Nostram eidem novo testimonio amplius declaremus, ad cœleste præsidium publicis necessitatibus confirmandum, Corpus S. Proci Martyris e Sancti Thrasonis Cœmeterio eductum & extractum, & in eadem Metropolitana semper adservandum, Vobis, paterni Nostri amoris pignus, dono mittimus. Porro de hujus Sancti Martyris inventione, deque certissimis argumentis, notis ac symbolis, per quæ ejus Martyrium exploratissime designatur, pluribus ac subtiliter admodum scribimus in epistola, quam Italico idiomate ad Vos hac ipsa die damus: cui has etiam in forma Brevis litteras adjungimus, quas pro publico authenticoque documento futuris temporibus esse volumus. Ea propter Venerabile Sancti Proci Corpus, una cum Ampulla vitrea ipsius Sanguine respersa, quæ cum suis Sepulcro conditum (quemadmodum antiquis erat in more positum Martyrum Corpora tumulo mandare) decenter composuimus atque collocavimus in Capsula ex ære auro inducto ad urnæ instar compacta & conformata, elegantissimo opere elaborata, crystallinis sex tabulis undique contecta: quam ad certam perpetuamque rei fidem Nostris in cera hispanica rubri coloris impressis signis obsignavimus. Vobis igitur injungimus & mandamus, ut Sacra tanti Martyris pignora, cum perenni paternæ caritatis Nostræ memoria, ad majorem Divini nominis gloriam, Sanctorumque cultum, in ista Metropolitana Ecclesia publica Fidelium venerationi exponatis: Fore certo sperantes, ut præsentissimo etiam ejusdem Martyris patrocinio, ampliora in dies divinæ clementiæ munera Vobis comparetis, quibus euntes de virtute in virtutem, ambuletis digne Deo in omni opere bono fructificantes, & veritatem in caritate facientes, crescatis in illo per omnia, qui est Caput Christus: apud quem assiduas ad opportunam imbecillitati Nostræ opem implorandam preces effundite. Ac Vobis, Dilecti Filii, quos eadem, qua antea præsentes, nunc autem absentes benevolentia complectimur, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ &c. 20. Aprilis 1745. Anno Quinto.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Epistola prima ad R. P. Engelbertum Abbatem Monasterii Campidonensis, de facultate consecrandi Abbatialem Ecclesiam Campidonensem.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Abbas Campidonensis Ecclesiam Abbatialem consecrat ex privil. Apostol.

EX tuis precibus mense Martii nuper elapsi ad Nos perlatis accepimus, Ecclesiam Abbatialem, cui præes, sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum aliquot Martyrum erectam, vetustate & dignitate conspicuam, cum a Prædecessore Nostro Hadriano PP. I. sacro Ecclesiæ ritu fuerit consecrata, occasione belli contra Suecos initi, decimoseptimo sæculo fere dimidio funditus eversam, tandem nobili ædificio rursus fuisse instauratam. Cumque juxta Sacrorum Canonum Sanctiones Ecclesia novo opere instructa, nova itidem consecratione initianda sit; illud a Nobis postulasti, ut ejusmodi consecrationis ministerium tibi, auctoritate Apostolica perficiendum demandaretur. Etsi vero tanti privilegii magnitudo Nobis perspecta esset, nihilominus meritorum tuorum intuitu, ipsa quoque Ecclesiæ tuæ insigni nobilitate, de qua Mabillonius *Analect. tom. 1. ad iter Germanicum*; ipsa item Campidonensis Monasterii remotissima vetustate, cujus initia, privilegia, prærogativas late enumerat Bruschius *in seris Monasteriorum Germaniæ illustr.* tandemque iis circumstantiis, in quibus versaberis, id suadentibus, petitam facultatem, iis tamen, quas infra enumerabimus, conditionibus conscriptam, ultro concessimus. Par enim Nobis visa est, cum ad Sacramenti Confirmationis, tum ad Ecclesiarum Dedicationis Ministrum designandum, causa, & exemplum. Enim vero, quamvis Sacramenti Confirmationis administratio ita soli conveniat Episcopo, ut nullus Antistes simplicem Sacerdotem, qui baptizatos confirmet possit delegare; multis tamen Prædecessorum Nostrorum exemplis docemur, ejusmodi munus Sacerdotibus, & præcipuis quibusdam Abbatibus, esto nullo charactere Episcopali insignitis, fuisse collatum; modo extraordinarius Confirmationis Minister, Oleo, cui Episcopus pridem benedixit, utatur: ut fusiori calamo scripsimus in Nostro Tractatu *de Synodo Diœcesana*, qui nuper e typis prodiit, *lib. 7. cap. 7. & seqq.* Haud dissimili dispensatione, Ecclesias consecrandi privilegium quod alioquin nulli convenit, nisi Episcopali dignitate præfulgeat, Apostolicæ auctoritatis limites non excedit, quamvis nulli Episcoporum jussit, simplicem Sacerdotem ad id muneris designare. Hinc Nos jure ac merito ex Apostolicæ potestatis plenitudine ad Ecclesiam Campidonensis Monasterii consecrandam Te Ministrum elegimus, his verbis, quæ ex litteris Nostris Apostolicis die 12. Martii proxime præteriti editis hic subjicimus: *Hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi eamdem Ecclesiam Monasterii Campidonensis, juxta præscriptum in Rituali Romano, servatis aliàs de more servandis, recepto prius Oleo Sacro ab Episcopo benedicto, pro hac vice tantum, consecrandi facultatem, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, concedimus & indulgemus.* Hinc mense Majo sequenti, ejusdem Ecclesiæ Consecratio, te id agente, solemni ritu peracta est.

Canonist. sententia de jure Episcop. in Eccl. dicandis est.

§. 2. Conveniunt Canonistæ, Episcopis jus esse Ecclesias in eorum Diœcesi existentes consecrandi, imo & alium delegandi Episcopum, qui, delegatione seclusa, consecrationem citra reatum non posset perficere; cum ex præscripto Synodi Tridentinæ *Sess. 6. cap. 5. de Reformat.* nefas sit extraneo Antistiti, sine Ordinarii licentia, in aliena Diœcesi exercere Pontificalia. Addunt vero iidem Canonistæ, non posse ab Episcopo simplicem Sacerdotem ad consecrationis opus obeundum designari; quandoquidem uni Summo Pontifici peculiaris hæc jurisdictio reservatur. Ita sentiunt inter Hispanos Gonzalez *Cap. Aqua, num. 3. & seq. de Consecr. Eccles.*, inter Belgas Van-Espen *Juris Ecclesiast. part. 2. art. 16. num.* 10. inter Germanos Pirhing. *ad lib. 3. Decretalium art.* 4. §. 1. & Schmalzgrueber *ad eumdem tit.* §. 1. nostrosque inter Italos Tamburini *de jure Abbatum tom. 1. disput. 23. quæst. 7.*

Juxta Canones, Ecclesia dicanda est ab Episc. in cujus Territorio ædificatur.

§. 3. Hanc Canonistarum Sententiam nonnulla Ecclesiasticæ Historiæ monumenta illustrant, atque confirmant. In Concilio Arausicano I. quod anno Christi

sti 441. coactum est, quodque in Collectione Labbeana refertur *tom.* 3. *pag.* 1449., hæc ad rem nostram decernuntur: *Si quis Episcoporum in alienæ Civitatis Territorio Ecclesiam ædificare disponit, vel pro fundi sui negotio, aut Ecclesiastica utilitate, vel pro quacumque sua opportunitate, permissa licentia ædificandi, quia prohibere hoc votum nefas est, non præsumat dedicationem; quæ illi omnimodis reservatur, in cujus Territorio Ecclesia assurgit.* Neque exemplum Sidonii, qui, ut legimus *in Epist.* 15. *lib.* 4. Ruthenorum Ecclesiam citra ullam Ordinarii licentiam consecravit, Ecclesiæ moribus, aut disciplinæ adversatur. Sicut enim Savarus *in Notis ad prælletum Sidonii Epistolam* animadvertit, nedum Ruthenorum, sed & aliæ, quæ circumpositæ erant Ecclesiæ, Pastoribus, quos Arianæ persecutionis impetus propulsaverat, jacebant destitutæ: quod idem vel ea ejusdem Sidonii *Epistola* 6. *lib.* 7. aperte colligimus: Hinc nil mirum, si, inconsulto Episcopo, qui non aderat, Sidonius ad alienæ Diœcesis Ecclesiam consecrandam accesserit, ne alioquin sacra illa Ædes eximia Consecrationis prærogativa fraudaretur.

Neque obficit Sidonii exemplum.

§. 5. Quod uni asseritur Episcopo, ex præstituto Arausicani Concilii Canone, aperte denegatur Presbyteris in secundo Bracarensi Concilio anno Christi 563. sub Pontifice Joanne III. In memorata Collectione Patris Labbe *tom.* 5. *pag.* 842. recitatur *Can.* 19. hisce verbis conceptus: *Item placuit, ut, si quis Presbyter post hoc interdictum ausus fuerit Chrisma benedicere, aut Eccl. aut Altare consecrare, a suo officio deponatur; nam & antiqui hoc Canones vetuerunt.* Sed propius ad rem nostram Concilium Hispalense secundum, cui anno 619. præfuit S. Isidorus, aperte docet, non posse Episcopos simplicem Sacerdotem delegare ad Ecclesiarum Consecrationem perficiendam. Splendidi hujusce monumenti verba sic habent: *Septima examine relatum est Nobis, venerandissimum quondam Agapitum Cordubensis Urbis Episcopum frequenter Presbyteros destinasse, qui, absente Pontifice, Altaria erigerent, Basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum id præcepisse virum Ecclesiasticis disciplinis ignarum, & statim a sæculari militia in Sacerdotale Ministerium delegatum. Ergo, ne ultra talis a Nobis licentia usurpetur, communi sententia statuendum oportuit; scientes, quia sicut Presbytero illicita Consecratio est Altaris, ita & constitutio.*

Ex iisdem Sacris Canonibus vetitum Presbyteris Ecclesias consecr. tum Episcopis consecr. Presbyt. delegare.

§. 6. Codices nonnulli, in quibus præfati Canonis verba exscribuntur, nedum Presbyteros, sed & Chorepiscopos nominant, quibus Ecclesiarum dedicatio, etiamsi Episcopi delegatio faveat, pari jure denegatur. Verum Cardinalis de Aguirre in *Collectione maxima Conciliorum Hispaniæ tom.* 2. *pag.* 464. accuratiorum Codicum fidem secutus, Chorepiscoporum nomen, aliena manu additum, expungit: non enim de Chorepiscopis, sed de solis Presbyteris, Hispalensis Concilii Canon sermonem habet. Præterea doctus idem scriptor *loco citato pag.* 473. postquam satis probavit, Epistolam 88. quæ S. Leoni a nonnullis tribuitur, tanti Pontificis fœtum non esse, sed illam ea Canone septimo Hispalensis Concilii fuisse desumptam; tandem concludit, Chorepiscoporum nomen Canoni insertum, in ipsam Epistolam, quæ ex Canone illo concionata est, facile descendisse.

Dubium, an Hispalensis Concilii Canone, etiam de Chorepiscopis meminerit.

§. 7. Etsi vero daremus, Hispalensis Concilii Canonem Presbyteros atque Chorepiscopos una sociasse, nihil inde conficitur; jam enim nostra ætate communis eruditorum opinio est, Chorepiscopos, si paucos excipias Episcopali charactere decoratos, puros, potosque Sacerdotes fuisse. Qua de re consulendi Bellarminus *lib.* 1. *de Clericis c.* 17. Hallier *de Sacris Ordinationibus sect.* 5. *cap.* 2. Morinus *Exercitat.* 3. *cap.* 2. Thomassinus *de Ecclesiastica disciplina part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. Carolus du Fresne *in verb. Chorepiscopi*, Witasse *in Appendice ad dissertationem de Episcopis art.* 3. Le Droit *lib.* 8. *sect. ult.* Hoc in sensu Hispalensis Concilii Canon commode accipitur, ut nimirum de iis Chorepiscopis, qui Presbyteratus metam non excedunt, sit intelligendus. Juvant hæc interpretatio ex alia lectione ejusdem Canonis, quem ex Concilio Hispalensi supra recitavimus, si editionem Conciliorum, quæ anno 1585. sub auspiciis Sixti V. Prædecessoris Nostri Venetiis procusa est, consulamus. Enim vero *vol.* 3. *pag.* 55. *num.* 7. in ipso Canonis contextu, Chorepiscopi, ac Presbyteri una sociantur, ita tamen, ut par utrisque tribuatur auctoritas. Canonis verba hic attexímus: *Septimo examine relatum est Nobis, venerandissimum quondam Agapitum Cordubensis Urbis Episcopum frequenter Chorepiscopos, vel Presbyteros ordinasse, qui tamen juxta Canones unum sunt &c.* qua verborum additione, nullum, ut cuique patet, Chorepiscopos inter ac Presbyteros, statuitur discrimen.

Chorepiscopi fere omnes Sacerdotes dumtaxat fuere.

§. 8. Cardinalis Bellarminus *lib.* 2. *de Confirmat. cap.* 12. docet, inesse Episcopis integram, absolutam, & quæ a nullo dependeat, authoritatem ministrandi Confirmationis, atque Ordinis Sacramenta, quibus Nos addimus & ipsam Ecclesiarum Consecrationem. Ex quo fit, ut possint Antistites in propria Diœcesi ejusmodi jurisdictione pro libito uti: quamvis, si forte qui Episcopis præest, id prohibeat, vel impediat, hoc in casu actus Superiore vetante exercitus, illicitus quidem sit, non etiam frustraneus. Verum, eodem Bellarmino teste *in loc. cit.* longe dissimilis, ubi de simplici Sacerdote sermo est, militat ratio. Etsi namque Ordinis potestas, quæ ex vi characteris Sacerdoti tribuitur, plena, integra, atque absoluta sit in Baptismi, atque Eucharistiæ Sacramentis conficiendis; inops tamen, inchoata, atque a Superioris nutu dependens habenda est Sacerdotum potestas, non ad collationem Confirmationis, ac Minorum Ordinum, atque ex pari ratione quoad ipsam Ecclesiarum Consecrationem. Hinc sequitur, ut nisi Superioris accesserit delegatio, mutila hæc, atque infirma Sacerdotum auctoritas, neque in licitum, neque in validum actum erumpere possit.

Episcop. exclusiva potestas in Ecclesiar. consecratione; simplicium Sacerdot. nulla.

§. 9. S. Thomas, Theologorum facile princeps, *in lib.* 4. *sententiar. dist.* 7. *quæst.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. asserit, Episcopatum, nihil Sacerdotio *per relationem ad Corpus Domini verum*, sed multo potiorem jurisdictionem conferre, habito respectu *ad Corpus Domini mysticum*. Ex quo infert, Summum Ecclesiæ Pontificem, Episcoporum omnium caput, in quo potestatis omnimoda residet plenitudo, eam, qua pollet absolutissimam auctoritatem in Corpus Christi mysticum, hoc est in Ecclesiam, exercere posse, ideoque ad ea perficienda, quæ ad mysticum Christi Corpus quoquomodo pertinent, summo jure Sacerdotibus, qui ex vi Ordinis, ac præcipuo quodam jure Eucharistiæ Sacramentum conficiunt, potestatem conferre, quod tamen Diaconis, *qui non habent perficere Corpus Domini verum*, jure ac merito denegatur. Hoc nixus fundamento S. Doctor affirmat, simplicem Sacerdotem, a Summo Pontifice delegatum, Sacramentum Confirmationis, ac minores Ordines rite ministrare. Quidni ergo & Ecclesias poterit consecrare? Simplices Sacerdotes in extraordinarios Confirmationis, ac minorum Ordinum Ministros pluries fuisse designatos, satis probavimus in prælaudato Tractatu Nostro *de Synodo Diœcesana*. Illud ergo inquirendum superest, quonam tempora delegatam ad consecrandas Ecclesias jurisdictionem in usum revocaverint.

Cum tamen hi potestat. habeant in Corpus Christi verum.

§. 10. Ad id demonstrandum nonnulli proferunt Diplomata Stephani II. quem putant jus tribuisse S. Anselmo Abbati Monasterii Nonantulani in territorio Mutinensi, ut *Altaria simul, & Ecclesiam, Apostolica auctoritate consecraret*, verba sunt Pontificii Diplomatis apud Ughell. *Ital. Sac. tom.* 2. *in serie Episcoporum Mutinensium pag.* 84. *postremæ editionis*, cujus item Diplomatis seriem exhibet Abbas Muratorius *tom.* 1. *part.* 2. *scriptor. rer. Italicar. in Opuscul. de Fundatione Monasterii Nonantulani pag.* 190. ac Bullarium Romanum Romæ excusum anno 1739. *tom.* 1. *Constitut.* 2. inter eas, quæ Stephano II. adscribuntur, *pag.* 150. Verum, si Apostolicæ Constitutionis verba paulo accuratius perpendantur, legenti patebit, Stephanum Pontificem Sergio Ravennatensi Archiepiscopo, non etiam Abbati Anselmo, Sergii dumtaxat consocio, auctoritatem contulisse, ut S. Silvestri, aliorumque Sanctorum Reliquias deferret Nonantulam, ibique Ecclesiam, ac Altaria initiaret; quandoquidem ea ætate vigebat adhuc mos, & disciplina, quæ subsequentibus item temporibus aliquandiu obtinuit, ut nimirum nefas esset Episcopis Ecclesias, inconsulto Pontifice, consecrare. Quo pertinent verba illa Nicolai I. ad Consulta Archiepiscopi Vesontionensis, relata *in cap.* 5. *tom.* 1. *Spicilegii* Lucæ d' Achery *pag.* 597. *Quomodo autem Chorepiscopos posse dicimus Ecclesiam consecrare, quam nulli Episcoporum licet sine Nostro præcepto, secundum sanctas regulas dedicare?* Vetustam hanc Ecclesiæ disciplinam colligimus *ex Can. de locorum* 4. *de Consecrat. dist.* 1. atque ex iis, quæ edisserunt Gonzalez *in Cap. ad hæc; de Consecrat. Eccles. num.* 11. *in fin.*, Granaucet. *ad lib.* 3. *Decretal. tit.* 36. *in notis ad Cap. Ad hæc, de Religiosis Domibus, num.* 3. *& seq.* & Garnerius *in notis ad lib. Diurn. Romanorum Pontificum cap.* 5. *pag.* 91. Cæterum, ut in viam, a qua paulatim deflexímus, regrediamur, Abbatiæ Nonantulanæ Ecclesiam a Ravennatensi Archiepiscopo fuisse initiatam, auctor est Pater Mabillonius *part.* 1. *sæcul.* IV. *Sanctorum Ordinis*

Exemplis agitur: ad illud Stephani II. de consecratione Ecclesiæ Monast. Nonantulani ad rem non facit.

nis Benedictini t. 2. p. 146. n. 62. editionis Lucensis, ubi refert geminam in territorio Nonantulano, Stephani Papæ II. jussu, peractam Eccl. Consecrationem, alteram quidem a Geminiano Mutinensi Episc. alteram vero ab Archiep. Ravennatensi Sergio, qui post absolutum sacri ritus ministerium, tridui spatio cum Anselmo Abbate, ejusque Monachis commoratus est.

Ecclesiam consecr. si polluatur, a Sacerdotib. ex privil. Apostol. reconciliari posse exempla probant quamplurima.

§. 11. Hoc igitur monumento posthabito, ad alia progrediamur. Constat cum primis, soli Episcopo jus competere Ecclesias consecratas, si polluantur, reconciliandi; contra vero simplici Sacerdoti id omnino vetitum, quamvis Episcopalis intercesserit delegatio. *Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum, non negamus: per Sacerdotes simplices, hoc fieri de cætero prohibentes: non obstante consuetudine Provinciæ Bracarensis, quæ dicenda est potius corruptela*: verba sunt Gregorii IX. *in cap. Aqua, de Consecratione Ecclesiæ*. Posse tamen Summum Pontificem ejusmodi auctoritatem vel simplici Sacerdoti conciliare, fatetur Abbas *in dicto cap. Aqua*; quodque rem plane conficit, eamdem auctoritatem plusies contulisse, testatur Innocentius *ad præfatum Caput, Aqua*, ita scribens: *audivimus enim, quod Papa pluribus Episcopis indulsit, quod per simplices Sacerdotes possent reconciliare Ecclesias, aqua tamen per Episcopum benedicta*. Nec desunt e Regularium numero, qui de hujusmodi privilegio sibi plaudant, adhibita tamen aqua ab Episcopo benedicta, ut scite animadvertit P. Bremond Ordinis Prædicatorum Generalis Magister *tom. 8. Bullarii Ordinis Prædicator. tit. 2. quæst. 4.* Eadem Basilicæ Vaticanæ Canonicis, omnium Priori, ex Constitutione Innocentii VI. quæ in nupero Bullario Vaticani *tom. 1. pag. 361.* late exscribitur; nec non Altaristæ, ex privilegio Urbani V. cujus autographum in Archivo ejusdem Basilicæ servatur, tribuitur facultas, ut Basilicam ipsam, ejusque Cappellas, ac Cœmeteria polluta, aquæ ab Episcopo benedictæ usu, valeant reconciliare. Hæc tamen in iis dumtaxat Ecclesiis, quas consecratio distinguit, locum habent; secus pollutas Ecclesias, quas sola benedictio, non etiam consecratio sanctificavit, reconciliare, cuique Sacerdotum conceditur, adhibita lustrali aqua, citra ullam delegationis necessitatem: *si Ecclesia non consecrata*, (inquit Gregorius IX. *cap. Si Ecclesia, de Consecratione Ecclesiæ*) *cujuscumque seminis fuerit, aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne Divinæ Laudis organa suspendantur*.

Si vero polluta Ecclesia benedicta tantum fuerit, citra ullum privileg. potest a Presbyt. reconciliari.

Facultas Altaria consecr. ex Indulto Pii IV. Abbatib. Cassinens. concessa.

§. 12. Sicuti Ecclesiæ pollutæ reconciliatio, ita & solemnis consecratio a Summo Pontifice vel simplici Sacerdoti jure demandatur: etsi nec ad expiandam pollutam, neque ad consecrandam novam Ecclesiam, fas sit Episcopis simplicis Sacerdotis ministerio uti. Ita censent Azorius *Institut. Moral. tom. 1. lib. 10. cap. 27. quæst. 4.*, & Anacletus *ad lib. 3. Decretal. tit. 40. §. 2. num. 32. & 33.* Dictis facta respondent; cum multa suppetant exempla Romanorum Pontificum, qui Abbatibus Regularibus auctoritatem consecrandi Altaria in eorum Ecclesiis erecta, concesserunt. Quod ad Cassinenses Abbates pertinet, luculentissimum privilegium suppeditant Constitutiones Prædecessoris Nostri Pii IV. consulendæ *in tom. 1. Bullar. Ordinis Benedictini sub num.* 175. & 176.

Mira consecratio Sacelli in Monast. Einsid. si vera, in exempl. proferri nequit.

§. 13. Ab aliis abstinemus exemplis, cum illorum meminerit notissimus Auctor Clericatus *decis. 53. de Sacrificio Missæ num. 18. & seq. & n. 26.* Pari silentio missa facimus, quæ de celeberrimo Einsildensi Monasterio narrantur in Opere, cujus titulus: *Idea Congregationis Helveto Benedictinæ*, quod Opus Typis Monasterii S. Galli anno 1702. editum hæc habet *pag. 58.: Ad annum 948. a S. Eberhardo Conradus Constantiensis Episcopus Sacellum consecraturus invitabatur. At prævenit illum in benedictionibus summus a Cœlo Sacerdos, illudque Divina manu sacravit, humana, nisi oleum & operam perdere malles, a Consecratione cessare jussa*. Quidquid enim sit de veritate historiæ, nihil inde, quod Nostram juvet causam, licet colligere.

Diplom. quidem Pauli III. & Pii IV. Einsid. Monast. Abbatib. tribuunt Ecclesias consecr.

§. 14. Illud vero ratum, indubiumque est, Paulum III. Prædec. Nostrum Abbati Ludovico, ejusque in Einsildensi Abbatia Successoribus copiam fecisse, ut, quandiu hæreses obtinerent, Ecclesias, Oratoria, ac Cœmeteria dedicarent. Pontificium Diploma ann. 1542. die 10. Decembris evulgatum est, quod rursum Pius IV. Noster item Prædecessor, suis Litteris Apostolicis ann. 1562. nova sanctione roboravit, servato eodem verborum tenore, qui sic habet: *Quod ipse Ludovicus, & pro tempore existens Abbas Monasterii hujusmodi, durantibus dictis hæresibus, præfatum Monasterium, & quæcumque ad illud pertinentia, Ecclesias, Oratoria, Cœmeteria, & loca hactenus consecrata & benedicta, quovis modo pro tempore polluta, reconciliare, & nondum consecrata, & benedicta, nec non Calices, Patenas, Libros, vestimenta, & alia mobilia, ac etiam Tabernacula custodiæ Eucharistiæ, consecrare & benedicere*.

Eadem diplomata Nuncii Apost. sententia probata.

§. 15. Neque ejusmodi privilegia ignota delituere; quo enim tempore Rhodiorum Archiepiscopus Nuncii Apostolici munere in partibus Helveticorum fungebatur, Diplomatum Autographis in judicium delatis, atque iis probe discussis, præfatus Archiepiscopus, Partibus hinc inde contradicentibus, hanc contra Ministros Curiæ Episcopalis Constantiæ sententiam tulit: *visis documentis exhibitis, ex quibus constat manifeste, Reverendissimos Abbates Einsildenses pro tempore, a biscentum circiter annis, usque ad moderna tempora, quamplurimos, & varios actus solemnes ac publicos Consecrationis hujusmodi, gessisse, & exercuisse &c. dicimus, decernimus, & definitive pronunciamus, Reverendissimum Abbatem prædictum manutenendum, conservandum, ac defendendum fore & esse in quieta, & in pacifica possessione Juris consecrandi Ecclesias, & Cappellas suo Monasterio subjectas, & incorporatas, prout Nos ipsi manutenemus, conservamus, atque defendimus*. Quæ quidem sententia viget adhuc. Quod si forte eveniat, ut ea in Judicii prosecutione aliquando revocetur, non jam ob defectum Apostolicorum Diplomatum, quæ Abbatibus concessa fuere, id eveniet, sed potius privilegiorum abusus, qui præfinitos limites excessit, damnabitur.

Aliud argument. ex Abbat. Corbejensis monumentis petitum.

§. 16. Præterea extat Elenchus, quem Nos ipsi perlegimus, in quo Ecclesiæ, quas Corbejensis Abbas dicavit, enumerantur, nec numerantur dumtaxat, sed insuper momenta adduntur, ac probationes compulsatæ in actibus Tribunalis Romanæ Rotæ, occasione litis, quæ inter Paderbonæ Episcopum, & memoratum Abbatem exarsit; quam deinde secuta est decisio Rotalis coram Millino, nunc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, die 5. Februarii 1745. Porro Corbejenses Abbates, Apostolicis privilegiis destituti, ad ejusmodi consecrationes perficiendas manum profecto non admovissent; ex quo indubia redditur sententia, quæ docet, Romanum Pontificem posse Sacerdotibus, iis potissimum, qui in Abbates evaserunt, auctoritatem ad Ecclesias consecrandas conferre; quodque caput est, ejusmodi auctoritatem a Nostris Prædecessoribus reipsa in usum fuisse revocatam.

Hujus Epist. conscribendæ causa & occasio.

§. 17. Quo tandem spectent, quæ hoc usque narravimus, atque in hac Epistola, quam tibi damus, collegimus, a Nobis si quæras, ingenuos animi Nostri sensus aperire non dedignabimur. Ad Nostras pervenit manus Libellus hoc eodem anno Campidonæ editus, cujus titulus: *Triplex Triumphus Campidon.* quod nempe circa consecrationem Abbatialis Ecclesiæ ex Apostolico privilegio a te peractam, totus occupetur. In hoc Libello auctoritas a Nobis tibi collata usque adeo extollitur, ut *inaudita* dicatur; ejusmodi privilegii nullum in Monachorum chartis extare vestigium toto asseritur; tandemque concessio tibi facta facilius nimirum indulgentiæ portentum nominatur, quod Germaniam universam in sui traxit admirationem. Equidem putamus, hæc, atque his similia, magnificis verbis ideo jactari, ut beneficii magnitudo extollatur, atque ut majores Benefactori grates referantur. Haud temere tamen suspicari licet, posse nonnullos, ex iis, quæ liberius scribuntur, in eam adduci opinionem, ut credant, Nos hac in re aliquid, quod Prædecessores Nostri intactum reliquere, tibi exequendum demandasse. Ex vero a graviori censura immune sit opus, quod Romanus Pontifex ex indita sibi auctoritate, quam in præsenti casu nemo inficiatur, in actum revocat; nihilominus ad quascumque ambages tollendas, illud tibi significandum duximus, morem hunc designandi Abbates, qui Ecclesias Chrismate per Episcopum benedicto consecrent, nec novum esse, nec a Nobis primo fuisse introductum.

Privileg. Abbati Campid. concessum, nec novum nec sine causa.

§. 18. Equidem Tamburinus hac in re versatissimus, in Opere & loco a Nobis supra memorato, ait, se nescire, fuerit ne unquam Abbatibus collata potestas, qua Ecclesias initiarent. Si hac verborum servata mensura Libellus loqueretur, jam nullus Nostræ huic Epistolæ fuisset locus; verum, cum in exaggerationem effusus, modum excesserit, oportuit, ut de iis, quæ & Nostrum Diploma vindicant, & præposteram, quam ex Libello quis haurire posset, interpretationem evertunt, hic una colligeremus. Quocirca, ut rem hanc paucis conficiamus, fatemur, te ad consecrandam Abbatialem Ecclesiam a Nobis electum, magno utique, & eximio privilegio fuisse decoratum. Ejusmodi tamen privilegii alia succurrunt exempla, quæ

modi

a Nostris Prædecessoribus ad Nos promanarunt. Multa item ac gravia Nobis præsto fuerunt argumenta, ut petitam delegationem tibi concederemus. Horum nonnulla in Litteris Nostris Apostolicis die 12. Martii præsentis anni editis indicavimus; alia, multo item in pretio habenda, præterire maluimus; cum nulla Nos adigat ratio, ut imos animi Nostri recessus sive tibi, sive aliis manifestemus.

Altera Abbatis Campid. petitio, ut una solus, aut una cum Ep. aliam Ecclesiam consecraret, rejicitur.

§. 20. Consecratione peracta, ac Libello, cujus supra meminimus, evulgato, cum jam nulla tibi ad aliam consecrationem peragendam facultas superesset, quandoquidem pro una dumtaxat vice, privilegium concessimus, esso, in cæteris Prædecessorum Nostrorum Diplomatibus favore Abbatum, ejusmodi limitatio nullibi occurrat, iterum oblatis tuo nomine precibus postulasti, ut Ecclesiam Ordinis S. Francisci intra jurisdictionis tuæ limites erectam, aut solus, aut una cum Episcopo consecrares. Verum postulata rejecimus; nec Nobis grave erit in postrema harum Litterarum parte rationem, ac causas attexere, ob quas privilegium duximus denegandum.

Assertum ratio, cur privileg. alterius consecr. Ecclesiæ denegatur.

§. 21. Et primo, quod ad Ecclesiæ Ordinis S. Francisci consecrationem attinet, jam, us putamus, eam, quæ Nobis difficultatem ingerit, rationem facile assequeris. Quod si ea adhuc tibi impervia sit, Nos ultro dabimus. Solida nimirum Nos urget suspicio, ne grati animi impetu abreptus, eadem repetas, & majori fortasse verborum vi, ac amplitudine ingemines, quæ in Libello de triplici Triumpho nuper conscripta sunt. Quod vero alteram postulati partem attingit, de consecrationis ritu ab Episcopo ac Abbate insimul peragendo, id Ecclesiæ moribus, ac disciplinæ nullatenus Nobis consonare videtur. Porro si de Sacerdotum degradatione casus incidat, possunt sane, ex præscripto Synodi Tridentinæ *Sess. 13. cap. 4. de Reform.*

Ratio, quare, cur consecratio ab Episc. ac Abbat. insimul non sit peragenda.

Episcopi atque Abbates ad id exequendum una convenire. Si privilegia, quæ summi Pontifices electis Episcopis nonnunquam concessere, inspiciamus, haud inficiamur, Episcoporum consecrationem, quæ a tribus Episcopis perficienda esset, ab eorum uno, ac duobus sive Abbatibus, sive aliis in Ecclesiastica dignitate constitutis, impleri posse; cum aliquando difficile admodum sit, tres Episcopos una convenire; nec invalida, sed solum illicita sit Episcopi consecratio, quam unus peragit Episcopus citra Apostolicam dispensationem, ut ex communiori opinione docent Cabassutius *in Notit. Ecclesiast. sæculi IV. ad Canon. 4. Nicænum*, Christianus Lupus *ad Concilia Generalia & Provincialia to. 1. pag. 29. & pag. 33.* Juvenin *de Sacramentis dissert. 9. de Ordinibus in specie quæst. 1. de Episcopatu cap. 4.* Cardinalis Gotti *de Eucharistia tom. 15. de Episcopatu dub. 4. §. 1. & 2.*

Episcop. & Abbat. Ecclesias simul consecrasse, nullo probatur exemplo.

§. 22. At vero nullum suppetit exemplum, quod in Ecclesiarum consecrationibus, Episcopum atque Abbatem una componant. Desunt Pontificum Privilegia; Episcoporum dispensationes frustra quæruntur, cum nequeunt Episcopi Abbates in consecrationum Comministros designare. Nec mirum subeat, si nulla occurrunt exempla, quæ hac in re Abbates Episcopis addant consocios, cum possint Episcopi, secluso alterius ministerio, consecrationis munus obire. Neque Abbatum ministra manus Episcopo, qui Ecclesiam consecrat, pondus addit, aut numerum, ut in Sacerdotum degradatione, aut Electi consecratione revera superaddit. Mirari quoque non debes, si asseramus, Episcopis jus nullum esse, ut in Ecclesiis dicandis, Abbates in Comministros assumant; quandoquidem Abbates & simplices Sacerdotes pari in numero habendi. Nequis Sacerdos in Comministrum eligi ab Episcopo; nec Abbas igitur poterit in Comministrum designari. Hæc sunt, quæ, rerum circumstantiis ita suadentibus, tibi duximus significanda. Interim vero tibi, tuisque Confratribus Apostolicam Benedictionem impartimur.

Dat. 16. Novembris 1748. Pontif. An. IX.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 16. Novemb. 1748. Pontificatus Nostri Anno Nono.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Epistola secunda, ad R. P. Engelbertum Abbatem Monasterii Campidonensis, de Consecratione Ecclesiæ S. Apollinaris Romæ a Sanctitate Sua peracta.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quomodo dedicatio Ecclesiæ S. Apollinaris peracta fuerit, enarratur.

PEracta a Nobis est Consecratio Ecclesiæ S. Apollinaris, electo in Comministrum Cardinale Gentili Episcopo Prænestino, & universo Cardinalium adstante Collegio. Sacris Ritibus, qui cum intra, tum extra Ecclesiam præscribuntur, initium Nos ipsi dedimus, iisdemque supremam manum imposuimus; quæ vero ab initio ad exitum intercurrunt opera, Cardinalis Comminister implevit. Ara major Nostro sumptu erecta, Nostris item manibus dicata est; nec alius, præter Nos, Græcas, Latinasque Alphabeti Litteras super cineres exaravit. Interim vero Cardinalis Consocius, & Coadjutor, Pontificalibus indumentis ornatus, Faldistorio insidens, expleto consecrationis rito, Missam ad Altare a Nobis pridem dicatum, de more celebravit; fas enim Episcopo consecranti, Romano Pontificali id permittente Missam alteri Sacerdoti celebrandam committere, ni pares ad id agendum suppetant vires; ut Nobis plane contigit, qui idcirco in privata Apostolici Palatii Nostri Cappella sacrum pridem obivimus. Quo item tempore solemnem Altaris Consecrationem peregimus, Dilectus Filius Noster Carolus Albertus Cavalchini primo Episcopus, mox S. R. E. Cardinalis, in Ecclesia Beatæ Virgini dicata, ac S. Apollinaris Templo ita contermina, ut unum veluti Corpus cum illo constituat, Nostro jussu Altare Sacro Ritu initiavit.

Ratio adhibitæ in dedicatione Comministri exponitur.

§. 2. Cumque ad Nostram devenerit notitiam, prædictam methodum adhibitam, a nonnullis fuisse reprobatam; eo sub obtentu, quod integra Ecclesiæ Consecratio aut a Nobis fieri, aut integra alteri demandari debebat, non inopportunum esse arbitrati sumus, tibi, Dilecte Fili, in hac secunda epistola aperire consilii Nostri rationes, ob quas Ecclesiæ Sancti Apollinaris Consecrationem peregimus modo supra exposito; tibi enim hac ipsa die aliam scripsimus epistolam de Ecclesiarum Consecratione tractantem.

Dedicationum ritus in Ecclesia perantiquus, ac mysteriis refertus.

§. 3. Cardinalis Bona *Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 20. num. 3.* affirmat, Sacrum Ecclesias dicandi Ritum e veteri in novum Testamentum, atque ab Apostolis in eorum Successores fuisse translatum. Non eadem tamen Ecclesiæ disciplina in Consecrationibus peragendis ubique semper obtinuit. Eusebius, qui veterem dedicationum Ritum exhibet, neque Benedictiones aquæ lustralis usu, neque Cruces Sacro inungendas Chrismate, unquam commemorat: ex quo Dallæus *in Tract. adversus traditiones Latinorum lib. 3. cap. 55.* perperam infert, sacros hosce Ritus tunc temporis nondum obtinuisse: Imo vero Dallæo adhuc deterior Josua Arndius *in Lexico Ecclesiasticarum antiquitatum pag. 1085.* non veretur asserere, veteres Ecclesiarum consecrationes solis precibus, concionibus, atque hymnis fuisse institutas; quam sententiam sibi adoptavit Gotofredus Wictus *de altaribus cap. 18. num. 55.* Hæc tamen, quæ ab Hæreticis insano ore jactantur, inania sunt, nec ulli subnixa fundamento. Si enim, ut scite ratiocinatur Sinesius *in Epistola 67. pag. 212. juxta edition. Parisien. anno 1633.* sola precum prolatio par est ad Ecclesias dicandas, jam locus nullus, non Oppidum, non Castrum occurret, cui dedicationis prærogativa non conveniat; quandoquidem vix, ac ne vix quidem ullus poterit inveniri locus in quo aliquæ preces, hymni, laudes ad Deum effusæ aliquando non fuerint. Quod igitur hac in re inoffenso pede affirmari potest, illud est, Ecclesiarum consecrationes Sacrum Opus esse, quod solemni Ritu, precibus, aliisque ab Ecclesiis præscriptis actionibus, Episcoporum ministerio perficitur; quamvis lateat adhuc, quo primum tempore multiplices illi dedicationum Ritus incœperint. Vetustos tamen esse fateri oportet, ac refertos mysteriis, quæ a sacris Nostris Scriptoribus elucidantur; quos inter primo loco eminet undecimo Ecclesiæ sæculo Ivo Carnotensis *in Sermone 4. de Sacramentis Dedicationis*, ubi de Crucibus, quæ Sacro inunguntur Chrismate, sermonem habens, ita loquitur: *De consecrato Altari chrismantur in parietibus illæ duodecim Cruces, quæ Typum gerunt Apostolicum,*

qui

qui & primitias spiritus acceperunt, ut Crucis mysterium populis & gentibus manifestare studuerunt. De Crucibus item, ac de candelis, quæ coram iisdem Crucibus in Ecclesiæ consecratione accenduntur, disseruit Gretserus *de Cruce l. 2. c. 7. §. Sacra hæc dedicationis &c.*

Consecrationem Ecclesiæ vel ab uno Episcopo, vel a pluribus insimul perfici posse, scriptorum auctoritate comprobatur.

§. 4. Ecclesiarum consecratio duobus modis peragitur: vel etenim ab uno consecratur Episcopo, quod ut plurimum contingit, uti etiam adnotavit Vanespen *Juris Ecclesiastici p. 2. tit. 16. num. 10.*, vel a pluribus insimul Episcopis. Granerius *in Notis ad lib. Diurn. Romanorum Pontificum tit. 5. c. 16.* ea Textus verba expendens, *petitque, ut eadem Ecclesia solemniter debeat consecrari*, animadvertit, geminum consecrationis Ritum obtinuisse, alterum quidem communem, quem unus operabatur Episcopus; solemnem alterum, ad quem viciniores Episcopi conveniebant: *Observa*, inquit Garnerius, *geminum consecrationis modum, communem unum, de quo superiores formulæ, alterum solemnem, quem vicini Episcopi convocantur. Talis fuit dedicatio Basilicæ, quæ Synodo secundæ Arausicanæ causam dedit.* Consulendus in rem hanc Beluttus *de Ritibus Ecclesiæ Laudunensis pag. 859. n. 5. & seqq.* Neque profecto credendum est, Ecclesiam ab uno Episcopo fuisse consecratam, cæteris tantum assistentibus; cum certum sit, omnes fuisse Comministros, & omnes sociam manum adhibuisse. Audiendus P. Martene *de antiquis Ecclesiæ Ritibus tom. 2. postremæ editionis Antuerpiensis lib. 2. cap. 13. num. 5.* ita scribens: *Cæterum non solum ut spectatores, & testes, quod forte existimabit aliquis, sed ut Coadjutores, & Ministri, ad ejusmodi Ecclesiarum Dedicationes convocabantur Episcopi, in quibus suas quique partes adimplebant.* Idem repetit Sacerdos Joseph Catalani *in suis ad Romanum Pontificalem Operosis Notis tom. 2. tit. 2. num. 9.*

Idem exemplis quoque confirmatur.

Ut hanc, quam tractamus, materiam magis adhuc illustret, eruditus Martene nonnulla producit exempla cuique consulenda; quibus Nos duo superaddimus, unum ex Venantio Honorio, cui etiam Fortunati nomen tribuitur, excerptum *in lib. 3. ad Felicem Episcopum de dedicatione suæ Ecclesiæ*, ubi Euphronium, Victorium, Donnulum, Domitianum, & Macarium consecrationis Comministros expresse nominat, quos omnes Episcopos revera fuisse probat Broveus *in Notis ad Venantii Honorii Opus lib. 3. cap. 4.* Alterum vero longe illustrius exemplum consecrationis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Valle, quæ contigit anno 1068. suppeditat d'Acherius *t. 6. veter. edition. pag. 424.* ubi sic legimus: *Domnus Willhelmus Carpentoratensis Episcopus, sive Domnus Willhelmus Tolonensis Episcopus, moniti vice Domni Rostagni Aquensis Metropolitani Episcopi, anno Incarnati Verbi 1068. indict. 6. sub die 6. Idus Januarii hanc dedicaverunt Ecclesiam.*

Assumitur ex eorumdem Romanorum Pontificum gestis, & primum Leonis IX.

§. 5. Concordant ipsorum Romanorum Pontificum gesta. In actis Concilii Rhemensis sub Leone IX. legitur, ab eo fuisse peractam consecrationem Basilicæ S. Rhemigii hoc, qui sequitur, modo: *Dominus Papa, convocatis Episcopis . . . . . Rhemensem Archiepiscopum cum Lisojensi Episcopo ternam circuitionem cum Crucibus & Sanctorum Reliquiis, secundum Ecclesiasticum Ordinem, exterius constituit agere, ibique consecrationis officium adimplere, ipse vero cum sibi necessariis remanens, interius Divini Tabernaculi sanctificationem strenue diligenterque exequitur.*

Gelasii II.

§. 6. Gelasius II. consecravit Metropolitanam Ecclesiam Pisanam, &, uti legitur in Codice apud Ughellium *in Italia Sacra tom. 3. pag. 377.*, *consecrationi adjutores & consecratores interfuerunt quamplurimi Episcopi.*

Calixti II.

§. 7. A Calixto II. facta fuit Ecclesiæ consecratio, de qua *tom. 4. Galliæ Christianæ pag. 794. editionis anni 1656.*, & Pontifex consecravit *Altare Dominicum*, idest *Majus*, aliique tres Episcopi Ecclesiæ consecrationem perfecerunt: *Tunc Pontificis ipsius jussu Ecclesiam dedicarunt.*

Urbani VIII. in dedicatione Basilicæ Vaticanæ.

§. 8. Alia plura cumulari possunt exempla: sed iis omissis, sufficere posse videtur illud Summi Pontificis Urbani VIII. qui die 18. Novembris 1626. Basilicam Vaticanam consecravit. De hoc solemni Ritu loquuntur Bonanni *tom. 2. Numismatum Romanorum Pontificum pag. 574.* Paulus Alaleon Cæremoniarum Magister *in Diario*, ac Liber Turnarius Capituli S. Petri, qui in Archivo Basilicæ diligenter servatur. Omnium tamen accuratissimam historiam exhibet Diarium Vaticanum a Sacerdote Francisco Speroni Romano ejusdem Basilicæ Mansionario, concinnatum, quod inter manuscripta celebris Bibliothecæ, quam Cardinalis Renatus Imperialis in publicam Eruditorum utilitatem instituit, numeratur. Ita vero in hujusce Diarii *pag. 353.* rei series attexitur. Summus Pontifex Porticus Ecclesiæ benedictionem exorsus, sex Cardinalibus Episcopali charactere insignitis, nimirum Ginnasio, Peretto, Madrutzio, Sabellio, Lanti, ac Leni demandavit, ut extimos Templi parietes circumirent, ac illis benedicerent; quod in ea, quæ cuique obtigerat, Molis parte peractum est. Pari methodo, ut legimus *pag. 355.* interioribus Ecclesiæ muris collata benedictio; unam siquidem Templi partem ipsemet Pontifex dicandam suscepit; aliam vero sex iisdem Cardinalibus perficiendam reliquit. Ab Altaris consecratione Urbanus abstinuit; jam enim, ut in Alaleonis Diario, & Basilicæ Vaticanæ Turnario adnotatur, Clemens VIII. Urbani Præcessor Aram maximam Vaticani Templi consecraverat.

Moralium Theologorum consensus accedit.

§. 9. Quodque notatu dignum est, apud Scriptores Moralis Theologiæ adeo certa est Ecclesiarum dedicatio plurium Episcoporum ministerio obeunda, ut nullam de ea instituant disputationem; sed ea supposita & admissa, ad alias quæstiones progrediantur. Quærunt hi apud Henriquez *de Indulgentiis cap. 32. §. 1.*, an Episcopi, qui ad unum idemque dedicationis opus perficiendum conveniunt, Indulgentiam dispensare possint majorem, & potiorem ea, quam unus Episcopus consecrationis Minister conferre solet, anni scilicet unius, iis, qui consecrationis die, aut dierum quadraginta, iis, qui anniversario dedicationis die recurrenta, Ecclesiam visitaverint, *ex cap. Cum ex eo, §. Ad hæc, de pœnitentiis & remissionibus, & cap. ad hæc, eod. tit. in sexto.* Porro hæc Theologorum disquisitio consecrationem Ecclesiarum plurium Episcoporum opere peragi posse, non tam affirmat, quam præsupponit: uti bene observat Pasqualig. *de Sacrificio novæ legis quæst. 514. num. 3.* ubi proposita quæstione, an possit Ecclesia consecrari a pluribus Episcopis, cetentaque affirmante opinione, hæc habet: *Secunda sententia asserit, posse consecrari a pluribus Episcopis simul concurrentibus ad consecrationem. Ita supponunt potius, quam disputent, plures Doctores, dum quærunt, an, quando plures Episcopi consecrant Ecclesiam, possint singuli concedere illum annum Indulgentiæ, quem potest concedere, quando unus tantum consecrat.*

Munus benedicendi, ungendique Cruces, inter plures Episcopos consecrantes dividi fas est.

§. 10. Non ab uno ergo tantum, sed a pluribus Episcopis ejusdem Ecclesiæ dedicatio fieri potest. Sed, cum adhuc examinandum supersit, an in hypothesi, in qua a pluribus Episcopis ejusdem Ecclesiæ fiat dedicatio, alter ex eis solus duodecim juxta morem Cruces benedicere & ungere debeat, vel hoc ministerium inter eosdem dividi possit, ita ut decem ex. gr. Cruces ab uno consecrari possint, & reliquæ duæ ab altero, quemadmodum a Nobis factum est in consecratione Ecclesiæ Sancti Apollinaris, in qua decem Cruces a Cardinali Episcopo Comministro, & reliquæ duæ a Nobis ipsis consecratæ sunt, alia subdimus exempla, quæ suadent, licite fieri posse quidquid a Nobis factum, & modo expositum est.

Urbani II. exemplum in id affertur.

§. 11. Urbanus Papa II. sæculo undecimo Ecclesiam Majorem consecravit Monasterii Turonensis. Sacri Ritus historiam describit Anonymus apud Patrem Mabillonium *tom. 5. suorum Annalium pag. 364. Editionis Parisiensis anno 1713.* Ea vero sic habet. Rodulphus Turonensis Archiepiscopus, Urbani jussu, Sanctorum Reliquias, quæ ad Ecclesiam translatæ fuerant, sub Altari collocavit. Ita textus Anonymi: *A Rodulpho Turonum Archiepiscopo, sub Dominico Altari, jubente Papa (Reliquiæ) fuerant collocatæ.* Eodem die Summus Pontifex una cum Rangerio Rhegiensi Archiepisc. Comministro, Græcum ac Latinum Alphabetum conscripsit, Cruces inunxit, ac postremo Aram dicavit. *Qua die idem (Pontifex)* ita prosequitur Anonymus, *cum Rangerio Archiepiscopo Rhegiensi duplex Alphabetum Græcum & Latinum in Basilica descripsit, & ipsius Basilicæ parietibus Crucis signum ex oleo imposuit, atque Altare Crucifixi sacravit.* Si ergo Pontifex una cum Archiepiscopo Alphabetum exaravit, si Cruces inunxit, oportet fateamur, aliquas Alphabeti Litteras, atque e Crucibus nonnullas ipsius Archiepiscopi manu fuisse obsignatas. Ita namque ipsa textus docet Littera; ita historica suadet narratio, quæ Sacros Ritus a Pontifice, atque Episcopo conjunctim peractos, ab iis segregat, quos Pontifex, nullo in Comministrum adhibito, solus perfecit. Hi vero sic ab Anonymo explicantur: *Denique Pontifex ipse Dominicum Altare, in quo ineffabile Corporis Christi Sacramentum cum multis Sanctorum Reliquiis collocatum est, ipsamque Basilicam consecravit in honorem Sanctæ Crucis, ac Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ.*

Alterum Urbani III.

§. 12. Urbanus Papa III. in districtu Veronensi

Ecclesiam dedicavit S. Juliani de Lepia, seu Lepida. Duo Altaria in ea dedicatione consecrata fuerunt: unum in Cappella subterranea Sanctæ Mariæ; aliud in Ecclesia superiore Sancti Juliani. Inter Pontificem, & alios duos Episcopos Comministros ministeria divisa sunt, & Episcopi Cruces benedixerunt & unxerunt: cumque id alio modo peragi non potuerit, nisi alter ex Episcopis aliquas Cruces, & alter alias benedixesit; si enim alter Crucem unxisset, & alius verba benedictionis protulisset, vel alter benedixisset & unxisset eamdem Crucem, quam alius benedixerat, & unxerat, res undequaque absona, & ritibus Ecclesiæ adversa fuisset; exemplum hoc satis aptum esse videtur rei, de qua nunc agitur, & ut ostendatur, non novum esse, ut in dedicatione Ecclesiæ, quæ fiat a pluribus Episcopis, ministerium etiam benedictionis & consecrationis Crucum inter eos modo prædicto dividatur.

Monumentum dedicationis Ecclesiæ S. Juliani ab Urbano III. perfecta.

§. 13. Ughellus tom. 5. *Italiæ Sacræ pag.* 808. Instrumentum exhibet dedicationis memoratæ Ecclesiæ Sancti Juliani. En ejus verba: *D. Janathas Concordiensis Episcopus, & D. Aldemarinus Xantanensis Episcopus . . . . . . intraverunt in suprascriptam Ecclesiam, & fecerunt aquam benedictam cum sale, cinere, & vino, & sanctificaverunt Altaria S. Mariæ Virginis, & S. Juliani Martyris cum aqua benedicta, & iverunt de intus per circuitum suprascriptæ Ecclesiæ tribus vicibus, & fecerunt fieri quadrivium in prædicta Ecclesia cum cinere, & scripserunt litteras in quadrivio de cinere, & unxerunt pedes prædictarum Altarium, & mensas cum oleo exorcizato, & Chrismate, & fecerunt duodecim Cruces deintus per circuitum istius Ecclesiæ:* Describitur deinde delatio SS. Reliquiarum in Ecclesiam, & postremo hæc adduntur: *Hoc facto, D. Papa consecravit, & confirmavit propriis manibus Altare Sanctæ Mariæ, quod est intus Truina, cum Chrismate, & collocavit de Reliquiis prædictis in Altari, & confirmavit mensas altarium cum oleo & Chrismate, & fecit ardere quinque grana incensi super illam mensam, & præcepit Episcopo Concordiensi, ut collocaret Reliquias S. Juliani cum aliis Reliquiis in Altare, quod est foris, & consecraret illud in honorem Sancti Juliani, qui statim fecit præceptum Domini Apostolici.* Hicque per

Truina nomen quid significet, explicatur.

transennam adnotare fas sit, *Truinæ* nomen, cujus du Cangius non meminit *in suo Glossario*, significare inferiorem Cappellam ad Sepulcra Sanctorum: in supra citato quippe Instrumento Altare S. Juliani, quod erat *Foris*, contraponitur Altari S. Mariæ *intus in Truina*. Interpretationem confirmat inscriptio ad sepulchrum SS. Benigni, & Chari in Agro Veronensi, quam exhibet Ughellius *tom. 5. pag.* 864. *B. anno Domini* 1314. *Indic.* 12. *de Mense Maji . . . . inceptum fuit opus hujus Truinæ, & eodem anno perfectum, & de mense Novembris Ven. Pater D. Fr. Theobaldus Dei gratia Episcop. Veronensis diligenter reposuit Reliquias, seu Corpora SS. Benigni, & Chari &c.* Derivatur forte a Trua, quæ, apud Varronem, subterraneum meatum, seu cuniculum significat ad exonerandas aquas; ex qua, *Truina* subterraneum specus, *Nascondiglio*. Hinc in Vita Sancti Cæsarii Arelatensis truere, pro *abscondi*, legitur *lib.* 1. *num.* 26. *At ille publica voce, elevatis oculis, & manibus in Cœlum, dixit: Domine Jesu Christe, ne in locum ultra Apri accessum habeant; & eadem hora usque in præsentem diem nunquam ibi truerunt:* idest *absconditi sunt*; quamquam Mabillonius interpretetur: *destruxerunt*: & ejus socii Maurini Patres, *inventi sunt*; a *Truir* antiquo Gallico *invenire*.

Morales Theologi pari fere ratione Ecclesiarum consecrationem, & Sacramentorum naturam explicant.

§. 14. Qui dedicationis materiem tractant Morales Theologi, pari fere methodo Ecclesiarum consecrationem, atque sacramentorum naturam explicant; esto non nisi in latiori quadam significatione Ecclesiarum dedicatio Sacramentis adnumeretur; quatenus scilicet aut Cælestis Templi, aut animæ, quam gratia sanctificat, signum est mysticum. Itaque docent, Sacrum Chrisma, quo Cruces inunguntur, consecrationis materiam esse; formam vero constituunt in hisce verbis, quæ in ipsa Chrismatis unctione proferuntur; *sanctificetur, & consecretur hoc Templum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; nec diffitentur, Ecclesiæ consecrationem ab Archiepiscopo una cum Suffraganeis perfici posse; modo unus, idemque sit Archiepiscopus, qui & Cruces inungit, & formam pronunciat. Consulendus Clericatus *de Sacrificio Missæ decision.* 41. *n.* 24. *& seqq.*

Plures Ministri Sacramentum Extremæ Unctionis valide conferunt.

§. 15. Nolumus hic sententiam modo propositam de materia, & forma dedicationis Ecclesiarum impugnare. Illud tantum addimus, fieri aliquando posse, ut vel in ipsa Sacramentorum administratione, si partes subjecti ab invicem sejunctæ sint, uni parti ab uno Ministro, alteri ab altero, materia ac forma seorsim applicetur, & validus & licitus sit actus. In Ecclesia Græca Extremæ Unctionis Sacramentum a pluribus Sacerdotibus administratur: de quo plura apud Arcudium *de concordia Ecclesiæ Occidentalis, atque Orientalis lib.* 5. *cap.* 6. & etiam hodie modus hic administrationis Sacramenti Extremæ Unctionis admittitur quoad Italo-Græcos, dummodo credant, illud Sacramentum; servata debita materia & forma, ab uno Presbytero valide & licite confici, ut in Nostra Constitutione *Etsi Pastoralis*, 57. §. 5. *n.* 3. *&* 4. *Bullarii Nostri tom.* 1. In Ecclesia quoque Occidentali hoc ipsum olim factum fuit, quemadmodum legi potest in Nostro Tractatu *de Synodo Diœcesana lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 5. & verisimile admodum est, rem tunc sic peractam fuisse, ut idem organum sensus non fuerit a pluribus Sacerdotibus inunctum, nec unus Sacerdos materiam sensui applicaverit, & alter super eo formam protulerit, sed quod singuli diversos sensus unxerint, & verba unctioni correspondentia effuderint. Legi possunt Chardon *in Historia de Sacramentis tom.* 4. *cap.* 1. *de Sacramento Extremæ Unctionis*, Cardinalis Gottus *in Theologia Scholastico-Dogmatica tom.* 4. *in* 3. *part. D. Thomæ, tom.* 15. *Operis quæst.* 3. *de Ministro Extremæ Unctionis dub.* 2. §. 2. *num.* 12. Benedictus de Gaetanis *in Tractatu de suprema Unctione cap.* 11. *in fine*. Favet modus hic administrationis Sacramenti Extremæ Unctionis, Ecclesiarum dedicationi, in qua alter ex Episcopis aliquas Cruces inungat, & insimul preces proferat, & alter alias Cruces inungat, easque inungendo, super ipsis effundat, proferatque preces; quemadmodum bene argumentatur Pasqualig. *de Sacrificio novæ Legis quæst.* 514. *n.* 6. Quod si subdatur, modo in Ecclesia Occidentali ab uno tantum Presbytero valide & licite administrari Sacramentum Extremæ Unctionis; id libenter admittetur, cum sic in Ritualibus Ecclesiæ statutum sit; dummodo tamen admittatur, quod, legitima concurrente causa, etsi Ritualia obsient, nedum valide, sed etiam licite hodie in Ecclesia Occidentali Sacramentum Extremæ Unctionis administretur a pluribus Sacerdotibus, quorum unus unum organum sensus inungat, proferatque formam, aliique idem præstent super aliis sensuum organis: quod satis est pro re, de qua nunc agitur. Si aliquæ partes jam fuerint unctæ ab uno Sacerdote, qui ob morbum deficiat, potest alter Sacerdos unctiones reliquas prosequi; in quo, licet dividatur ministerium, adhuc valide & licite conficitur Sacramentum. Ita expresse S. Thomas *in* 4. *Sentent. dist.* 23. *quæst.* 1. *art.* 1. *quæstiuncula* 2. *ad* 3. *Dicendum, quod, quamvis in Eucharistia, si post consecrationem Panis moriatur Sacerdos, alius Sacerdos possit ad consecrationem Vini incipere, ubi ille dimisit, vel etiam incipere a capite super aliam materiam; tamen in Extrema Unctione non potest a capite incipere, sed debet semper procedere, quia unctio bis in eadem parte facta tantum valet, ac si consecraretur bis eadem Hostia, quod nullo modo faciendum est:* Ita etiam Durandus ibi *quæst.* 1. Petrus de Palude *quæst.* 2. *in fine*, Sotus *quæst.* 1. *art.* 1. §. *Aliud tamen*, Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disput.* 43. *sect.* 2. *num.* 4. *&* 5. asserens, esse communem sententiam; Toletus *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 3. Ludovicus Meratius *tom.* 3. *de Sacramentis disput.* 10. *de Extrema Unctione sect.* 1. *num.* 4. atque ita fieri statuisse Ecclesiam, scribit Platelius *cap.* 3. *num.* 471. *tom.* 7. ubi forte nomine statuti Ecclesiæ, intelligit generalem consuetudinem. Posse etiam modo dicto dividi unctiones inter duos Sacerdotes ob instans periculum vitæ infirmi, ut sic citius ungatur, non pauci Theologi admittunt, Toletus, Meratius, Suarez *num.* 8. alios citans; in quo casu, Sacramentum esse validum pro certo affirmat: *Quia*, ait, *unitas personæ ministrantis non est essentialis*; negat vero extra necessitatem licite fieri, quia contra usum Ecclesiæ. Concordat Cardinalis de Laurea *in* 4. *sent. t.* 3. *disp.* 11. *art.* 9. *n.* 114., cui Nos etiam adhæsimus in citato Tractatu *de Synodo Diœces. l.* 7. *c.* 19. *n.* 5.

Resolutio, quæ in Causa Ulysip. a Congregatione Rituum edita est, non obstare, demonstratur.

§. 16. At repones fuisse olim a Congregatione Rituum resolutum, Consecrationem Ecclesiæ ab uno Episcopo inchoatam, si ex aliqua causa non perficiatur ex improviso casu, debere ab alio Episcopo denuo inchoari & perfici. Resolutio edita est in causa *Ulysipponensi* die 12. Aprilis 1614. ex qua intulit Episcopus Pax Jordanus *tom.* 1. *Lucubrat. lib.* 5. *tit.* 9. *n.* 7. unum & solum Episcopum debere totam consecrationem perficere. Resolutio, de qua mox sermo habitus est, refertur a Barbosa *in Collect. decis. Apostolic. verb. consecratio*. At idem Barbosa alibi, *part.* videlicet

licet 2. *Juris Ecclesiastici lib. 2. cap. 2. num. 52.* factum narrat, cujus occasione declaratio emanavit. En ejus verba: *Cum in Diœcesi Ulysipponensi quidam Suffraganeus Archiepiscopi, de ejus ordine & mandato, Ecclesiam quamdam consecrare incœperit cum omnibus Caremoniis descriptis in Pontificali Romano, & circa medium consecrationis improvisa accidentis correptus ipse Episcopus defecerit, & Ecclesia Consecrationem perficere non potuerit: pro parte ipsius Archiepiscopi a S. Rituum Congregatione quæsitum fuit, an ab alio Archiepiscopo Ecclesiæ prædictæ incœpta Consecratio continuanda sit, vel potius de novo inchoanda? Quæ quidem S. Congregatio commisit prius hujusmodi articuli examinationem Illustrissimo D. Cardinali Bellarmino: qui in alia Congregatione sententiam suam declaravit, posse utroque modo sine scrupulo fieri, nempe, vel de novo inchoare a principio, vel ipsam cœptam continuare, & perficere: sed melius sibi videri, ut de novo ab alio Episcopo inchoaretur &c.* Et prosequitur narrando, quod sub die 12. Aprilis proposito dubio in Congregatione ordinaria, S. Congregatio censuit, iterum totam Ecclesiam a principio consecrandam, quia credebatur Episcopus defecisse, antequam ullam Crucem inungeret.

§. 17. Censuit ergo Cardinalis Bellarminus, Consecrationis partem ab Episcopo deficiente factam, posse sine scrupulo continuari cum ea, quam secundus prosequeretur Episcopus. Addidit deinde, fore melius, si Consecratio de novo ab alio Episcopo inchoaretur, prout etiam Congregatio censuit: non quia timuerint, multiplicitatem Ministri obfuturam valori Consecrationis, sed quia in casu proposito notabilissima intercedebat temporis interruptio; erat enim expectanda Congregationis responsio, quæ nonnisi post aliquot menses ad Archiepiscopum Ulysipponensem poterat pervenire. Concurrente autem notabili temporis intercapedine, partes Consecr. factæ nedum a duobus Ep. sed etiam ab uno & eodem, coalescere non possunt in unam & integram Consecrat. idque facit, ut Consecratio fieri debeat perinde ac si nunquam cœpta fuisset; uti docent auctores ipsi, qui admittunt, plures Ministros, concurrente legitima causa, posse inungere infirmum Oleo infirmorum: quemadmodum videri potest apud Ludovicum Meratium *tom. 3. de Sacramentis, disput. 10. de Extrema Unctione num. 8.* nec non concordant alii, qui admittunt, dedicationem Ecclesiarum fieri posse a pluribus Episcopis, quemadmodum legi potest apud Pasqualigum *de Sacrificio novæ Legis quæst. 514. num. 9.*

Cœpta pridem consecrationis partes non possunt cum recentis, & longo interiecto temporis intervallo, in unam & integram consecrationem coalescere.

§. 18. Quod si quæratur, qua de causa, Nobis annuentibus, decem priores Cruces fuerunt in Consecratione Ecclesiæ Sancti Apollinaris benedictæ & consecratæ a Cardinale Episcopo Comministro, & ultimæ duæ a Nobis; ingenue respondebimus, de nostrorum genuum stabilitate timuisse in toties repetito ascensu & descensu per scalas, etsi tali nunquam timore fuerimus correpti, dum in viridi ætate constituti Ecclesias in Diœcesi & Civitate Bononiensi consecravimus, quæ semper soli peregimus. Sed quæ in una ætate fiunt, in alia fieri non possunt. En tibi, Dilecte fili, tota rei series, post quam tibi tuisque Confratribus Apostolicam Benedictionem impertimur.

Quid in causa fuerit, cur Pontifex in dedicatio. Templi S. Apollinaris, non omnes solus Cruces benedixerit & consecraverit?

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 16. Novembris 1748. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Dat. 16. Novemb. 1748. Pont. anno IX.

DECRETUM

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

IN CAUSA

POLONA, SEU LUCEORIEN.

Beatificationis, seu declarationis Martyrii Ven. Servi Dei ANDREÆ BOBOL Sacerdotis Professi Societatis Jesu.

Dubium primum in Congregatione Rituum propositum.

PRoposita in Congregatione Generali Sacrorum Rituum, coram Nobis habita die 13. Maii 1749. Causa Beatificationis, seu Declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Andreæ Bobola Sacerdotis Professi Societ. Jesu, disputatoque dubio sequentibus verbis concepto = *An constet de Martyrio, & causa Martyrii, nec non de Signis, seu Miraculis, in casu, & ad effectum &c.* = sequens a Nobis editum fuit responsum die 22. ejusdem mensis, & anni: *Non constare* videlicet de *Martyrio, & causa Martyrii, per probationes directas, per Testes videlicet de visu contestes idoneos, & aptos, juxta Congregationis praxim, & Sedis Apostolicæ institutum;* Sed insimul Postulatoribus concessum est, ut in alia Generali Congregatione dubium supradictum iterum proponere possent, & Causam, in eo quod attinet ad Martyrium, & causam Martyrii, prosequi per viam subsidiariæ probationis in suo genere perfectæ: & in eodem supradicto responso nonnulla alia addita fuerunt, quæ fuerant a Postulatoribus omissa, & quæ demandatum fuit, ut ab iisdem supplerentur.

Ejusdem responsio.

§. 2. Ad prædicti responsi tramites, derelicta a Postulatoribus via directa probationis, aliaque inita subsidiariæ probationis super Martyrio, & causa Martyrii; cæterisque adamussim adimpletis, quæ adimplenda in supradicto responso præscripseramus; cum in alia Congregatione Generali Sacrorum Rituum coram Nobis habita die 26. Novembris 1754. ab ipsis fuerit iterum proposita Causa Beatificationis, seu Declarationis Martyrii Ven. Servi Dei Andreæ Bobola Sacerdotis Professi Soc. Jesu, & iterato fuerit disputatum dubium = *An constet de Martyrio, & causa Martyrii, nec non de Signis, & Miraculis in casu, &c.* = etsi ante accessum ad Congregationem tum Scripturæ Postulatorum, tum Animadversiones Fidei Promotoris, tum etiam Consultorum omnium suffragia, Nobis justa morem scripto exhibita, a Nobis diligenter perlecta fuissent, & singula rationum momenta a Procuratoribus, & Advocatis viva quoque voce coram Nobis exposita propriis auribus excepissemus, & Congregationi deinde dicta die interessentes, omnia & singula, quæ a Venerabilibus Fratribus Nostris Cardinalibus prædictæ Congregationi addictis deducta sunt, audivissemus; a Nostra tamen promenda sententia tunc abstinuimus, & interessentes rogavimus, ut suis precibus a Patre luminum humiliter peterent, ut Nobis præsto esse, mentemque Nostram illustrare dignaretur, antequam super proposito dubio responsum a Nobis ederetur.

Iteratum ejusdem dubii examen ex præscripta methodo comprobandi martyrium & causam Martyrii per viam subsidiariæ probationis.

§. 3. Post hæc, aliorum precibus Nostras quoque conjunximus, resumptoque negotio, & omnibus iterum mature perpensis, habitaque potissimum ratione tercentum fere Testium in Processibus tum Ordinariis, tum Apostolicis juridice examinatorum, qui de Martyrio, causaque Martyrii, & perseverantia finali, etsi uno, aut altero exceptis, qui sunt de visu, de auditu deponentes, moralem constituunt certitudinem, quæ, si non impossibile, imprudens tamen redderet judicium de opposito; inhærentes etiam suffragiis Consultorum, & Cardinalium Congregationi Sac. Rituum adscriptorum, qui in mox exponendam, in sufficienti, juxta morem ejusdem Congregationis, numero, sententiam devenerant, Divino iterum in Sacrosancto Missæ Sacrificio ferventissime implorato præsidio, Decretum edimus, quod Secretario Congregationis propriis manibus consignamus, in quo statuimus, & declaramus, Martyrium, & causam Martyrii Ven. Servi Dei Andreæ Bobola Sacerdotis Professi Societatis Jesu ita probari, ut tuto procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem, & approbationem quatuor Miraculorum, juxta formam Decreii Generalis die 23. Aprilis 1741. enunciati in supra memorato responso Nostro edito die 22. Maii 1749.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 9. Februarii 1755. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

Dat. die 9. Februarii 1755. Pont. XV.

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

M. Marefuscus S. R. C. Secr.

EPISTOLA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Ad Reverendissimum Dominum Vincentium Card. Malvetium Bononiensem Archiepiscopum, de S. Philocali Martyris Corpore.

Dilecto Filio Nostro Cardinali Vincentio Malvetio Bononiæ Archiepiscopo,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili Noster, salutem, & Apostolicam Benedictionem,

Sororis Imeldæ de Lambertinis quæ vota pro alicujus Sancti Corpore obtinendo, collocandoque in interiori Monasterii Ecclesia.

SOror Imelda de Lambertinis Monialis Professa in isto S. Mariæ Novæ Monasterio, utpote Filia Nostri quondam Fratris Joannis Lambertini Senatoris, Nostra etiam Neptis est secundum carnem ut Pontificio dicendi genere utamur. Ea cum a Nobis, ex religioso animi studio postulasset, ut alicujus Sancti Corpore in interiori Monasterii sui Ecclesia collocando donaretur, haudquaquam respondimus perinde, ut duo ex Prædecessoribus Nostris Gregorius IV., & Clemens itidem IV. responderunt, se videlicet non habere, unde piis hujusmodi precibus satisfacerent. Tunc enim Romæ non omnia sacra Cœmeteria fuerant detecta, quæ deinceps alia aliis temporibus detecta sunt; quemadmodum Ipsi Nos post celeberrimum Virum Joannem Mabillonium animadvertimus in Nostro Opera *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 27. num. 11. & 12.* Sed cum feliciter accidisset, ut nonnullæ apud Custodes haberentur insignes Reliquiæ, nonnullaque Sanctorum Corpora ex Cœmeteriis, seu Catacumbis prædictis eruta, unum selegimus quod in Urna sacra sigillis clausa honorifice, ut par est, reconditum, & non sine multa diligentia custoditum, Bononiam transmitti jussimus, ut in prædicta Ecclesia decenter reponeretur; quam quidem Urnam ad hunc finem in tuas manus prius deferendam curavimus, ut tu eam postquam receperis, ad præfatum Monasterium mittas cum debita veneratione; simulque præesse velis, quando eadem in loco sibi destinato collocabitur. Cultus enim sacrarum Reliquiarum una est ex Pastoralibus curis, quas Sacra Tridentina Synodus Episcoporum solertiæ vult esse commendatas. Cum tu cætera Pastoralis officii munera diligentissima adimpleas, id quod Nobis est maximæ causa lætitiæ, non dubitamus, quin idem facturus sis in hac quoque re, quam nunc tuæ sedulitati committimus. Ut autem ea, quæ de hoc Sancto Corpore sciri potuerunt, omnia comperta habeas, ne tibi grave sit legendo percurrere, quas contigit Nobis in hoc argumento sive conjecturis, sive librorum studio notitias condonare.

Cœmeterium, ex quo illud erutum fuit.

§. 2. Sanctum Corpus, quod isthuc transmittimus, erutum fuit ex antiquo Pontiani Cœmeterio foris Portuensem Portam quingentis circiter passibus procul ab Urbe, quod alio nomine appellatur nunc Cœmeterium *SS. Abdon, & Sennen*, nunc vero etiam *ad Ursum Pileatum* propter quamdam Ursi Statuam ibidem olim erectam. De hujus porro Cœmeterii sive antiquitate, sive religioso cultu, agunt satis superque tum celebris vir Paulus Aringhius *in sua Roma subterranea Tom. 1. lib. 2. cap. 19.*, tum diligentissimus Canonicus Marcus Antonius Boldettus in suo Opere, cui titulus: *Osservazioni sopra i Cimiteri de' SS. Martiri, e d' altri Antichi Cristiani Tom. 2. pag. 540.* Cum autem sacrum Corpus, de quo sermo est, repertum sit cum Vase sanguine resperso, nihil certius desiderari potest, ut, juxta rigidioris Criticæ leges vel severissimas, tuto affirmari queat, Corpus hoc, sive Ossa, procul dubio esse Corpus, atque Ossa unius alicujus, qui pro Christi Fide Martyrium passus est: de qua re uberius & fusius disseruimus tum in citato Opere Nostro *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. cap. 27. a num. 22. usque ad finem*; tum etiam in Epistola Bononiæ typis edita, quam 12. Kal. Maii anno 1745. ad istius Ecclesiæ Metropolitanæ Capitulum dedimus, simul cum S. Proci Corpore, quod in S. Thrasonis Cœmeterio repertum fuerat.

Quæritur num Philocalus, quod huic Sancto Corpori nomen est, appellativum sit, an vero proprium.

§. 3. Nomen huic Sancto *Philocalus* est, quod perinde sonat atque amans pulchri, non quidem in eo sensu, quatenus pulchrum apud Latinos idem est ac formosum, sed quatenus pro decoro sæpe explicatur apud eosdem, & indecoro seu turpi contrarium est. Atque hinc fortasse quis dubitare queat, utrum *Philocali* nomen sit huic Sancto proprium, an potius appellativum. Sanctis enim Corporibus, quæ a Catacumbis extrahuntur, solet, interdum nomen aliquod appellativum imponi, *Justi* videlicet, *Candidi*, *Victoris*, & similium. Nos non ignoramus laudabilem hujusmodi consuetudinem. Nos de illa egimus *in supradicto capite 27. & seq.* Nos adversariorum oppositionibus satisfecimus, qui falso criminabantur id legitimo Sanctorum cultui obesse, & magno pietati ac Religioni detrimento esse; Nos superius allatam hujus vocis *Philocalus* explicationem ultro recipimus: *Erat autem illis in diebus archimedicus regionis Hollandrinorum, vir Philocalus, ac devotorum pauperum zelator magnus, nomine Godefridus, cognomine Sonderdank*: ut habetur in Vita S. Liduinæ a Bollandianis edita *Tom. 2. Aprilis, die 14.* nihilo tamen minus affirmare omni cum veritate possumus, nomen *Philocali* haudquaquam appellativum esse in hoc casu, sed omnino proprium hujus Sancti; neque enim raro contingere solet, ut idem nomen alias appellativum sit, alias proprium. Atque id non aliunde, præterquam ex circumstantiis erui potest, utro modo scilicet, appellativo ne, an propria, accipi debeat. Ut cætera exempla silentio prætereamus, perspicuum est hoc, & evidenter constat in supra indicatis nominibus *Justi*, *Candidi*, & *Victoris*, quæ cum sint appellativa, Sanctisque ignotis, sive Baptizatis, quorum Corpora ex Cœmeteriis eruuntur, imponi communiter soleant, sunt etiam peculiariter propria multorum Sanctorum, qui sub hoc non appellativo, sed proprio eorum nomine, *Justi* videlicet, *Candidi*, & *Victoris*, in Martyrologio Romano enunciantur.

§. 4. Sed sermonem ad hoc *Philocali* nomen contrahentes, ac missa facientes profana monumenta, in quibus facile occurrere potest tanquam proprium *Philocali* nomen, ut videre est in clarissimi Muratorii *Thesauro Inscriptionum Tom. 2.* & stando intra limites historiæ tantum sacræ, animadvertimus, unum ex Episcopis, qui anno 325. in prima Nicæna Synodo Fidei definitioni contra Arium subscripserunt, fuisse Philocalum quemdam Episcopum Pannadis in Provincia Phœniciæ primæ, ut constat ex *Tom. 1. Concilior.* Collectionis Harduini *col. 314. D.* & ex P. le Quien *Tom. 2. Orientis Christiani pag. 831. B.* Notatum invenimus inter Episcopos, qui anno 449. in pseudo-Concilio Ephesino, seu latrocinali, subscripserunt condemnationi Sancti Flaviani, Philocalum alium Zagilensem Episcopum in Lybia, ut constat ex Actis prædicti Concilii *Tom. 2. col. 86. D. col. 268. C. col. 272. B.* ejusdem Collectionis, atque ex citato P. le Quien *pag. 365. C.* Legimus denique S. Philocalum Martyrem Alexandrinum *die 21. Martii* enunciatum in celebri Martyrologio per Florentinium edito, atque illustrato; consonant cætera D. Hieronymi Martyrologia apud Bollandianos *Tom. 3. Martii pag. 529. die 21.* qua etiam die consuli potest Francisci Mariæ de Aste Archiepiscopi Hydruntini *Disceptatio in Martyrologium Romanum, nota E.*

Philocali nomen reperire est in Ecclesiasticis monumentis.

§. 5. Ex eo quod reperiatur, ut ostendimus, in relatis Martyrologiis *S. Philocali* nomen, non propterea inferre volumus, Corpus S. Philocali, quod nunc Bononiam transmittimus, esse idem cum Corpore S. Philocali, de quo mentio fit in mox laudatis Martyrologiis. Sanctus enim Philocalus noster Romæ obiit, utpote qui in uno ex Romanis Cœmeteriis sepultus condebatur cum signo Martyrii: alter vero, de quo mentionem faciunt supra citata Martyrologia, procul ab Urbe Roma, nempe Alexandriæ in Ægypto, passus, procul item sepultus fuit. Sed nomina Episcoporum, qui Concilio Nicæno, & Ephesino Conciliabulo subscripserunt, sub hoc nomine *Philocali*, nomen quoque *S. Philocali M.* de quo præfata Martyrologia sermonem habent, ideo recensere placuit, ut innotesceret, nomen *Philocali*, etsi aliquando appellativum, apud Christianos fuisse quandoque etiam proprium: cum nimis a veritate alienum sit, quod quis alio nomine, quam proprio, Conciliis se subscribat; & quod in Martyrologiis, alicujus Sancti nominatim mentio fiat, proprio nomine non indicato.

Non idem tamen est hic Philocalus cum aliis.

§. 6. Fatemur quidem, non satis esse hoc ad plenam Nostri argumenti probationem faciendam; neque enim sufficiens ratio est ad hoc probandum, quod nomen *Philocali* sæpe usurpatum sit in significatione propria & nullo modo appellativa; sed necesse est præterea illud evincere, quod nomen hoc non tam proprium esse possit, quam proprium re vera illius Sancti sit, cujus Corpus Bononiam transmittimus; quod putamus comprobari posse evidenter.

Non adhuc satis probatum Philocali nomen proprium esse Sancto, de quo res est.

§. 7. Corpus hujus Sancti non fuit repertum in Catacumbis sine nomine, neque *Philocali* nomen illi im-

Est tamen evidens ex inscripto Sepulchro, quo

Sacrum Corpus condebatur, appositum.

impositum est, ne remaneret sine nomine. Sepulchro, ubi Sacrum Corpus tumulabatur, inscriptum erat nomen *Philocalus* hiscemet verbis :. *Philocalus in pace*. Cum autem omnia sepulchris inscribantur ad indicandam personam, quæ ibi sepulta est; facile intelligitur, nomen *Philocali* inscriptum sepulchro hujus Martyris esse non posse appellativum, sed esse nomen proprium ejusdem; adeoque Sanctum Corpus, quod Bononiam mittimus, esse Corpus *S. Philocali*, qui pro Christi Fide Martyrium passus est; quod non solum probant illa verba *in pace*, quæ, ut habent veteres Inscriptiones in Catacumbis repertæ, Martyribus communia sunt æque ac Christifidelibus ibidem sepultis; sed eruitur ex Vase sanguinis, signo indubitato Martyrii, quod pro Christo martyr sustinuit; ut Nos quoque adnotavimus in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4. part. 2. c. 27. num. 26.*

Quæstio de Theophili nomine, quod in Actis Apostolorum legitur.

§. 8. Divinarum Scripturarum explanatoribus, & Cornelio a Lapide in primis, Augustino Calmet, Joanni Baptistæ du Hamel, Nostro quoque bonæ memoriæ Vincentio Ludovico Cardinali Gotti *in tom. 5. Veritatis Catholicæ Religionis cap. 5. part. 2. num. 2.* investigandum relinquimus, utrum Theophilus ille, de quo sermo habetur *in cap. 1. Act. Apost.* = *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere & docere* = esset unus aliquis hoc proprio nomine insignitus; an potius sub Theophili appellativo nomine intelligi debeat quisquis cum Deo charitate conjungitur. Nobis satis est potuisse demonstrare, *Philocali* nomen hic proprium omnino esse, non appellativum. Propterea te paterno cordis affectu etiam atque etiam complectentes, tibi, Dilecte Fili Noster, tuoque Gregi, quem tanta cum laude moderaris, & cui tamdiu præesse Nobis quoque contigit, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum 20. Maji 1755. Pont. XV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 20. Maii 1755. Pontificatus Nostri anno Decimoquinto.

DECRETUM

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

IN CAUSA

NEAPOLITANA

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei PAULI BURALIS S. R. E. Cardinalis de Aretio nuncupati.

Dubium in Congregatione Rituum propositum.

CONgregatio Generalis Sacrorum Rituum habita fuit coram Nobis die 27. præteriti mensis Januarii, & in Causa Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi Dei Pauli Buralis S.R.E. Cardinalis de Aretio nuncupati propositum fuit dubium sequentibus verbis conceptum: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate, & Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque annexis in gradu heroico in casu, &c.*

Omnia primum a Pontifice ante Congregationem sunt diligenter expensa.

§. 2. Congregationi interfuimus, nec ad eam imparati accessimus; accessimus enim post perlectas Scripturas & informationes tam Postulatorum, tum Fidei Promotoris, post lecta Consultorum Congregationis suffragia Nobis præcedenter juxta morem in scriptis exhibita, post auditas Advocatorum Causæ verbales informationes. In ipsa Congregatione propriis auribus audivimus sententias Dilectorum Filiorum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Congregationi Sacrorum Rituum adscriptorum, quas super prædicto dubio oretenus protulerunt; sed nullum a Nobis editum fuit responsum, ut, secundis adhibitis curis, porrectisque Deo Optimo Maximo jugibus precibus, opportuniori tempore Nostram ederemus super proposito dubio sententiam.

Sed responsum in aliud tempus rejectum.

Validitas processuum auctoritate Ordinaria confectorum in hac causa, haud levi cum detrimento, numquam examinata.

§. 3. Dum in minoribus Promotoris Fidei munere fungebamur, animadvertimus, plures in Causa Venerabilis Servi Dei Pauli Buralis confectos fuisse Processus auctoritate Ordinaria, & Apostolica, nec unquam fuisse examinatam, multoque minus approbatam validitatem Processuum auctoritate Ordinaria confectorum, Cajetani videlicet, Placentini, & Neapolitani, ex quo non exiguum integritati, & valori probationum damnum derivabat; Testes enim in dictis Processibus examinati, qui, attento eorum numero, fide ipsorum dictis debita, adminiculis, quibus eorum attestationes erant roboratæ, consonantia cum Testibus examinatis in Processibus Apostolicis, probationis gradum attingere potuissent, si validitas Processuum, in quibus fuerunt examinati, fuisset discussa & approbata; Cessantibus discussione & approbatione validitatis, solius adminiculi vim & robur poterant obtinere, juxta Congregationis praxim, de qua in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 2. cap. 5.* Sed, cum in toto Causæ decursu nulla de validitate Processuum promota fuisset indago, necessarium esse existimavimus sedulo inspicere, an validi re vera essent memorati Processus auctoritate Ordinaria confecti, & an omissio examinis involuntariæ quodammodo negligentiæ esset adscribenda, vel potius derivasse dicenda esset ex metu, quod eorum validitas approbari non posset.

Eam ipse Pontifex ad examen revocavit, & decretum pro validitate tulit.

§. 4. Ut id tamen in aperto tandem poneretur, prædictos Processus ad Nos afferri mandavimus, & quamvis longa, quinquagenaria videlicet, & ultra, in examine Causarum Beatificationis, & Canonizationis experientia, potuissemus Nobis ipsis blandiri de Nostrarum virium sufficientia in examine validitatis prædictorum Processuum, advocari nihilominus fecimus Dilectum Filium Benedictum Veteranum Sacræ Consistorialis Aulæ Advocatum, diligentissimum Fidei Promotorem a Nobis constitutum, cui prædictos Processus consignavimus, & ipsius sententia tum voce, tum scriptis Nobis exposita, communicato cum ipso consilio, Decretum edidimus die 1. currentis mensis Februarii, Secretario Congregationis Sacrorum Rituum consignatum, in quo constare decrevimus de validitate Processuum Cajetani, Placentini, & Neapolitani, Ordinaria auctoritate confectorum in Causa Venerabilis Servi Dei Pauli Buralis S. R. E. Cardinalis de Aretio nuncupati.

Aliis adhibitis quoque diligentiis, supra relato dubio deinde responsum datum.

§. 5. Aliæ præterea post Congregationem habitam die 27. præteriti mensis Januarii adhibitæ sunt scrupulosæ diligentiæ, ne in re tanti momenti aliquid prætermissum dici posset, quod videri & examinari potuisset. Deum Optimum Maximum jugibus precibus obsecravimus, ut Nobis præsto esse, & mentem Nostram illustrare dignaretur: post quæ, inhærentes unanimibus suffragiis Cardinalium, qui Congregationi Sacrorum Rituum habitæ die 27. præteriti mensis Januarii interfuerunt, proposito in ea dubio sic respondemus, auditoque Sacro, perceptaque Eucharistica Communione, cum præ impedimento podagræ Missam celebrare non potuerimus, sic respondendum decrevimus, *Ita constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate, & Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, ac Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, ut tuto procedi possit ad ulteriora, ad discussionem videlicet quatuor Miraculorum.*

In omni, quem tenuit, vitæ statu Ven. Paulus Buralis omnes virtutes in gradu heroico exercuit.

§. 6. Venerabilis Dei Servus Paulus Buralis vixit in statu seculari usque ad annum quadragesimum sextum suæ ætatis. Nomen deinde dedit Congregationi Clericorum Regularium, qui Theatini nuncupantur, & in dicta Congregatione permansit spatio annorum undecim. Ad dignitatem Episcopalem deinde evectus, præfuit primum Ecclesiæ Placentinæ, & Collegio Cardinalium S. R. E. adscriptus, translatus deinde fuit ad regimen Archiepiscopalis Ecclesiæ Neapolitanæ, quæ omnia spatio fere decem annorum implevit; ponderatique sedulo omnibus quæ in unoquoque prædictorum statuum ab eo gesta sunt, constat, ipsum in gradu heroico eas omnes Virtutes frequentibus actibus exercuisse; quæ unicuique prædictorum statuum erant proportionatæ & propriæ, cum eximia semper charitate erga Deum & proximum, spectabili humilitate, & eximia undequaque prudentia.

Non tamen omnia testibus de visu comprobantur.

§. 7. At, cum ea omnia, quæ pertinent ad statum secularem, & sic ad longum vitæ ipsius cursum, & pleraque alia, quæ statum Regularem respiciunt, in quo non modicum suæ ætatis cursum perfecit, non sint probata Testibus de visu, sed Testibus aut de auditu a videntibus, aut de auditu auditus, & ea tantum, quæ statum Episcopalem, & Cardinalitiam respiciunt dignitatem, sufficienti numero Testium de visu innixa sint, locus factus est Decreto a Nobis edito die 23. Aprilis 1741. & impresso in Nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 3. cap. 3. num. 25.* in quo statutum est, ut in Causis etiam procedentibus per viam non Cultus, si Virtutes probatæ sint per Testes de auditu, & sic per probationes subsidiarias, dilata, prout in casu, absque culpa & dolo Postulatorum, confectione Processuum longe post obitum Dei Servi; si de validitate Processuum post dictum tempus confectorum abunde constet, prout in casu; si, Testium numero, & qualitate, cæterisque attentis adminiculis, moralis, prout in casu, consurgat certitudo,

quæ,

quæ, si non impossibile, imprudens saltem judicium reddat de opposito: proposito de Virtutibus dubio nullatenus respondeatur *Constare*, deficiente videlicet probatione directa per Testes de visu, sed respondeatur, *Ita constare, ut tuto procedi possit ad discussionem quatuor Miraculorum*, aucto videlicet Miraculorum numero, a duobus, quæ olim sufficiebant pro obtinenda Beatificatione, ad alia duo, & sic ad quatuor Miracula, ut quod ex humano defuit Testimonio, Divino compensetur.

Atque hinc propterea progressum de virtutibus dubio cum proba ...tione responsum.

Præsens Decretum manu Nostra subscriptum, Nostroque Sigillo munitum, Secretario Congregationis Sacrorum Rituum consignamus, inter Acta ejusdem Congregationis asservandum.

Datum hac die 8. Februarii 1756.

Dat. 8. Februarii 1756. Pont. XIV.

BENEDICTUS PP. XIV.

D. F. Card. Tamburinus Præf.

Loco ✠ Sigilli.

M. Marefuscus S. R. C. Secr.

ACTA CONSISTORIALIA

Pro Concessione Pallii Patriarchæ Antiocheno Syro Maronitarum.

In Consistorio Secreto habito die 28. Martii 1757.

ARGUMENTUM.

DIE duodecima Februarii, Anni 1756. cum e vivis excessisset Reverendissimus Dominus Simon Petrus Evodius, Patriarcha Antiochenus Syrorum Maronitarum: is nimirum, quem Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus datis die 16. Martii 1743. Literis, ad compescendas dissensiones in Electione Patriarchæ subortas, Patriarcham Auctoritate Apostolica constituerat; die autem 13. Julii 1744. in Consistorio Semipublico, ad complementum Patriarchalis dignitatis, Pallio Pontificio donaverat: Peractis de more Novendialibus, Archiepiscopi & Episcopi ejusdem Nationis Syrorum Maronitarum, quibus eligendi Patriarchæ jus competit, convenerunt in Chesroano apud Anturam in Æde Sancti Josephi: & unanimi omnium consensu, die 28. ejusdem mensis Februarii, elegerunt in Patriarcham, Reverendissimum Dominum Tobiam Gazenium, Cypri Archiepiscopum; quemadmodum ex hoc Synodico ipsorum Decreto perspicuum redditur.

Archiepiscoporum & Episcoporum Decretum Electionis Reverendissimi Domini Tobiæ Gazenii, Archiepiscopi Cypri, in Patriarcham Antiochenum Syrorum Maronitarum.

LAUS DEO SEMPER.

PRæsentibus Literis pateat, Nos infrascriptos in Æde Sancti Josephi apud Anturam convenisse, ibique juxta Sacros Canones, præscriptasque in Sanctis Synodis Constitutiones, elegisse Reverendissimum Dominum Tobiam Gazenium, in Beatissimum Patriarcham Sedis Theopolis Antiochiæ, plenaque omnium nostrorum libertate, atque unanimi consensu, eundem in Patriarcham nostrum, nostræque Nationis Patrem adscivisse; debitam ipsi obedientiam, subjectionemque secundum Statuta Sanctarum Synodorum exhibituros; dummodo idem ipse Formulam Professionis suæ, Pontifici Sanctæ Romanæ Sedis exhibeat, Fidemque Catholicam usque ad sanguinis effusionem conservet. In quorum fidem in Sancto nostro Concilio hanc syngrapham a nobis subscriptam dedimus die vigesima octava Februarii, Anno 1756.

Archiepiscopi & Episcopi.

Philippus Lithræ.
Stephanus Botri.
Gabriel Ptolemaidis.
Joannes Laodiceæ.
Germanus Tripolis.
Michael Damasci.
Antonius Arcæ.
Josaphat Tyri.
Petrus Paneadis.
Joseph Sidonis.
Joseph Beryti.
Joachim Eden.
Arsenius Tagriti.

Postea, tum ab Electo Patriarcha Tobia, tum ab Archiepiscopis & Episcopis Electoribus, ad SS. Dominum Nostrum PP. BENEDICTUM XIV. & ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, una cum R. P. D. Arsenio Heliopolitano Archiepiscopo, ipsius Electi Patriarchæ Oratore & Procuratore, Literæ missæ sunt, quibus demississime Sanctitatem Suam rogant, ut Electum Patriarcham confirmare, eique Pallium, plenitudinis Pontificiæ Potestatis insigne, concedere dignetur. Sunt autem hujusmodi.

I.

Epistola Electi Patriarchæ Tobiæ Petri Gazenii ad Sanctissimum Dominum nostrum Benedictum Papam XIV.

SANCTISSIME PATER.

EGo Tobias Gazenius Sanctitatis Tuæ servus, Cypri olim Archiepiscopus, nunc vero miseratione divina Antiochenus Patriarcha, licet indignus, coram sanctis pedibus Tuis procumbens, eosque submisse ac reverenter, sicuti Christi Domini Vicarium decet, deosculans, Sanctitati Tuæ expono, duodecima die Februarii hujus anni, Simonem Patriarcham Antiochenum, decessorem meum, ad Deum migrasse: cui ut requiem donet Dominus, suffragio sanctarum tuarum precum contingat. Die autem vigesima octava ejusdem mensis, fratres meos, tuosque famulos, Archiepiscopos & Episcopos, in Æde Sancti Josephi apud Anturam, Patrum Societatis Jesu, in Chesroano, convenisse, ibique secundum Statuta Sacri Libanensis Concilii, latis ad eligendum novum Patriarcham cum plena libertate, nullaque vi adhibita suffragiis, me tametsi immerentem, Patriarcham constituisse: quemadmodum Sanctitati Tuæ palam faciunt datæ ab ipsis ad Sanctam Apostolicam Sedem, & ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide Literæ. Quoniam vero, Sanctissime Pater, Beati Petri Apostolorum Principis es Successor, cui dictum est: & Tu conversus confirma fratres tuos: ideo coram pedibus tuis provolutus, enixis precibus a Te peto, ut Pallium mihi Pontificium concedas, meque in Sede Antiochena confirmes: sicuti decessores Tui felicis recordationis cum meis antecessoribus facere consueverunt: idque mihi præstare digneris per fratrem meum, servum autem tuum, Arsenium Heliopolis Archiepiscopum, quem tamquam Procuratorem meum misi ad deosculandum pedes tuos, & ad impetrandam a Te confirmationem: Virum virtutibus ornatum: prudentia, pietate, & patientia in excitatis adversus ipsum ex invidia persecutionibus præditum: quem, quum adhuc Monachus esset, ego autem ipse Patriarchalem dignitatem nondum iniissem, ex longa consuetudine probe cognovi, dignum proinde censui, ut illum ad Apostolicam Sedem ablegarem. Decebat sane, ut egomet ad Sacra Apostolorum Limina visitanda accederem: Verum ab hoc me proposito detinuit, primum quidem immensa locorum distantia; deinde, quia vereor, ne quid detrimenti res Maronitarum publicæ, me absente, capiant. Itaque paterna Tua benignitate fretus, etiam atque etiam rogo, ut meis, meæ Nationis, atque Ablegati ejusdem Votis obsecundans, Pater Beatissime, & Pallium mihi transmittas, & reliquis me spiritualibus temporalibusque beneficiis cumulare digneris: quæ quantulacumque sint, in summum tamen mihi honorem cessura reputabo. Meæ autem erga Te, & Sanctam Sedem Tuam demissæ obedientiæ argumentum habes Orthodoxæ Fidei professionem, manu mea subscriptam, quam Tibi Nuncius meus exhibebit. Voveo enim, & promitto, coram Deo & Angelis ejus, me Sedi Apostolicæ & Romano Pontifici usque ad extremum vitæ spiritum semper & ubique obtemperaturum: operam insuper omnem collaturum, ut huic meæ Nationi, quæ perpetuis erga Sanctam Sedem obsequii & reverentiæ documentis claruit, Deo favente, Teque annuente, amputatis dissentionibus, pacem ac tranquillitatem restituam. Interim Tuis sanctis pedibus iterum demississime oscula defigens, ut ad multos Te annos incolumem servet,

vet, precibus a Deo Optimo Maximo quam possum studiosissime contendo. Datum die 20. Martii 1756.

Sanctitatis Tuæ Servus
Tobias Petrus Gazenius,
Patriarcha Antiochenus.

II.

Epistola ejusdem Electi Patriarchæ Tobiæ ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide.

Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini.

CErtiores Vos facio, die duodecima Februarii, hujus anni, Simonem Evodium Patriarcham Antiochenum e vivis excessisse; die autem vigesima octava ejusdem mensis congregatos juxta Decreta Sacræ Libanensis Synodi in Æde S. Josephi Amurensi Patrum Societatis Jesu in Chesroano Archiepiscopos & Episcopos fratres meos, latis libere suffragiis, me licet immerentem, in Patriarcham Antiochenum elegisse; quemadmodum ex Litteris ipsorum ad Sanctissimum ac Beatissimum Pontificem Maximum, & ad Sacram Congregationem Vestram datis perspicere potestis. Quum igitur æquum decensque sit, ut optimis traditionibus sacrisque consuetudinibus mos geratur; idcirco vestigiis Decessorum meorum ego insistens, a Sanctitate Sua petere decrevi & Pallium Pontificium, & Apostolicam in sede Antiochena confirmationem, signum autem, & pignus obedientiæ meæ ac reverentiæ erga Sanctam Romanam Sedem, patebit Sacræ Congregationi Vestræ ea Formula Professionis Fidei, mea manu subscriptæ, ac sigillo firmatæ, quam ad Apostolicam Sedem transmitto. Quamobrem Eminentias Vestras Reverendissimas rogo, ut a Sanctissimo Patre Pallium mihi Pontificium, & Confirmationem Apostolicam impetretis, una cum gratiis, & privilegiis, quæ meis Decessoribus concedi consueverunt: eidem insuper Beatissimo Patri significetis, quod, nisi me locorum distantia, & imminens Nationi meæ ex mea absentia periculum detinerent, per me ipsum ad visitanda Sacra Apostolorum Limina, & ad accipiendum e manibus Sanctitatis Suæ Pallium accederem. Quam vero sim Sedi Apostolicæ Romanisque Pontificibus obsequentissimus, id palam faciet frater meus Arsenius Archiepiscopus Heliopolitanus, quem Nuncium meum, Oratorem, ac Procuratorem ablegavi, ut pro me obedientiam exhibeat, & Pallium petat. Illum siquidem ad hoc obeundum munus idoneum existimavi, utpote Virum bonis moribus præditum, virtutibus ornatum, mihique probe notum, antequam ad Patriarchalem dignitatem evectus essem. Vos igitur post Deum obsecro, Eminentissimi Domini, ut quas ipse nomine meo porriget, ne patiamini irritas esse & inanes preces. Interim Deum Optimum Maximum oro & obtestor, ut totus terrarum Orbis ditioni vestræ subdatur, & obductæ ab adversariis nebulæ dissipentur. Datum die 20. Martii 1756.

Tobias Petrus Patriarcha Antiochenus.

III.

Epistola Archiepiscoporum & Episcoporum ad Sanctissimum Dominum Nostrum BENEDICTUM Papam XIV.

SANCTISSIME PATER.

POst oscula Liminum Apostolicorum, sanctorumque pedum tuorum, Nos infrascripti exponimus, quod die 12. mensis Februarii, servus tuus Simon Petrus Patriarcha Antiochenus ex hac luce ad Dominum migravit: oramus, ut Deus Sanctitatem Tuam nobis conservet: post illius autem decessum, congregati apud Antoram in Chesroano in Æde Sancti Josephi, quæ Patrum Societatis Jesu est, die 28. ejusdem mensis, latis secundum Decreta Sanctæ Libanensis nostræ Synodi suffragiis, elegimus servum tuum, fratrem nostrum, Tobiam Gazenium, Cypri Archiepiscopum, nobili genere natum, eumque unanimi consensu, spontanea voluntate, omnique vi remota, nostrum Patriarcham constituimus. Itaque coram Apostolicis pedibus tuis procumbentes supplices petimus, ut eidem Reverendissimo Domino Patriarchæ nostro Tobiæ Pallium Apostolicum, & Pontificiam in Sede Antiochena Confirmationem concedere digneris: aliis insuper eumdem cumulare velis tum consuetis gratiis, tum etiam majoribus, quam quibus prædecessores ipsius Patriarchæ ab Apostolica Sede sunt ornati: idque tam propter ipsius generis nobilitatem, morum honestatem, in rebus agendis solertiam, religionis fervorem; quam propter eximiam, quam Apostolicis mandatis tuis semper exhibuit obedientiam, impensosque ab eodem in Sedis Patriarchalis beneficium, Patriarcharumque obsequium, & in procuranda Pontificiarum Tuarum Literarum executione, labores. Rogamus quoque paternam Tuam clementiam, Pater Beatissime, ut oculos tuos ad Sedis nostræ Patriarchalis favorem benigne convertas: non enim Sanctitatem Tuam latere arbitramur, quantis illa malis ob tyrannicam Infidelium oppressionem hactenus succubuerit. Demum sanctis tuis pedibus iterum oscula defigentes, Deum oramus, ut Beatitudinem Tuam diu incolumen tueatur. Datum apud Anturam die 29. Februarii 1756.

Archiepiscopi & Episcopi.

Philippus Lystræ.
Stephanus Botri.
Gabriel Ptolemaidis.
Joannes Laodiceæ.
Germanus Tripolis.
Michael Damasci.
Antonius Arcæ.
Josaphat Tyri.
Petrus Paneadis.
Joseph Sidonis.
Joseph Beryti.
Joachim Eden.
Arsenius Tagriti.
Abdalla Cypri.

Aliæ præterea ab iisdem Archiepiscopis & Episcopis Maronitis, nec non a Proceribus Gazeniis, & Habaisciis, in idem argumentum scriptæ sunt Epistolæ, tum ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, tum ad Eminentissimos ac Reverendissimos Dominos Cardinales Protectores Nationis, & Monachorum Maronitarum: quibus Epistolis Electi Patriarchæ Tobiæ merita, omnium assensu & plausu, enunciantur.

Totius igitur negotii examine per Sanctitatem suam ad Eminentissimos Patres ejusdem Sacræ Congregationis de Propaganda Fide remisso, in Congregatione Generali habita die 8. Martii, currentis anni, editum est hujusmodi Decretum.

D E C R E T U M

Sacræ Congregationis Generalis de Propaganda Fide.

Habita die 8. Martii 1757.

REferente bon. mem. Nicolao Lercario Archiepiscopo Rhodiensi, Secretario, postulationem ab Episcopis & Clero Maronitarum de more factam R. P. D. Tobiæ Gazenii Archiepiscopi Cypri, viri zelo, doctrina, & prudentia, cæterisque virtutibus plurimum commendati, in Patriarcham Antiochiæ ejusdem Nationis, in locum R. P. D. Simonis Petri Evodii nuper defuncti, necnon preces eorumdem Episcoporum, Cleri, & Populi Maronitarum, pro supradictæ postulationis admissione, & Patriarchæ confirmatione; Sacra Congregatio censuit, consulendum esse Sanctissimum pro admissione prædictæ postulationis, & confirmatione ejusdem R. P. D. Tobiæ Gazenii in Patriarcham Antiochenum nationis Maronitarum.

Quam Sacræ Congregationis sententiam, Sanctissimo Domino Nostro relatam ab Eminentiss. & Reverendiss. Domino Domino Josepho Cardinali Spinelli Præfecto, in Audientia habita die 18. ejusdem mensis, Sanctitas Sua in omnibus approbavit, & in Consistorio ad ulteriora procedi mandavit. Datum ex Ædibus dictæ Sacræ Congregationis die 19. Mensis & Anni, quibus supra.

N. Antonellus Secretarius.

His præmissis, die 27. Martii, ejusdem anni 1757. indicto de more Secreto Consistorio, postquam in eo Propositiones Ecclesiarum, & alia occurrentia negotia fuerunt absoluta, Sanctissimus Dominus noster de Pallio Latino Patriarchis Orientalibus, quoties illud, positis omnibus necessariis conditionibus, postularent, concedendo, deque Maronitis, eorumque ritibus Latino simillimis, & eximio in Sanctam Sedem obsequio

quio præfatus, quid in Electione tum hujus novi Patriarchæ Tobiæ, tum decessoris ejus Simonis Petri Evodii gestum fuerit, luculentissima hac Allocutione exposuit.

VENERABILES FRATRES.

QUadraginta jam, & ultra, effluxerunt anni, ex quo, suborta controversia, num Patriarchæ Alexandrino Græci ritus indulgeri posset Latinum Pallium, quantumvis idem opportunis prolatis monumentis comprobaret, se schisma ejurasse, suumque legitimum Procuratorem ad Urbem ablegasset, qui humiles enixasque preces suas ad ipsum Pallium obtinendum afferret, coacta fuit coram sanctæ memoriæ Clemente XI. Prædecessore nostro satis frequens S. R. E. Cardinalium, ac Prælatorum Congregatio, cui Nos quoque interfuimus, & in qua statutum fuit, expetitum Latinum Pallium concederetur; Nobisque ipsis contigit, pro Advocati Consistorialis munere, quo tunc fungebamur, ipsam Pallii petitionem in Consistorio exponere 1: quod magnæ postmodum consolationi Nobis extitit, quum scilicet in manus nostras subinde pervenit vetus decretum, seu resolutio multos ante annos edita 2, per quam ad propositum dubium, an Patriarchis Græci ritus Latinum Pallium esset concedendum, quoties illud, positis omnibus necessariis conditionibus, postularent, affirmative responsum fuit; quæ quidem resolutio ignota tunc erat, quam Patriarchæ Alexandrino facta est Latini Pallii concessio 3.

Ex quo autem Nos nullis nostris meritis ad Summum Pontificatum evecti fuimus, nostris ipsi manibus Patriarchæ Armeniæ minoris, & Ciliciæ, confirmata prius illius Electione, Latinum Pallium imposuimus 4. Atque id ipsum, in Consistorio semipublico, concedendum, transmittendumque decrevimus Cyrillo Patriarchæ Antiocheno Græcorum Melchitarum, postquam examini subjecta, probataque fuerat illius Electio, ipseque per legitimum ad id constitutum Procuratorem, enixis precibus sibi Latinum Pallium concedi postulaverat 5. Quod ipsum Latinum Pallium aliis duobus Patriarchis Armenis, subsequentibus temporibus, a Nobis ipsis datum est 6.

Quod autem ad Maronitas pertinet, compertum unicuique est, eos uti Azymo, non secus ac utitur Occidentalis Ecclesia, & sacra adhibere indumenta nostris simillima 7. Nostis præterea, Venerabiles Fratres, Nos olim, ad compescendas dissensiones in eorum Patriarchæ Electione subortas Patriarcham Antiochenum Maronitarum illis constituisse Simonem Petrum Evodium, atque hunc fuisse a Maronitis libentissime exceptum, eidemque subinde concessum a Nobis fuisse Latinum Pallium, pro quo legitimus ipsius Procurator necessariis documentis instructus, in Consistorio institerat.

E vivis nuper excessit præmemoratus Simon Petrus Evodius: quumque Maronitæ elegerint ipsi successorem, is plane est, qui per suum Ablegatum, opportuna quæque documenta præsentantem, Pallium sibi concedi postulat, quemadmodum mox ipsi audietis ex ipsius legitimo Procuratore, quem jam nunc in Consistorium ab eo, cui id munus est, induci mandamus.

1. Vid. Acta Consistorialia, expressa inter Consistoriales Orationes eorundem Pontificis pag. 239. & seq.
2. Videlicet die 9. Junii 1642.
3. Ut in nostro Opere De Synodo Diœcesana lib. 11. cap. 19. num. 19.
4. Cit. lib. 13. ejusd. Operis cap. 21. sub n. 16.
5. In nostra Consistoriali Allocutione die 1. Februarii 1744. & impressa Tom. 1. nostri Bullarii in Append. sub n. 4.
6. Scilicet in Consistorio habito die 21. Sept. 1750. & in Consistorio habito die 22. Julii 1754.
7. Vid. nostra Epistola Encyclica ad Missionarios per Orientem constitutos, quæ est 47. nostri Bullarii Tom. 4. §. 21. 22. & 31.

Expleta Sanctissimi Allocutione, Aulæ Consistorialis foribus apertis per unum ex D. D. Cæremoniarum Magistris R. P. D. Philippus Maria Pirelli Prælatus Domesticus Pontificius, Signaturæ Justitiæ Auditor, & Sacri Consistorii Advocatus, & R. P. D. Arsenius Heliopolitanus Archiepiscopus, Electi Patriarchæ Tobiæ Procurator, introducti fuere, & e regione Pontificis in Lecto sedentis, flexis genibus, prædictus R. P. D. Pirelli Sacri Consistorii Advocatus Sanctitatem Suam sic allocutus est.

BEATISSIME PATER.

ANtiochena Maronitarum Ecclesia, Sanctitatis Vestræ auctoritate & providentia maximis olim perturbationibus liberata, enixe petit, ut Pallium e B. Petri Corpore sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii, nunc tradatur suo nuperrime electo Patriarchæ R. P. Tobiæ Gazenio Archiepiscopo Cypri: quem non minus Gentis Maronitarum merita, quam sua pietas, & probata in Sanctam Sedem fides, & observantia commendat, ut hunc honorem obtineat, quem habuit decessor suus, quemque, uti est eximia Sanctitatis Vestræ in omnes late populos, qui Christiano censentur nomine, digna Pontifice Maximo beneficentia, Orientalis Ecclesiæ Patriarchæ, parum usitato antea exemplo, hoc tempore, quinquies impetraverunt.

Ea de re R. P. Arsenius Archiepiscopus Heliopolitanus Procurator ad Urbem missus, demississime rogat, ut religiosissima, quæ nunquam ad partes factiosorum, aut errantium declinavit, Ecclesia, constanti Romanæ Cathedræ judicio, diuturna hujus decoris accessione fruatur; atque id ipsum in genua provolutus, Tobiæ Patriarchæ nomine & verbis, instanter postulat, instantius, & instantissime.

Post hæc Sanctissimus intermissam Allocutionem prosequens, Electionem ipsius Patriarchæ Tobiæ quam libenter, & qua clausula se confirmasse, eidemque optatum Pallium benigne concedere, emissa prius tam hic in Urbe ab ipsius Procuratore, quam in Monte Libano ab ipsomet Patriarcha Fidei professione; totam denique Syrorum Maronitarum nationem, ne unquam obliviscatur sinceram suam adhæsionem Catholicæ Fidei & Sedi Apostolicæ, monendam esse, eisque simul nomine Pontificia Apostolicam Benedictionem impertiendam, ornatissimis hisce verbis exponere dignatus est.

ALLOCUTIO SANCTISSIMI.

AUdistis, Venerabiles Fratres, expositam a legitimo Electi Patriarchæ Procuratore, pro Pallio instantiam. Audistis præterea, quibus illa fundamentis innitatur. In Congregatione negociis Propagandæ Fidei præposita, jam expensa fuerunt Electionis validitas, Electi merita, quique peractam Electionem consequutus est, omnium assensus & plausus. De his omnibus ad Nos accuratissima relatum fuit: Nosque exhibitum a Congregatione consilium sequentes, Electionem ipsam libenter confirmavimus. In ipsa Confirmatione clausulam illam prætermisimus, per quam aliæ nonnunquam Electiones validari solent, *etiam quoad substantialia*; quum nihil in ea desideretur ex iis, quæ ad validitatem actus, juxta Orientalem disciplinam, necessaria existimantur; neque vero affirmari pro certo valeat, Occidentalis Ecclesiæ leges, quibus aliquæ inductæ fuerunt substantiales Electionum nullitates, Orientalem quoque Ecclesiam afficere, de qua in ipsis legibus nulla occurrit mentio 8. Quæ quum ita sint, annuentes precibus ab Electi Patriarchæ Procuratore expositis, libenti animo optatum Pallium ipsi concedimus; ita tamen ut idem legitimus Procurator, nomine illius, a quo constitutus est, priusquam ipsi fiat Pallii traditio, Professionem Fidei emittat, juxta formulam ab Urbano VIII. Prædecessore nostro statutam; & id ipsum subinde fiat ab ipsomet Patriarcha: cui impense injungimus, ut suos Maronitas moneat, ne unquam obliviscantur sinceram Nationis suæ adhæsionem Catholicæ Fidei, & Sedi Apostolicæ, quæ tanto eos amore amplexa est, & complectitur; eidemque simul nostro nomine Apostolicam Benedictionem impartiatur.

8. Vid. citata nostra Epistola Encyclica, quæ est 47. Tom. 4. nostri Bullarii n. 44.

Postquam absolutum est Consistorium, quoniam præmemorati Patriarchæ Tobiæ Procurator R. P. Arsenius Heliopolitanus Archiepiscopus desiderio flagrabat, quo singulari impertita beneficio, Sanctitati Suæ, ejusdem Patriarchæ nomine, gratias saltem privatim redderet, quum in publico id facere ei non licuerit: ideo post Consistorium voti compos a Pontifice perhumaniter factus, in intimo suo Cubiculo flexis genibus, hunc in modum verba fecit Arabice, quæ deinde Latine a R. P. D. Josepho Simonio Assemano, Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, Sanctissimi Domini Nostri Prælato Domestico, & utriusque Signaturæ Referendario, reddita sunt.

BEATISSIME PATER.

TOt, ac tanta sunt eximiæ Tuæ in Antiochenum Electum meum, atque a Te in hoc Augustissimo Consessu confirmatum Patriarcham Tobiam Petrum Gazenium, benevolentiæ, charitatis, ac benignitatis argumenta, ut fateri ultro compellar, vires mihi non suppetere, quo dignas Sanctitati Tuæ grates rependam. Conabor tamen genuinos ipsius Patriarchæ sensus, sincerasque grati animi significationes pro modulo meo palam contestari. Est enim, Sanctissime Pater, est meus Patriarcha, obsequentissimus Apostolicæ Sedis filius, suæque erga Sanctitatem Tuam obedientiæ signa minime dubia, non verbis tantum, sed illustribus etiam factis, dedit: tum nempe, quum nullam interposuit moram, quin facto a Te judicio de controversa olim Patriarchali dignitate, statim acquiesceret, constitutoque Auctoritate Tua Patriarchæ Simoni Evodio, suo proximo Decessori, sese submitteret.

ret. Qua agendi moderatione, quantum virtutis suæ opinio omnibus accreverit, datis ad ipsum humanissimis Litteris, Beatitudo Tua declaravit. Itaque idem ipse, qui jussis Tuis obtemperans, ut teterrimum illud schisma ex duplici in Patriarcham Electione conflatum extingueretur, delata sibi dignitate se confestim abdicavit, facile erit unicuique animo concipere, quam sit in posterum luculentiora erga Sanctam Sedem observantiæ suæ documenta præbiturus, posteaquam & Patriarchalis dignitatis, unanimi Antistitum Maronitarum suffragio collatæ, Confirmatione, & honore Pallii de Corpore Beati Petri sumpti, ipsum honorificentissime cumulasti. Quamobrem sicuti hactenus habuisti, Pontifex Optime Maxime, Ecclesiarumque Orientalium amantissime, ita nunc, & semper habebis Antiochenum Patriarcham Tobiam, & beneficiorum Tuorum gratum memoremque, & Pontificiorum mandatorum observantissimum.

B R E V I A

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

Ad Patriarcham, Archiepiscopos, Episcopos, & Proceres Maronitarum.

I.

Venerabili Fratri Tobiæ Petro Patriarchæ Antiocheno Maronitarum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ET Venerabilem Fratrem Arsenium Archiepiscopum Heliopolis a Fraternitate Tua ad Nos, atque Apostolicam hanc Sanctam Sedem omnium Ecclesiarum Catholici Orbis Matrem & Magistram ablegatum, & humanissimas literas præclaris tuæ erga Nos observantiæ, & debitæ erga eamdem Sanctam Sedem reverentiæ, obedientiæque documentis insignes Nobis inscriptas, Nobisque a memorato Arsenio Archiepiscopo redditas, ea, qua Prædecessores nostri Romani Pontifices, Nosque ipsi alias prosequenti fueramus, Pontificia benignitate & Apostolica caritate excepimus. Quemadmodum autem Nobis permolestum accidit nuntium, viam nimirum universæ carnis ingressum, & uti in justo remuneratore supremo Pastorum Principe Jesu Christo sperare decet, ad æterna beatæ stationis in Cœlis tabernacula receptum fuisse cl. mem. Simonem, dum in humanis ageret, Patriarcham Antiochenum multis nominibus commendatum; ita ingenti lætitia in Domino exultavimus, quod Tu, Venerabilis Frater, in ipsius locum & Patriarchalem Sedem per unanimem Venerabilium Fratrum Antistitum suffragantium concordiam electus, suffectusque fueris. Nobis sane compertum, exploratumque erat, Fraternitatem Tuam Sacerdotalibus, Pastoralibusque virtutibus insignitam, in excolenda Christi Vinea Tibi commissa laudabiliter adlaborare; atque adeo Nobis pro certo pollicemur, Te, Venerabilis Frater, majori dignitate, auctoritate, & honore cumulatum, majori sollicitudine, vigilantia, operaque fore adnixurum, ut illam inclytam Maronitarum Nationem, de qua districtam æterno Judici Jesu Christo rationem reddere debes, Apostolicæ huic Sanctæ Sedi semper addictissimam, & veluti solem inter offusissimas tot errorum tenebras, & caligines lucidius præfulgentem, magis magisque confirmes, illustres, adaugeas, & promoveas. Porro quod ad Electionem tuam a Nobis probandam, confirmandamque, Palliumque, de Corpore Sancti Petri Apostolorum Principis sumtum Tibi mittendum, enixis precibus exposcis, Fraternitati Tuæ persuasum esse cupimus, Nos a gravissima diuturnaque infirmitate sensim per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam convalescentes, ubi Nobis integrum fuit, ne quidquam per Nos moraretur, e lecto Secretum cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Consistorium habuisse. In hoc itaque Consistorio Electionem tuam approbavimus, & Apostolica auctoritate nostra confirmavimus, Palliumque de more Tibi tradendum mandavimus, prout ex aliis nostris Apostolicis Literis plenius intelliges. Nec dubitamus, quin idem Arsenius Archiepiscopus Ablegatus tuus, a quo & Pallium accipies, de omnibus per Nos in hoc negotio actis gestisque Fraternitatem Tuam fusius edoceat. Præterea Fraternitatem Tuam, quam plurimi facimus, magnoque honore prosequimur, & Apostolica caritate in vinculo unitatis complectimur, vehementer rogamus, atque in Domino hortamur, ut nostram imbecillitatem in ferventioribus tuis apud Deum obsecrationibus commendatam habere satagas. Cæterum, Venerabilis Frater, bono animo esto, prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina, vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple, certa bonum certamen Fidei, apprehende vitam æternam corona justitiæ, quam repositam digne laborantibus in Cœlo reddet Tibi quoque Dominus in illa die justus Judex. Nos interim ad prosperi successus, divinique præsidii auspicium, & studiosæ nostræ ad Fraternitati Tuæ, universæque Maronitarum Nationi, cum opportuna sese dederit occasio, gratificandum voluntatis pignus, Apostolicam Benedictionem uberrima cum cælestium charismatum copia conjunctam, Tibi, Venerabilis Frater, eidemque Maronitarum Nationi tuæ, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Aprilis MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

Cajetanus Amatus.

II.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis Patriarchatus Antiocheni Nationis Maronitarum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NOn possumus sane satis aptis verbis explicare, Venerabiles Fratres, & dolorem, quo affecti sumus ob interitum clar. mem. Simonis, dum viveret, Patriarchæ vestri Antiocheni meritis laudibus nominandi, & ingentem Pontificii cordis nostri lætitiam inde conceptam, quod Fraternitates Vestræ tanta cum animorum alacritate & consensione, tantaque cum celeritate & sollicitudine, ne quidquam detrimenti interea temporis viduata Pastore suo Patriarchalis Sedes Antiochena pateretur, legitime & canonice eligere, & in Patriarcham vestrum constituere studueritis Venerabilem Fratrem, Tobiam Petrum Cypri Archiepiscopum. Nos autem, statim atque faustum de Electione hujusmodi nuntium ad Nos perlatum fuit per humanissimas & ipsius Tobiæ Petri electi, constitutique Patriarchæ, & Fraternitatum Vestrarum, ac dilectorum filiorum Procerum Maronitarum literas, Supremo Pastorum Principi Jesu Christo, cujus vices in terris plane immerentes gerimus, immortales agere gratias non omisimus. Nulla igitur gravissimæ, diuturnæque infirmitatis nostræ ratione habita, lecto etiam decumbentes, Secretum cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Consistorium habere voluimus, ut quamcitissime peragerentur de more omnia, quæ ad Electionem hujusmodi Apostolica auctoritate approbandam, confirmandamque, & ad Pallium de Corpore S. Petri Apostolorum Principis sumtum laudato Tobiæ Petro Patriarchæ vestro mittendum, tradendumque, semper servata fuere. Quamobrem Vos, Venerabiles Fratres, de hisce per Nos actis certiores facientes, Vobiscum ex animo gratulamur; atque insimul bonorum omnium largitorem Deum, qui dat affluenter omne donum optimum, & ad æternam animarum salutem semper profuturum, supplices exoramus, ut Fraternitates Vestras nova virtute induat ex alto, quo de virtute in virtutem crescatis in Templo Sancto Dei, & magis magisque satagatis vigilare, custodire, ac per viam mandatorum Dei ducere populos pastorali curæ vestræ commissos. Hinc profecto factum fore in Domino confidimus, ut consentanea virtutibus laboribusque vestris merces tribuatur a justo remuneratore Deo. Interea hujus voti nostri auspicem, & Pontificiæ nostræ erga Fraternitates Vestras benevolentiæ testem esse cupimus Apostolicam Benedictionem, in populos quoque vestræ curæ creditos redundaturam, quam Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Aprilis MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

Cajetanus Amatus.

III.

Dilectis Filiis Proceribus Maronitis

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUam præclaram de vestra omnisque inclytæ Maronitarum Nationis Catholica sinceraque Fide, & constanti Apostolicæ huic Sanctæ Sedi adhæsione opinionem Prædecessores nostri Romani Pontifices, Nosque ipsi semper habuimus, magis magisque confirmaverunt humanissimæ vestræ literæ, quas una insimul cum literis Venerabilium Fratrum tum Tobiæ Petri Archiepisc. Cypri in Patriarcham Antiochenum vestrum electi, tum cæterorum Nationis vestræ Antistitum conjunctas ad Nos attulit Venerabilis item Frater Arsenius Archiepiscopus Heliopolis. Per ipsas sane literas vestras explicare studuistis & filialem vestram erga Nos, & Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantiam, reverentiamque, & Electionem de eodem Tobia Petro in Patriarcham unanimi memoratorum Antistitum consensu, Vobisque plaudentibus factam. Nos autem Vobis omniumque studiis benigne annuentes, nihil omisimus, quod ad hujusmodi negotium Apostolica auctoritate nostra peragendum, conficiendumque requirebatur. Quamobrem hoc unum superest, ut Vobis, Dilecti Filii, quos paterna Pontificiaque caritate complectimur, ab Omnipotenti Deo bonorum largitore uberrimam cælestium charismatum copiam apprecemur; atque vestram pietatem, religionemque meritis laudibus celebremus. Interim, Dilecti Filii, Vobis Apostolicam Benedictionem, perenne nostræ erga Vos præcipuæ benevolentiæ, dilectionisque testimonium, peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Aprilis MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimoseptimo.

Cajetanus Amatus.

EPISTOLA

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Ad Reverendissimum Dominum Ignatium Realem primum Pontificiarum Cæremoniarum Magistrum de celebratione Missæ a sedente.

Dilecto Filio Magistro Ignatio Reali Apostolicarum Cæremoniarum præfecto

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

ÆStas anni 1756. proxime præteriti variis corporis affectationibus Nos oppressit, quas ætas nostra gravis admodum, atque non intermissi a prima juventute labores progiguere videbantur. Morbi initium, prout fieri assolet, leviorem vim exserebat; hinc a Nobis ipsis Episcopatus Ordine insigniendum esse reputavimus Reverendissimum Dominum Carolum Camostum Justinopolis, sive Aegidæ Antistitem, cui rei perficiendæ Tu utpote primus Cæremoniarum Magister opportuna quæque disposuisti, & de qua Nos die 20. Octobris 1756. epistolam dedimus ad Præsulem ordinandum, quam typis impressam quartus Bullarii nostri Tomus propediem lucem publicam visurus numero LXIV. exhibebit.

II. Malum, quod in suo exortu levius videbatur, progressu suo exasperatum est haud mediocriter; insequentibus quippe mensibus bis morientium viatico muniti, bis extremum uncti; & bis pariter, juxta Romanorum Pontificum probatum morem fidem sumus professi. E gravissimis hisce discriminibus erutos Domini benignitas in eam nos constituit corporis habitudinem, qualis nunc est, quæque intelligentiæ facultatem adeo Nobis non eripuit, minuitve, ut divino beneficio eam in ipso augescentis morbi furore conservaremus immotam: Exteri enon minus, quam publicarum rerum curam gerentibus nos alloquendi facultatem concedimus, opportuna mandata singulis imponentes: Intersumus Consessui, quem Consistorium dicunt, & S. Officii congregationi semel in hebdomada sub nostro obtutu haberi solitæ: Scriptorum calamus pro exigentia & more quæ occurrunt necessaria excipit: Basilicas quoque Romanæ Urbis invisimus quandoque, nusquam tamen e sede gestatoria, qua sustinemur descendentes.

III. Dies erat 27. Octobris Divis Simoni, & Judæ Apostoli sacra, & Justinopolitani Antistitis consecratione celebrata, ex qua Sacris amplius operati non sumus, pedibus nulla ratione Nos sustinere valentibus; diebus vero, quibus alioqui Sacra facere consueveramus, sacram Eucharistiam recepimus sedentes, aut sedentia in modum lecto incubantes, neque sub id temporis Missam a Nobis celebrari posse sperabamus, quod Medici spem Nobis fecissent mitigato æstatis beneficio aere omissa interea compensatum iri. Verum nihilo firmiores effecti temporis illa vicissitudine etiam annua, videbamur per reliquam vitam omnem pedum juvamine, & spe simul augusta mysteria celebrandi excidisse, jamque huic necessitati lubenter obtemperabamus. Id porro solum est reliquum, ut disquiramus, semperne Sacra Communione simus reficiendi, an vero Missa sit celebranda sedentibus?

IV. Lubentes Nos huic necessitati cessisse diximus; neque enim a Deo sive vitam, sive infirmitatis ablationem petivimus, Sanctissimæ ejus voluntati omni cordis plenitudine, & sinceritate subjecti, certi, Ipsum & animæ nostræ, & Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ curam habiturum, concesso etiam aliquo vitæ spatio. Diximus præterea tempus adesse, quo determinandum esset, pergendumne in consueta hucusque Sacræ Eucharistiæ sumtione, an vero Missa esset celebranda sedentibus. Cum vero Salomon Prov. cap. 3. hortetur: *ne innitaris prudentiæ tuæ*, quæ eadem verba in decretali *ne innitaris, de constitutionibus* laudata sic illustrat Jansenius in Proverbia: *vetat niti suæ prudentiæ, quod est sic illi fidere, quasi illa sufficiat ad directionem actuum nostrorum, & provisionem rerum necessariarum*. Similiter Salazar in eumdem Proverbiorum locum num. 26. cum S. Joan. Chrysostomo observat, hac lege teneri etiam senes quantumcumque rerum experientia præditos, & quocunque prudentiæ baculo fultos: *Baculus*, inquit Chrysostomus, *senectutis sustentatio est. Quapropter dixerim, eo spectasse Salomonem, ut his verbis suadeat, sapientiæ, vel prudentiæ propriæ non inniti. Nam, si qui possent certa propriis consiliis, & prudentiæ fidere, maxime senes, & grandævi, propter experimentum, & canos. Ait ergo: ne prudentia, quasi baculo, innitaris: id est, etiamsi ad senectam perveneris, cum opus est baculo, ne tunc quidem tua prudentia, quasi baculo utaris*. Hinc est, quod Nos adductis in utramque partem argumentis sive pro sumenda ulterius Communione, sive pro celebranda Missa sedendo militantibus, statuimus hanc nostram lucubrationem variorum pietate, & doctrina conspicuorum virorum trutinationi committere, ut secundum illorum judicia, quæ agenda sint, constituamus. Æneas Sylvius Piccolomineus, postea Pius II. in Pontificia dignitate dictos in epistola ad Martinum Mayer Moguntinensis Archiepiscopi Cancellarium data, & in ipsius Commentariis Romæ 1584. edita necessitatem exponit, qua Pontifex alios consulere tenetur: *Papa etsi doctus, & sapiens est, non tamen tam verbo suo sapit, quam consilio assistentium: & deciperetur forsitan aliquando, nisi astarent viri sapientes qui multa noscant*. Magno nobis documento, qui nec sapientia, nec doctrina præcellimus, in negotio præsertim Nos ipsos concernente, in quo amor proprius Nos insigniter posset decipere absque aliorum prudenti consilio.

COMMENTATIO,

Satiusne sit, sacram Communionem recipere, more hactenus a Pontifice servatum, an Missam celebrare sedendo.

V. Ut ordinatim procedamus, exponemus primo loco, quæ recipiendam porro Communionem concernunt, omissa celebratione Missæ a sedente perficienda, inde gradum facturi ad partem alteram, quæ Communionis loco Missam a sedente celebrari permittit.

VI. Docet S. Thomas 2. 2. quæst. 93. art. 1. *Ad secundum*: justos ante legem interiori quopiam instinctu didicisse modum Deum colendi, quem alii quoque fuerint imitati: *ante tempus Legis justi per interiorem instinctum instruebantur de modo colendi Deum;*

quos

quos alii sequebantur. Per Legem vero postmodum inducta fuisse præcepta exterora, quibus ad ea perficienda & instruebantur, & adstringebantur homines: *postmodum vero exterioribus præceptis*, pergit Angelicus Doctor, *circa hoc homines sunt instructi, quæ præterire pestiferum est*.

VII. Abrogata postmodum per Christi adventum Mosaicæ Legis observantia, & Evangelio promulgato, non quidem omnes ritus ad Sacramentorum administrationem, Missæque celebrationem pertinentes ab Apostolis fuere instituti, sed eorum plerique ab Ecclesia præscripti, quod tamen minime evincit, quin omnes ad amussim sint observandi. Suarez Tom. 3. in 3. part. D. Thomæ quæst. 83. art. 5. disput. 84. sect. 1. post relata S. Pauli Apostoli verba 1. ad Corinth. 14. *omnia secundum ordinem fiant in vobis*: inquit, adactam fuisse Ecclesiam ad constituendum ordinem stabilem circa res etiam minutissimas spectantes ad ritum administrandi Sacramenta, & Missæ celebrandæ: *& ideo oportet in his omnibus, etiam minutissimis, certum ordinem ab Ecclesia constitui*: si namque cujusque arbitratui id fuisset relictum, *multa indecore, & imprudenter fierent*: quid quod eadem apud omnes rituum ratio & Ecclesiæ unitatem commendet, & intentam Pastorum sollicitudinem? *Hæc uniformitas, quæ in his omnibus servatur, ad splendorem officii Ecclesiastici spectat, & unitatem Ecclesiæ commendat, & Pastorum ejus curam, ac sollicitudinem*.

VIII. Jam vero ut ad materiæ nobis propositæ fundum mittamus bolidem; generales regulæ, rubricæ dicunt, Romani Missalis Tit. 17. vetant sessionem in Missis privatis, quam tamen concedunt in solemnibus, dum *Kyrie*, *Gloria*, & *Credo* a Choro decantatur. Tridentinum vero Concilium *Sess. 7. de Sacramentis in genere can.* 13. omnem quantulamcumque mutationem rituum prohibet, & S. Pii V. Bulla Missali præfixa rubricarum observationem exigit omnimodam. Ex quibus perspicuum videtur, quod, si quis alio modo, quam sedendo celebrare missam nequeat, Communione *Laicorum more* contentus a celebratione abstinere teneatur.

IX. Quid vero, siquis ad sedentariæ Missæ celebrationem dispensetur? Verum, cum Rubricæ sessionem prohibeant, videtur illa irreverentiam continere, quæ dispensationis remedio non tollitur. Theophilus Raynaudus in opere inscripto: *Sacrum Christianum Acathistum, seu sessionis expers*. Tom. 6, pag. 498. §. 4. & seqq. dilucide illam irreverentiam docet. Extat quoque opusculum S. Petri Damiani numero 39. editionis anni 1743. in quo Episcopum Bisuntinum hortatur ad arcendum a sua diœcesi *opprobrium ignominiosæ sessionis*. In Decreto etiam Gratiani gemini hanc in rem Canones adducuntur 57. videlicet, & 68. de Consecrat. dist. 1. primus ita habet: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad Missarum solemnia celebranda præsumat cum baculo introire*. Alter vero ita sonat; *Apostolica auctoritate mandamus, dum sancta Evangelia in Ecclesia recitantur, ut Sacerdotes, & ceteri omnes præsentes, non sedentes, sed venerabiliter curvi in conspectu Evangelii stantes, Dominica verba intente audiant, & fideliter adorent*.

X. Neque sermo Nobis est de dispensatione ad celebrandam Missam a sedente, qui tamen Canonem stans absolvat, quod alias concessum scimus, sed agitur de integra Missa sedendo celebranda, cujus exemplum haud extare dicitur. Pasqualigus *de Sacrificio novæ Legis* Tom. 1. quæst. 227. quærit: *An sacerdos dum celebrat, sedere possit?* atque negative resolvens propter obstantem irreverentiam, ad Pontificiam dispensationem deflectens quæstionem, ait, illam non oportere concedi ad integram Missam; convenientius fore, si Sacerdos ob pedum debilitatem integram Missam absolvere nequeat, intermisso rantisper continuo ordine, sedendo vires resumat. *Satius esset, quod potius interrumperet Missam, & sedens quiesceret ad recuperandas vires, quam sedendo celebraret*. Id quod fieri vidimus ab homine pio, & docto Inquisitore Perusino, qui juxta tenorem obtentæ dispensationis omne absolvendo Canoni tempus explere stando non poterat, pedibus officium suum denegantibus.

XI. Superflua forte videbuntur hactenus adducta contra Missam sedentariam, præsertim si de Canone pariter sermo instituatur; cum sessionis prohibitio non a Lege Naturæ, aut DEI, sed positiva solummodo inducta sit: Pontifex autem Romanus omni positivo jure sit superior, facillime eidem derogando veniam facere poterit Missam omnem, ipsumque adeo Canonem sedendo absolvendi.

XII. At vero meminisse oportet, esse casus nullo aut naturæ, aut Divino jure prohibitos, in quibus tamen Pontifex neutiquam dispensare consuevit, quamvia soli positivæ Legi derogaturus.

XIII. Non convenit inter Theologos, an matrimonium inter fratrem & sororem, jure naturali, Divino, vel humano prohibeatur: Certe S. Thomas, Gonzalez, Pontius, Patisius, & Aversa solam juris positivi prohibitionem agnoscunt; neque tamen ullo probato testimonio evincitur, a quopiam Pontifice admissas fuisse preces fratris, & sororis matrimonii vinculo invicem ligari petentium: quæ enim a Sanctæ Sedis hostibus proferuntur exempla, falsa sunt. Institit equidem Henricus VIII. Angliæ Rex vehementer apud Clementem VII. ut spurio ipsius filio Duci Richemundensi ducere liceret Mariam e legitimo Henrici, & Catharinæ thoro prognatam; repulsam vero tulit illico; similiter dispensatio illa, cujus obtentu Dux Armeniacensis Sorori suæ nupserat, subreptitia omnino erat, cum Calixtus III. constanter eam concedere recusaverit. Hæc uberius relata & comprobata reperies apud Rigantium in Reg. 49. Cancellariæ a num. 13. ad 17. Nosque viri hujus mentionem honorificam eo facimus libentius, quod nostram, dum *in minoribus* essemus constituti, amicitiam peculiarem singularibus animi dotibus, & utilissimo illarum usu sibi vendicaverit.

XIV. Matrimonium in primo affinitatis gradu lineæ rectæ jure tantum positivo interdicitur, asseritque Silvius magni nominis Theologus, Pontificem dispensare posse cum vitrico, & privigna; ad hunc vero diem Pontificum nullus extitit, qui ex causa etiam gravissima dispensaverit in primo affinitatis gradu lineæ rectæ, prout ostensum a Nobis est lib. *9. de Synodo Diœcesana* cap. 13. num. 4. edit. noviss.

XV. Impedimentum *criminis* secuta etiam conjugis occisione a positivo jure est stabilitum, quod patet ex Hebraica Lege matrimonium post copulam, & conjugis occisionem irritum non agnoscente: atque ipsi probe meminimus, rejectam esse a Tribunali S. Officii, cui *in minoribus* a consiliis eramus, petitionem Judæi cujusdam *criminis* impedimentum Hebræorum matrimoniis opponere volentis, si post conjugis occisionem fuissent contracta. Sane nemo Davidis cum Bethsabea matrimonium irritum credidit, quamquam adulterium præcesserit, & Uriæ interfectio. Cum itaque matrimonium ejusmodi jure solum positivo prohibeatur, adeo difficulter dispensatio concedenda nec fuisset, nec esset, concurrente præsertim causa legitima, si generalis illa regula subsisteret, facile dispensari in prohibitis jure tantum positivo: neque tamen exemplo ullo constat, Pontificem dispensasse in impedimento hujusmodi publico. Videantur quæ hanc in rem congessit Mgliorucius *in Institutionibus Canonicis* ad lib. 2. tit. 14. in explicationibus ad num. 9. & 10. *ubi conjugis occisio secuta sit, nunquam dispensatur, non quia Pontifex non possit*: si impedimentum sit occultum, Major Pœnitentiarius dispensat in matrimoniis tum contractis, tum contrahendis pro foro interno, commisso adulterio, sed *neutro machinante*; Verum si impedimentum oriatur ex adulterio, *utroque vel altero machinante*, sitque occultum, habet quidem Major Pœnitentiarius facultatem dispensandi, *eam tamen*, & semper pro foro tantum interno, his quoque servatis, ut gravis concurrat necessitas, aut grave immineat periculum, & casu in plena Congregatione, aut Pœnitentiariæ signatura proposito. Videatur Constitutio nostra XCV. *Pastor bonus* Tom. 1. nostri Bullarii §. 44.

XVI. Hactenus in medium allata abunde commonstrant non temere pro regula statuendum, quod prohibitis Lege solum positiva, non vero naturali vel Divina, derogandi plena & non circumscripta sit Pontifici Romano libertas: imo exemplis adductis illud adjungi potest de Missa sedentaria una cum Canone celebranda: namque Missæ hujus oppugnator concessionis similis memoriam haud extare contendit.

XVII. Neque dictis obest, quod dispensationis ejusmodi denegatio impediat magnum bonum, ædificationem nimirum populi ex Episcopi celebratione, qualicumque demum valeret modo, peracta, proventuram, namque ædificatio illa nentiquam obtinetur, cum dispensationes istæ celebrandi sedendo, excepto tempore Canonis, clausulam contineant, ut Missa in privato Oratorio celebretur ad evitandam populi mirationem; atque cum bonum illud obtineri possit, præscindendo a motivo præmisso, non videtur illius consecutio quærenda novitatis hujus in Ecclesiam intrusione; Episcopi siquidem pietas nutriri potest per Communionem *more Laicorum* sumptam, qui autem pro populo sacrificium offerat, substituere sibi potest Sacerdotem alium.

XVIII. Magnum beneficium est, si infirmo, quod petiit Sacrum Viaticum a Sacerdote porrigatur: Verum si nequidem una habeatur candela, si Vestes sacræ desint, si alio profectus esset Sacerdos casum haud prævidens, clavesque tabernaculi secum ferens; tum enim vero infirmus Viatici Sacri munimine carebit quidem, docebitur tamen sufficere desiderium, & Sacramenti perceptionem *in spe*, cum nequiverit recipere *in re*: Similiter, & in Sacerdote sufficiet prompta ministrandi infirmo Viaticum voluntas, cum Missæ celebratio absque luminibus aut sacris indumentis licita non sit, nequidem pro ministrando Viatico, juxta probatiorem opinionem qua de actum est in nostro Tractatu de SS. Missa Tom. 2. Sect. 2. c. 1. §. 3. edit. Ital. Sect. 2. num. 52. edit. Latinæ.

COMMENTATIO

De celebratione Missæ etiam sub Canone a sedente, quin obligetur Sacerdos stare non valens ad recipiendam semper Communionem more Laicorum.

XIX. Asserens bene concedi licentiam, ut Sacerdos debilitate pressus sedendo Missam, ipsumque adeo Canonem absolvere possit, contendit, sessionem inter Divinas preces nec indecentem esse, nec opprobrio plenam. In Actis Apostolorum cap. 2. legimus, Divinum Spiritum descendisse super Apostolos in cœnaculo sedentes: *& replevit totam domum, ubi erant sedentes*. Ideoque Cardinalis Cajetanus in Acta Apostolorum ita commentatur: *non horreo sessionem corporalem, cum nihil indecens inducat*; additque Navarrus in Manuali de Oratione cap. 4. num. 12. situm corporis sedentarium non esse incongruum orantibus. Admittit quidem sedentariæ Missæ Patronus, indecens esse Missam celebrari a sedente; attamen causa legitima concurrente, puta pedum debilitate, nequidem Canonem stando perficiendum permittente, sufficiens motivum haberi ad concedendam sessionem per totam Missam, non quidem singulis, sed spectabilioribus e Clero propter dignitatem suam Ecclesiasticam, multoque magis Episcopis ad celebrationem ex munere suo adstrictis. S. Petrus Damianus aversabatur vehementer sessionem in precibus, sub finem tamen prælaudati opusculi cap. 4. pag. 336. hæc addit: *Nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat*. Nec pacatior sessionis in orando osor Theophilus Raynaudus loc. cit. pag. 503. col. 1. ita habet: *Quis sedere coram Deo audeat injussu ejus? at abest Dei nutus, vel jussum de sibi assidendo, si absit ægritudo corporis sessionem deposcens; ea enim corporis imbecillitas Divina indulgentia ad sedendum concessæ tessera est ex natura rei*. Cumque in Canone 131. Concilii Aquisgranensis legamus: *Nec cum baculis in Choro, exceptis debilibus, sed religiosissime illis standum, & psallendum est*, eruditus Pater Haeftenus in doctis suis disquisitionibus monasticis Lib. 7. disquis. 1. pag. 705. ita Canonem explicat: *Quod autem debilibus hic legimus baculum indulgeri, ceteris negari, id factum eo modo, quo de Zebina scribit Theodoretus in Philoth. cap. 24. postquam autem non permittebat senectus, ut citra molestiam stare posset assidue, sustentaculum ei præstabat baculus, cui innixus Dominum & laudabat & orabat*.

XX. Et sane, si media omnia adhibentur, ut Sacerdos ad Missæ celebrationem ineptus effectus, dispensationis remedio ad eam celebrandam reddatur idoneus; si conatus omnis intenditur, ut auferantur impedimenta Laicos a Sacramentorum perceptione arcentia; mirari nemo debet, si non solum aliquibus pedum debilitate laborantibus concedatur facultas Missæ sedentariæ Canone excepto; sed si dignioribus Ecclesiæ Ministris Episcopis præsertim eadem pedum infirmitate oppressis permittatur sessio sub ipso quoque Canone, & Consecratione.

XXI. Si Parochus, aut Sacerdos alius videndi facultate omnino privatus non sit, licentia ei conceditur celebrandi in festis solemnioribus, & duplicibus Missam votivam de Beatissima Virgine, diebus autem ferialibus Missam Defunctorum; multæ vero clausulæ huic concessioni adjiciuntur, illa præsertim, ut *non sit omnino cæcus, nec recitet memoriter*; injungiturque Episcopis, ut si omnino cæcus reddatur, omni celebrandi facultate privetur. Atque si Sacerdos cæcus efficiatur post susceptum Presbyteratus ordinem, hic illum defectus non ordine ipso, sed ordinis executione privat, & quidem tantum quoad confectionem Eucharistiæ, non item quoad alias functiones visum non exigentes, qualis esset confessionis auditio, prædicatio, &c. prout optime observat S. Thomas 3. part. quæst. 82. art. 10. ad 3. Non vero desunt exempla concessæ cæcis Episcopis licentiæ Missam celebrandi. Aimonius sane refert in Actis Concilii Tricassini anno 878. habiti apud Baronium, & Natalem Alexandrum, Joannem VIII. in eodem Concilio ad instantiam Episcoporum Hincmaro Laudunensi cæco, nepoti Hincmari Rhemensis facultatem Sacris operandi fuisse elargitum. Soto quoque in 4. Sentent. dist. 9. quæst. 3. art. 2. testatur visum a se in Concilio Tridentino Episcopum cæcum ex Pontificia dispensatione quotidie celebrantem. Cum Nos *in minoribus* munera fungeremur Secretarii Congregationis Concilii, mature discussa materia, excussisque Auctoribus allegatis a Nobis, in folio desuper confecto, & tom. 4. Thesaur. Resolut. Congreg. pag. 101. & seq. edit. Urbinat. Parocho Florentino cæco omnino, sed magnorum meritorum totius circumstantiarum variarum in ejus favorem concurrentium licentia concessa est Missam celebrandi sub assistentia alterius Sacerdotis; causa hæc proposita est 2. Augusti 1717. & ejusdem anni, mensisque die 23. terminata. Neque recentiora desunt exempla similium concessionum.

XXII. Non est celebranda Missa operto capite. Canones id probibentes adducti a nobis sunt *in Notificatione 14. Tom. 2. quæst. 34. est Latinæ editionis §. 4.* idemque avincimus *Tom. 1. de Sacrificio Missæ Sect. 1. cap. 4. §. 2. edit. Ital. Latinæ vero Sect. 1. n. 53.* Inter alios vero Canones ad litteram id habet Can. *Nullus Episcopus de Consecrat dist. 1. Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite Altario Dei assistere*. Quidquid autem sit de eo, quod Vasquez Tom. 3. in 3. part. Disput. 232. cap. 4. refert, in Polonia Sacerdotes etiam Regulares in hyeme operto capite Missam dicere usque ad Consecrationem; consuevit dari licentia capite operto Missam legendi excepto Canone, si testentur Medici ex capitis nudatione sanitatis periculum imminere. Paulus V. concessisse legitur in aliquibus Orientis Ecclesiis Missas integras una cum Canone operto capite celebrari, cum iis in regionibus inurbana habeatur capitis denudatio. Raymundus cit. Tom. 6. p. 499. col. 2. & Henaus Tom. 2. de Sacrificio disput. 27. sect. 2. n. 10. admittunt, operto capite Missam, & Canonem dici posse, si alias timeatur saluti Sacerdotis, in regionibus præsertim frigidis. Ideoque Navarrus lib. 3. de celebrat. Missarum, Consil. 7. num. 5. edit. Venet. 1621. hæc adfert: *Non desinunt Sacramenta Divina reverenter tractari, eo quod ex justa causa, & necessitate vitandi frigoris, vel doloris capitis, pileolo aliqua honesto caput tegatur*. Concordat Salmero Tom. 14. in ep. 1. ad Corinth. cap. 11. disput. 18. pag. 144. edit. Colon. 1614. & Henaus cit. sect. 2. num. 20. ita cum Arriaga concludit: *Non est censendum, Deum malle omitti Sacrificium, aut quod graviter Sacerdotes de salute periclitentur, quam quod habeant tecta capita; cum hoc ipsum, quod extra necessitatem esset irreverentia, desinat esse talis in similibus casibus*. Præterea Sacerdotibus vetitum est deferre fictitia capillitia, prout liquet ex documentis a Nobis congestis in Tractatu *de Synodo Diœcesana* edit. noviss. lib. 11. c. 9. maximeque ea prohibitio se extendit ad celebrationem Missæ, attamen per speciem aliquam tolerantiæ introductum est, ut Clericis concedatur etiam Missam celebrare sic coopertis, dummodo corona, seu tonsura clericalis aperta semper maneat.

XXIII. Agendum jam est de modis excogitatis, quibus facilior redditur Laicis Sacramentorum perceptio, non obstantibus quibusdam difficultatibus. Notum cuique est, celebratam olim in mari Missam, quæ sicca dicebatur, quæque prohibita est; nunc autem facultas conceditur Missæ veræ celebrandæ, si tamen navis secura sit, remota a littore, mare tranquillum, & præter Sacerdotem celebrantem adsit Presbyter, aut Diaconus alius, qui exurgente forte quopiam motu calicis effusionem prævertat: singula videri possunt Tom. 2. de Sacrificio Missæ Sect. 2. c. 1. §. 3. pag. 256. edit. Ital. Latinæ vero Sect. 2. num. 49. & seqq. Atque ne prolixior sit oratio, indicare sufficiet, modum quoque adinventum esse ministrandi Sacram Eucharistiam infirmo, consecratam particulam deglutire non valenti, nec minus peste laboranti, quin Sacerdos ministrans eam contrahendi periculum subeat; quoad primum videatur in Tract. de Sacrificio Missæ Tom. 2. Sect. 2. cap. 6. §. 4. edit. Ital. & Sect. 2. num. 170. edit. Latinæ. Secundum habetur in Tractatu de Synodo Diœcesana edit. noviss. l. 13. cap. 19. num. 21. & seqq. Ex quibus omnibus confirmantur superius dicta, nimirum si omni ratione prospectum est Sacerdotibus simplicibus

cele-

celebrare non valentibus: ut possint nihilominus Sacris operari: si omni possibili modo Laicis Sacramenta ministrantur, non debent accumulari scrupuli & subtilitates ad arcendos Presbyteros in dignitatibus Ecclesiasticis constitutos, & Episcopos præsertim a celebranda Missa sedentaria, si debilitate pedum laborent: cum præcipuum Episcoporum officium sit, offerre Deo sacrificium pro populo curæ suæ concredito, & pro se ipso.

XXIV. Id sane disertis verbis docet S. Paulus Epist. ad Hebr. cap. 5. vers. 1. & seqq. *Omnis namque Pontifex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis:* & in ejusdem epist. cap. 8. vers. 3. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur.* Inde post prolixum sermonem in idem caput 5. concludit Joannes Gagneus: *Munus ergo assumti Pontificis est orare, & pro suis, & pro populi delictis sacrificia offerre, & agnoscere se peccatorem, atque ita populi peccatis condolere.* Gagneo assentiuntur Guilelmus Estius, Salmero, & Cornelius a Lapide in Commentariis in citatum caput 5. Neque regerenda hic est superius allata objectio, cessare motivum ædificandi populum per celebrationem, cum hæc perfici nequeat a sedente nisi in Capella, aut Oratorio privato ad evitandam populi demirationem; neque enim populi ædificatio princeps causa celebrandi est, sed oblatio sacrificii pro populo, quæ obtinetur æque per celebrationem in Oratorio. Præterea populus videns Episcopum suum celebrare, quo potest, modo, sciensque sedentem celebrare ex concessione Pontificia, tantum abest, ut offendatur, quin potius ædificetur.

XXV. Bene omnia haberent, inquis, si prout exempla habentur concessæ Episcopis licentiæ, sedendo Missam celebrandi, illa ad Canonem quoque, adeoque ad totam, & integram Missam se extenderet; in hoc enim cardo rei vertitur. Antiquitatis sacræ monumenta evolventi occurrit S. Lucianus Martyr, qui in persecutione Maximiani fidelium eodem secum carcere detentorum desiderio Sacro Missæ Sacrificio assistendi facturus satis, ipso Epiphaniæ festo die in terram extensus & pectore tanquam ara usus Sacris est operatus, prout videre est in Actis apud Bollandistas Tom. 1. Januarii pag. 361. n. 14. Theodoretus Cyri Episcopus in gratiam Sancti Eremicolæ, qui Missæ nunquam interfuerat, allatis in ipsius tugurium sacris vasis, manibus Diaconorum pro altari usus Sacram confecit Eucharistiam, prout ipsemet refert in Philotheo cap. 20. Uranius in epistola *de obitu Paulini* apud Bollandistas Tom. 4. Junii pag. 198. num. 2. testatur, quod cum decumbentem S. Paulinum Nolanum Episcopum alii duo Præsules inviserent, ægrotus licet cum illis Missam celebraverit erecta prope lectum ara: *Et quasi profecturus ad Dominum, jubet, sibi ante lectulum suum sacra ministeria exhiberi; scilicet ut una cum Sanctis Episcopis oblato sacrificio, animam suam Domino commendaret*: quod & factum indicatur num. 3. *Et cum hæc omnia Sanctus Episcopus læto, ac perfecto ordine celebrasset.* Neque, quod aliqui contendunt, illa Uranii verba de perceptione Sacræ Eucharistiæ, non item de celebratione Missæ intelligenda sunt, huic enim suffragantur Tillemontius Tom. 14. in actis S. Paulini art. 52. pag. 139. edit. Venet. doctissimusque Pater Magister Orsi Magister Sacri Palatii Apostolici Tom. 12. Hist. Eccles. lib. 28. n. 76. pag. 375.

XXVI. Speciosa quidem sunt exempla superius allata, præsentique casui apprime conveniunt; verum antiqua sunt, & præcedentia tempus illud, quo in modernos ritus fuit reducta Missæ forma. At vero S. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus mortuus est sub initium Seculi noni, Ignatius vero Episcopus Nicænus, Tarasii discipulus & illius vitæ scriptor videndus apud Baronium ad annum 806. & apud Bollandistas Tom. 3. Februarii pag. 586. num. 47. hunc in modum describit celebrationem Missæ a Sancto Patriarcha graviter decumbente peractam: *Ingruens morbus, & valde gravem ei dolorem afferens, non persuasit, ut oblivisceretur perpetui, & Divini Officii. Nam & morbo, & senio laborans, nequaquam satiabatur sacrosancti Mysterii celebratione, sed intenso amore ad Deum ardens, & morbi nullam ducens rationem, pectore innixus mensæ ligneæ, quæ ponebatur ante Aram Divinam: Sancta peragebat, infirmus videlicet:* quod est, ventre, & pectore admixti tabulæ, partemque corporis reliquam, pedibus sustentando. De S. Ivone Presbytero, & Parocho Britanniæ Armoricensis anno 1303. defuncto legitur, quod pedibus insistere non valens hoc Missam celebraverit modo: *Fuit adeo infirmus, & debilis, quod se non poterat sustinere; immo interdum sustentabatur per aliquos assistentes, & sic Missam celebravit in Capella sua:* prout videre est tom. 4. Maii apud Bollandianos pag. 541. A. num. 17. atque testis *de visu* fatetur apud eosdem Bollandianos loc. cit. pag. 560. C. num. 65. Mauritius vero Gaufridus in prolixa descriptione vitæ S. Ivonis in cit. tom. 4. Bollandistarum pag. 594. A. cap. 5. num. 59. rem omnem ita complectitur: *Erat autem adeo tunc infirmus, ut præ debilitate corporis nec induere, nec exuere per se sufficeret sacras vestes, sed nec alia pro Missa necessaria præparare, ad Altare se sustinere, aut ad elevandum Corpus Domini se juvare, nisi ab assistentibus Abbatibus Belliportus, & de Begar, & Archidiacono Trecorensi cum aliis præsentibus fulciretur.*

XXVII. Propius jam ad scopum accedimus, sed cum disciplina illius ævi, cujus exempla in medium attulimus, necessitatem dispensationis Apostolicæ ad Missæ sedentariæ celebrationem necdum induxerit, quæ tam sapienter admodum est invecta, ne quisque infirmitatem sibi fingens sedendo celebrare augusta Mysteria auderet; adferemus porro exempla concessarum a Romanis Pontificibus dispensationum non pro celebratione Missæ a sedentibus, excepto tempore Canonis, de quo haud est controversia, sed de integra Missa a sedentibus celebrata, de qua in præsentiarum potissimum quæstio agitatur.

XXVIII. Joannes Renna Venetus factus 3. Novembris 1534. Episcopus Algeriensis, indeque anno 1538. die 13. Maii ad Sedem Pampelonis Novæ translatus varias a Paulo III. gratias petiit. Inter alia exposuit, se podagræ morbo omni propemodum membrorum usu esse privatum: *Diversis infirmitatibus podagra detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus est;* ideoque Missam stando celebrare non valens, petiit facultatem Sacris operandi in sella eo confecta artificio, ut illi insidens, stare videretur: *At tibi, qui propter infirmitatem prædictam, Missam stando celebrare non vales, & zelo devotionis accensus Missam celebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio sedis per te facto, in quo sedendo stare videris, quoties tibi placuerit, Missam celebrare, benedictionem elargiri, & alia, quæ ad Episcopalem Ordinem pertineant, etiam sedendo exercere .... tenore præsentium de speciali gratia indulgemus: proviso, quod Divinum Sacramentum debita cum reverentia tractetur, & scandalum non sequatur; &, si celebratione tua in artificio prædicto astantes scandalizari verisimiliter credi possit, celebrationem hujusmodi non publice, sed privatim facias.* Breve Cardinalis Hieronymi Ghinucci manu subscriptum reperitur, ille enim scripta roborandi munere fungebatur, prout Ciaconius Tom. 3. pag. 569. refert: adjectum quoque est nomen Secretarii Apostolici brevium nota signatum. Ipsum vero Breve habetur in schedis autographis Brevium Pauli III. in Archivio secreto anni 1538. num. 466. integrumque exhibebitur ad calcem hujus epistolæ, ut cujusque judicium convincatur. Nos quidem mechanicarum rerum ignari sedis hujus, in qua sedens stare videbatur, examen haud instituemus: Id exinde deduxisse sufficiet, Paulum III. Episcopo Pampelonensi facultatem fecisse per omnem Missam sedendi, ne Canonis quidem, & Consecrationis tempore excepto.

XXIX. S. Pontifex Pius V. primo Pontificatus sui anno Petro Francisco Ferrerio Cardinali tituli S. Agnetis ob podagræ molestias stando Sacris operari non valenti veniam fecit, ut in privata Capella sedens Sacram Liturgiam perageret: *Nos specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, circumspectioni tuæ, ut, quotiescunque devotionis gratia Missam celebrare volueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones commode celebrare nequiveris, illam sedendo in Oratorio domus tuæ, seu Cappella tua privata, coram familiaribus, & domesticis tuis duntaxat, ita ut exinde nullus scandalum, aut offendiculum capere possit, alias tamen rite celebrare valeas, auctoritate Apostolica tenore præsentium, licentiam concedimus, & facultatem.* Schediasma autographum firmatum manu Reverendissimi Cæsaris Glorierii senioris Brevium Secretarii, in Archivio secreto inter diagrammata archetypa S. Pii V. anni 1566. num. 572. asservatur. Hoc quoque Breve integrum subjiciemus, tum ut cuique innotescat, tum, ut levitatis convincamus asserentes, rei cujuspiam exemplum non extare, quod ipsi illud ignorent; ex quo fit, ut, dum talium assertionum facilitas laboris molestiam in alios transfert, ipsis grave accidat, si quæ existere negaverant, in lucem protrahantur.

NAR-

NARRATIO

Factorum Romanum Pontificem attingentium, quorum notitia necessaria videtur præsentem quæstionem dijudicaturo.

XXX. Supervacanea videri poterunt, quæ deinceps in medium erimus allaturi; si enim Summus Pontifex aliis impedimento laborantibus facultatem elargitur Missam celebrandi sedendo, mirarine subibit, si eadem ea causa eadem ipse utatur œconomia? At vero universim loquendo non videtur Pontificiæ dignitati convenire usus licentiæ aliis concessæ. Hinc ut dispiciatur, an indecens sit a Pontifice sedente Missam celebrari, disquirendum, fuerintne Pontifices, qui omnem Missæ celebrationem sedentes perfecerint. Haud equidem magni Nobis moliminis hæc res est, cum concessuri bonæ memoriæ Cardinali de Rohan podagra impedito licentiam celebrandi Missam sedendo excepto Canone, & Consecratione, omnia ad id argumentum facientia solicite conquisierimus. Neque jam illa congerere valeremus, tum senii onere gravari, & ab ægritudinis molestiis nondum plene liberi; tum vero maxime carentes libris Nobis longo usu notissimis, quos cum omni nostra bibliotheca selecta Instituto Bononiensi dedimus: quanto vero & laboris, & temporis, cujus penuria laboramus, impendio illa in libris, quibus necdum assuevimus, inquireremus?

XXXI. Honorius IV. anno 1285. in Pontificem electus, Diaconus erat, utique Presbyterio, & Episcopatu primum insigniendus. Historiographi infirmitatis habitu adfectum testantur: Martinus e Minorum cœtu in *Floribus Temporum*, Joannes Vitoduranus, Andreas Ratisbonensis, & Hermannus Contractus in suis Chronicis apud Joan. Georg. Eccardum in corpore Historico medii ævi tom. 1. pag. 1631. pag. 1758. pag. 2088. & tom. 2. pag. 936. Affirmant alii Honorium ea pedum debilitate laborasse, ut nequidem incedere potuerit: Riccobaldus Ferrariensis in Historia Romanorum Pontificum ad annum 1285. in tom. 9. Rerum Ital. Script. pag. 182. Alii, quod ea chiragræ, podagræque vehementia affligebatur, ut digitum digito jungere nequiret, teste Muratorio Annalium Italiæ tom. 7. pag. 460. Missam sine instrumentorum quorumdam adminiculo celebrare haud valebat. Ptolomeus Lucensis lib. 24. Hist. Eccles. cap. 13. in tom. 11. Rer. Ital. Script. pag. 1191. Raynaldus ad annum 1285. num. 14. Fleuryus tom. 18. Hist. Eccles. pag. 371. & in vita ejusdem Pontificis Ciacconius tom. 2. pag. 246. Burius, Pagius tom. 3. pag. 455. num. 3. auctor vitæ Pontificum Hagæ Comitum editæ tom. 3. pag. 289. Porro Instrumenta quibus ad perficiendam celebrationem utebatur, describit P. Franciscus Pipinus ex Ordine Prædicatorum in Chronica lib. 4. cap. 22. *Pedibus erat ita ægrotus, ut nec ambulare, nec stare posset: manus autem sic contractas habebat, ut digitos, exceptis pollicibus, unum ad alterum jungere non posset; immo etiam carne superexcrescente fere unus ab altero secerni non poterat. Et, cum celebraret, ponebatur Corpus Domini inter ipsos pollices, & quodam instrumento ligneo, quo insidebat, volvebatur ad populum*; videri cuncta possunt cit. tom. 9. Rer. Ital. Script. pag. 727.

XXXII. In Commentariis Pii II. anno 1458. ad Pontificatum evecti, post prolixam narrationem institutæ supplicationis in translatione Capitis S. Andreæ Apostoli ex Achaja eidem Pontifici dono missi, hæc adduntur: *Die Sabbathi, qua fuit Aprilis 17. celebrato grandi Officio, cum benediceret populo Pontifex Maximus, promisit in crastinum, ob reverentiam Resurrectionis, in Ecclesia Principis Apostolorum sese rem Divinam facturum, portaturumque eo Sacrum Andreæ Caput, ut iterum, atque iterum videretur, quod ex altari Beati Petri abductum, in Palatio clauserat. Res nova, & insperata fuit. Nam propter ægritudines & absentiam Pontificis ante quatuor annos, non viderant Romani suum Pontificem Divinam Hostiam offerentem. Cumque suis pedibus stare Pius Præsul nequiret, excogitata ingenia sunt, ut quasi sedens celebraret.*

XXXIII. Pius III. in Pontificem anno 1503. electus nonnisi Diaconus erat, atque lethali ulcere impediebatur, ne pedibus posset insistere. Sedens itaque Sacerdotio est initiatus a Cardinali Tituli S. Petri in Vinculis 30. Septembris, an. 1503. 1. vero Octobris ejusdem anni Episcopus consecratus, octavo postea die diademate Pontificio insignitus sedens Missam Pontificalem celebravit in Basilica Vaticana. Omne id habetur libro ultimo ephemeridum Joannis Burcardi Cæremoniarum Sacrarum Magistri pag. 56. 58. & 59. quem codicem Bibliotheca habebat Cardinalis Silvii Valentis nostri quondam Status Secretarii, jam vero tenet Reverendissimus Ludovicus Valenti ipsius Nepos.

ANNO MDIII.

Die Veneris 29. Septembris ordinavi sedem pro Papa, in qua sedens cruribus extensis ordinaretur, & celebraret, & mensam longam pro Altari, ut pedes subtus extendi possent.

Die Sabbathi .... Cardinalis S. Petri ad Vincula ordinavit Papam .... accessit in Planeta ad Papam in illa sede ordinata ad omnia sedentem &c.

Die Dominica 8. Octobris, S. D. N. delatus in sede ad hoc ordinata, de qua per totum officium non descendit. Sed in ea post introitum Ecclesiæ .... accepit in ea Pallium, & portatus in ea super solium, deinde in ea celebravit.

XXXIV. Dum Romanus Pontifex solemniter celebrat, peracta ad Altare consecratione, ad solium suum reversus, recipit Sacram Eucharistiam sub speciebus panis, & vini stans, neque sedendo communicat prout per errorem scripserunt aliqui, viderique id potest Tom. 2. Tract. nostri de Sacrificio Missæ sect. 1. cap. 20. §. 1. edit. Ital. Latinæ vero sect. 1. num. 339. In ceremoniali autem libro Cappellæ Papalis liberum est Summo Pontifici porrigendi Sacram Communionem Cardinalibus Diaconis, aliisque solio assistentibus sedendo; qua Nos libertate usi sumus nunquam, Augustissimum Sacramentum stando semper distribuentes. Electi Pontificis in Episcopum consecrandi scapulis a Cardinali consecrante Evangeliorum liber, capitique manus imponuntur, inde caput, manusque Sacro Chrismate inunguntur, Pontifice interea semper sedente. Similiter si electus Pontifex Subdiaconatu, Diaconatu, aut Presbyteratu esset insigniendus, Episcopus Cardinalis Subdiaconatus Ordinem ei collaturus *Sedenti calicem vacuum cum patena, & urceolos cum vino, & aqua, bucale, & manutergium*, librumque Epistolarum porrigit. In collatione Diaconatus Cardinalis ordinans stans Pontificis sedentis capiti manum imponens dicit: *Accipe Spiritum Sanctum*: sedentique Pontifici aptat paramenta, & porrigit librum Evangeliorum. Tandem in collatione Sacerdotii sedens Pontifex manuum impositionem, Olei sancti, quod Catechumenorum dicitur, unctionem, calicem cum vino & aqua, atque patenam cum hostia recipit. Quæ omnia luculenter ostendunt, haud inconveniens esse, sedere Pontificem in functionibus sacratissimis, atque eo ipso Missam totam a sedente posse celebrari, præsertim si pedibus debilitatis insistere non valeat.

XXXV. Atque hæc sunt, quæ in hac epistola exponenda duximus, eorumque disquisitioni proponenda, quorum consilia expectamus, priusquam, quid agendum, decernamus. Et si quidem sedentes Missam celebrare statuamus, tuum erit, præparare mensam Altaris cum consecrato lapide, imagine Salvatoris cruci affixi, luminaribus, aliisque ad Sacra peragenda necessariis; vacuumque subtus Altare spatium relinquetur extendendis pedibus idoneum. Confidentes singula dexteritate tua singulari perficienda, Apostolicam tibi Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 11. Octobris MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

PAULUS PP. III.

VENERABILI FRATRI

JOANNI EPISCOPO PAMPILONEN.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem.

CUpientes commodis tuis, qui diversis infirmitatibus podagræ detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus es, Limina Apostolorum Petri & Pauli visitare personaliter de triennio in triennium commode, ut jurasti, non vales, providere, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut, tua vita durante, per Procuratorem tuum ad hoc a te specialiter constitutum dicta Limina visitando, ad ea aliter visitandum minime tenearis, nec ad id invitus a quoquam compelli possis; ac tibi, qui propter infirmitatem prædictam, Missam stando celebrare non vales, & zelo devotionis accensus Missam calebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio sedis per te facto, in quo sedendo stare videaris, quoties tibi placuerit, Missam celebrare, benedictionem elargiri, & alia, quæ ad Episcopalem Ordinem pertinent, etiam sedendo

do exercere; & Horas Canonicas, diurnas, & nocturnas, cum uno, vel duobus Capellanis juxta ordinem Romanæ Curiæ per dilectos filios nostros Cardinalem Sanctæ Crucis, vel alios antiquitus institutum, prout tibi placuerit, libere & licite dicere ac easdem Horas anteponere, & postponere, & cumulative unico contextu recitare sine scrupulo conscientiæ libere & licita possis & valeas, tenore præsentium de speciali gratia indulgemus, proviso, quod Divinum Sacramentum debita cum reverentia tractetur, & scandalum non sequatur; & si celebratione tua in artificio prædicto adstantes scandalizati verisimiliter credi possit, celebrationem hujusmodi, non publice, sed privatim facias. Non obstantibus Apostolicis in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, caterisque contrariis quibuscumque. Datum in Domo Sanctæ crucis extra muros Nicen. sub Annulo Piscatoris VI. Junii MDXXXVIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Hieronymus Card. Ghinuccius

Fab. Vigil.

PIUS PP. V.

DILECTO FILIO NOSTRO

PETRO FRANCISCO

Tituli Sanctæ Agnetis in Agone

PRESBYTERO CARDINALI FERRERIO VOCATO.

Dilecte Fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXimia virtutum dona, quibus personam tuam illarum largitor illustravit Altissimus, promerentur, ut votis tuis, præsertim quæ ex devotionis fervore prodire dignoscuntur, benigno annuamus affectu. Cum itaque, sicut nobis nuper exposuisti, tu adeo frequenter gravibus tui corporis indispositionibus & præsertim podagra, quæ te assidue impeditum tenet, laborare solitus sis, ut quando devotionis tuæ causa Missam celebrare desideras, quoniam pedibus stare non potes, id facere nullo modo valeas; quare Nobis humiliter supplicasti, ut tibi in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, circumspectioni tuæ, ut, quotiescumque devotionis gratia Missam celebrare volueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones commode celebrare nequiveris, illam sedendo in Oratorio domus tuæ, seu Capella tua privata, coram familiaribus & domesticis tuis dumtaxat, ita ut exinde nullus scandalum, aut offendiculum capere possit, alias tamen rite celebrare valeas auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam concedimus & facultatem. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Marcum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Septembris MDLXVI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Cæsar Glorierius.

JAm cuncta congesseramus, quæ ad celebrationem Missæ sedendo, etiam Canonis, & Consecrationis tempore, spectare videbantur, jamque ea quorum desuper consilium opperiebamur, erant mittenda, cum Altissimi Providentia nova nos infirmitate probare est dignata; in rem itaque, & ad formandum plenius judicium fore judicavimus, si quæ Nobis acciderunt, subjungeremus.

Dies erat 14. Mensis Octobris, cum vehemens nos aggressa est dysuria in mixtam sanguine distillationem degenerans: Medicum ea res multum non movit quidem, Nobis vero timor exinde proveniens febrem attraxit: cui obviam itum phlebotomis, & corticis Peruviani sumptione; neque exciderat Nobis tum gravis nostra senectus, & illud Psalmi 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni; & amplius eorum labor, & dolor.* Quo innuitur: *dies anorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; id est, tempus vitæ nostræ in seipsa conclusum, & definitum, non transcendit ultra septuaginta annos:* in robustioribus autem ad octoginta annos exsurgit: *& in robustioribus usque ad octoginta.* Quod vero octoginta annos excedit, infirmitatibus plenum est, & doloribus, prout Nobis contingit: *& si quid ultra erit, erit labor, & dolor, ætas videlicet infirma, & variis malis, & ærumnis obnoxia.* Verba sunt Venerabilis Bellarmini in eundem Psalmum.

Sed resumendum narrationis filum: urina naturali colori restituta, sanguinis apparentiam omnem exclusit, Nosque tam quoad capitis vivacitatem, quam quoad laborandi facultatem restituti sumus in eum statum, quo ante assultum prædictum fruebamur, unum si excipias, necessitatem nimirum extrahendi urinam ope syringæ, quod si ultra duas horas cum dimidia omitteremus, ingenti Nos dolori subjiceres.

Cum itaque intra temporis hujusmodi intercapedinem commode satis Missæ Sacrificium absolvi possit, quisque desuper in consilium vocatus libere mentem pandet suam, deceatne Missam totam una cum Canone sedendo celebrare, an vero secus. Id, ut grave nemini accidat, rogantes, id sibi molestiæ sumentibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XXVIII. Octobris MDCCLVII. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

DECRETUM.

Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI PAPÆ XIV. In Causa Neapolitana Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Dei Francisci De Hieronymo Sacerdotis Professi Societatis Jesu. Super Dubio: *An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate in Deum, & Proximum, ac de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, in casu, & ad effectum, de quo agitur.*

FElici exitu absolutis, quæ juxta Sedis Apostolicæ praxim præcedere debebant antequam locus esset discussioni Dubii super Virtutibus heroicis *Venerabilis Servi Dei Francisci de Hieronymo* Sacerdotis Professi Societatis Jesu; habitaque super eodem Dubio virtutum Congregatione cum Antepræparatoria, tum etiam Præparatoria, diem tandem indiximus, qua Congregatio Generalis coram Nobis cogeretur. Qua tandem adveniente, post lecta, seduloque perpensa triginta sex suffragia Consultorum scripto Nobis exhibita, luculentas Cardinalium Congregationis Sacrorum Rituum adscriptorum, & coram Nobis prolatas, Sententias audivimus, easque, raro exemplo, nec adeo facili omnium animorum consensione ferri intelleximus, ad asserendam, & strenue propugnandam Virtutum ejusdem *Venerabilis Servi Dei* heroicitatem. Idipsum accidit etiam ex Sententia Nostra, qui pridem Postulatorum Scripturas, & eorundem Consultorum scripto tradita suffragia, quo decebat studio, & diligentia libravimus; adeout in eadem Generali Congregatione potuissemus pro earumdem Virtutum heroicitate Decretum Nostrum ex tempore pronunciare.

Verum cum, juxta Prædecessorum Nostrorum bene, sapienterque institutum morem, cautum sit, ne Decretum Virtutum approbativum edatur in eadem Generali Congregatione, huic disciplinæ inhærentes, resolutionem in aliam opportuniorem diem rejecimus, ut interim ad Causam secundæ adhiberentur curæ, & Patrem luminum exoraremus, ut educeret tanquam lumen Justitiam suam, & Judicium suum tanquam meridiem.

Quod cum abunde præstitum sit, Nosque, Deo sic disponente, in vitæ discrimine positos noverimus, hac die S. Athanasio sacra, qua Sacrosanctam Eucharistiam per modum Viatici accepimus, ad Nos advocatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Tamburino S. R. C. Præfecto, & Cavalchino hujus Causæ Relatore, nec non Benedicto Veterani Fidei Promotore, & Divino iterum implorato præsidio a luminum Patre, proposito Dubio *Affirmativum responsum* dedimus, hoc est *Constare de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate erga Deum, & Proximum, ac de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque annexis in gradu heroico, in casu, & ad effectum, de quo agitur.* Et præsens Decretum in Acta ejusdem Sacræ Congregationis referri, & publicari mandavimus, hac ipsa die 2. Maji 1758. Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

M. Marefuscus Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

F I N I S.